Digitized by Google

Digitized by Google

IST
15887
INVENTARIO N.

BIBLIOTECA GIORGIO DEL VECCHIO
51
C
25
UNIVERSITÀ DI ROMA
ISTITUTO DI FILOSOFIA DEL DIRITTO

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS
DE LEGIBUS

EXACTUS

AD JUS NATURALE, CANONICUM,

CIVILE, ET PATRIUM.



BIBLIOTECA GIORGIO DEL VECCHIO
UNIVERSITÀ DI ROMA

AUGUSTÆ TAURINORUM

EXCUDEBAT JOANNES MICHAEL BRIOLUS

M. DCC. LXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. D.

VICTORIO CAJETANO
COSTA

ARCHIEPISCOPO TAURINENSI

ET MAGNO S. R. M. ELEEMOSYNARIO

Miratus saepe numero sum, tot inter celeberrimos viros de Republica optime meritos, quorum nostra hac aetate nobilitata sapientia est, neminem extitisse, qui operam suam collocare studuerit in evolvendis, congerendisque legibus cum civilibus, tum ecclesiasticis, quae gentes Sardiniae Regi subditas adstringant, in iisque ad usus nostros componendis, declarandisque immunitatibus, quae istis adhuc in regionibus personas, res, & loca respiciunt, incubuerit; unde uberior sane fructus in Rempublicam manaret. Neque vero hujusmodi cogitatio mihi solum obstupescendi caussa fuit, sed gravissimos aeque viros in admirationem adduxit, qui pro egregia sua in commune bonum voluntate,

Digitized by Google

flagranti se operis desiderio teneri mihi ingenue significarunt, meque ad illud suscipiendum vehementer adeo sunt cohortati, ut quamvis novum onus ingenii vires aliis, iisdemque difficillimis rebus distentae refugerent, Divino tamen fretus auxilio aequissimae illorum expectationi omnino satisfaciendum putaverim. Eo autem alacrius ad scribendum adjunxi animum, quo futurum sperabam, ut, quae ob imparem dicendi copiam elucubrationibus meis defuisset dignitas, ex tui nominis splendore, ac majestate abundantius accederet, EXCELLENTISSIME ARCHIPRÆSUL. Eccui enim exiguum hunc laboris mei fructum laudabilius nuncupare poteram, quam Tibi, in quo nedum integerrima residet scientia canonum, legum civilium, ac municipalium, verum etiam scientia morum, & consuetudinum, quae nostris in regionibus obtinent: quod compertum prorsus, exploratumque est, non solum mihimetipsi, cui (honoris quidem caussa) tecum hac de re colloqui facta fuit facultas, sed & Dioecesi universae, in qua regenda perspicuum fit acumen ingenii tui plane felicissimum, quo aequa mens ordine rectissimo praesentia moderatur, prospicit futuris; incredibilis in agendis prudentia, moderatio, facilitas, quae simul omnia nemo non videt, quam mirifice conducant ad incolumitatem, firmitatem, atque ornamentum Dioecesis nostrae, quae sic in dies non floreret, nisi Tu, PATER INCLYTE, esses cumulatissime versatus in iis omnibus, quae paullo ante memoravi. Equidem intelligo me nec dignitati, votisque tuis, nec votis illorum omnium, qui saepissime ad scribendum mihi animos addiderunt, exaequo responsurum: tamen in ea sum opinione non prorsus inanes futuros conatus hosce meos, spe ductus alios felicioris minervae viros inceptum opus exactissime perfecturos, quo communis expectatio, atque utilitas compleatur.

Humillimus, obsequentissimus, et obedientissimus servus
JOSEPH ANTONIUS ALASIA

Digitized by Google

INDEX

DISSERTATIONUM, CAPITUM, ARTICULORUM, ET PARAGRAPHORUM.

DISSERTATIO I. *De lege generatim accepta* - - pag. 1
CAPUT I. *De legis vocabulo, variis acceptionibus, & nominibus* ibid.
CAP. II. *De legis natura* - - - - - - - - 3
CAP. III. *De generali legis partitione, ejusque caussis, actibus, atque effectibus* - - - - - - - - - - 13
DISSERT. II. *De lege aeterna, & naturali* - - - - 19
CAP. I. *Legis aeternae doctrina exponitur* - - - - ibid.
CAP. II. *De lege naturali* - - - - - - - - 30
Artic. I. *De primo legis naturalis principio* - - - - 50
Art. II. *De legis naturalis immutabilitate* - - - - 54
Art. III. *De objecto legis naturalis* - - - - - 65
Art. IV. *De juris naturalis claritate* - - - - - 67
Art. V. *De legis naturalis sanctione* - - - - - 73
Art. VI. *De jure gentium* - - - - - - - 77
DISSERT. III. *De lege positiva divina* - - - - - 81
CAP. I. *De lege positiva divina in genere* - - - - ibid.
CAP. II. *De lege evangelica* - - - - - - - 83
DISSERT. IV. *De lege humana* - - - - - - - 86
CAP. I. *De lege humana* - - - - - - - - ibid.
Art. I. *De variis nominibus legis ecclesiasticae, ejusque divisione, & notione* - - - - - - - - - ibid.
Art. II. *De divisione legis civilis, ejusque notione* - - - 93
Art. III. *De modo citandi jus canonicum, & civile* - - - 101
CAP. II. *De auctore legum humanarum* - - - - - 103

Digitized by Google

Art. I. *De auctore legum ecclesiasticarum* - - - 104
Art. II. *De auctore legum civilium* - - - - 113
CAP. III. *De objecto legis humanae* - - - - - - 115
Art. I. *De natura utriusque potestatis ecclesiasticae, & civilis* ibid.
Corollarium I. - - - - - - - - 116
Corollarium II. - - - - - - - - 117
Corollarium III. - - - - - - - - 118
Art. II. *Proponuntur regulae ad finiendas quaestiones potestatem ecclesiasticam inter, & civilem* - - - - - 128
Art. III. *De connexione ecclesiasticam inter, & civilem potestatem* 131
Art. IV. *Quaenam ecclesiae potestas competat in actus interiores* 134
Art. V. *An lex humana extendatur ad praeterita negotia, an ad omnes actus futuros* - - - - - - 138
CAP. IV. *De legis subjecto* - - - - - - - 141
Art. I. *An Princeps suis legibus teneatur* - - - - 142
Art. II. *An, & in quo subsint Episcopis Regulares* - - 147
Art. III. *An Clerici legibus civilibus subdantur* - - - 160
APPENDIX *De immunitate* - - - - - - - - - 161
Art. I. *De immunitate in genere* - - - - - - ibid.
Art. II. *De personali Clericorum immunitate* - - - 162
Paragraphus I. *De causis Clericorum* - - - - ibid.
Paragr. II. *De conditionibus in Clerico requisitis, ut fori privilegio gaudeat* - - - - - - - 169
Art. III. *De immunitate reali* - - - - - - - 180
Art. IV. *De immunitate locali* - - - - - - - 182
Paragr. I. *De variis summorum Pontificum constitutionibus immunitatem localem concernentibus* - - - 183
Paragr. II. *De locis quibus competit immunitas* - - 187
Paragr. III. *De personis, quae gaudent immunitatis privilegio* 193
Paragr. IV. *De criminibus exceptis, seu de criminosis, qui ab Ecclesiae immunitate excluduntur* - - 197
Paragr. V. *De effectibus immunitatis* - - - - 208
Paragr. VI. *De peccatis, & poenis violantium immunitatem* 211
Paragr. VII. *De modo extrahendi reos ab Ecclesia, aliisque locis immunibus* - - - - - - 212
Art. V. *De peregrinis, advenis, & vagis* - - - 216
CAP. V. *De legum promulgatione, & acceptatione* - - 222
Art. I. *De qualitate promulgationis ad legem requisita* - ibid.
Art. II. *De legum acceptatione* - - - - - 228

INDEX DISSERTATIONUM ETC.

CAP. VI. *De vi & efficacia legis humanae* - - - - - 232
Art. I. *An leges humanae obligent in conscientia* - - ibid.
Art. II. *An lex fundata in praesumtione obliget* - - 234
Art. III. *De natura obligationis orta ex lege humana* - 237
Art. IV. *De legis contemptu* - - - - - - - 243
CAP. VII. *De modo, quo observandae sunt leges* - - - 246
CAP. VIII. *De legum humanarum renuntiatione* - - - 257
CAP. IX. *De legum humanarum interpretatione* - - - 261
Art. I. *De interpretationis definitione, & divisione* - - ibid.
Art. II. *De regulis interpretationis* - - - - - 264
Art. III. *De aequitate, seu epichia* - - - - - - 270
Paragr. I. *Æquitatis regulae a jure canonico haustae* - 274
Pragr. II. *Regulae e jure civili selectae* - - - 277
Paragr. III. *Sententiae ex diversis Marci Tullii libris collectae* 279
CAP. X. *De legum humanarum abrogatione, & cessatione* - 283
Art. I. *De humanarum legum abrogatione* - - - ibid.
Art. II. *De cessatione legis humanae* - - - - 287
CAP. XI. *De quibusdam legibus peculiaribus poenali scilicet, irritante, & tributorum* - - - - - - - - 290
Art. I. *De lege poenali* - - - - - - - ibid.
Paragraphus unic. *De modo, quo leges ad poenam obligant* 294
Art. II. *De lege irritante* - - - - - - - 298
Art. III. *De lege tributorum* - - - - - - - 305
CAP. XII. *De juris, & facti ignorantia* - - - - - 311
CAP. XIII. *De consuetudine* - - - - - - - 322
Art. I. *De conditionibus ad consuetudinem requisitis, ut vim legis habeat* - - - - - - - - - - 323
Art. II. *De effectibus consuetudinis* - - - - - - 330
Consuetudines abrogatae ex libris Gregorii Papae IX., Sexto, Clementinis, & Extravagantibus prout referuntur ab Ubaldo Giraldi - - - - - - - - - - 334
Aliae consuetudines abrogatae ex decreto Gratiani - - 336
Aliae consuetudines abrogatae ex decretis Ss. Congregationum juxta seriem annorum emanatis - - - - - - 340
CAP. XIV. *De privilegiis* - - - - - - - - 341
Art. I. *De modis, quibus acquiritur, vel amittitur privilegium* 345
Art. II. *De modis, quibus privilegium amittitur* - - 348
Art. III. *De privilegiorum interpretatione* - - - 359
Art. IV. *De privilegii effectibus* - - - - - - 362

Digitized by Google

Commentarium de Legibus opera, & studio Viri Clar. Amplissimi Taurinensis Theologici Collegii Doctoris, nec non praestantissimi Collationum Moralium in Seminario Moderatoris, ac Ven. Seminarii Pro-Rectoris D. D. JOSEPHI ANTONII ALASIA compositum, jubente Rev. Patre M. Vincentio Maria Carras SS. Inquisitionis Vicario, a capite ad calcem summo animi mei oblectamento lustravi sedulo, & attente perspexi: Nihilque offendi, quod orthodoxae fidei, honestisque moribus vel minimum adversetur: quin immo potius ipsum acri judicio conceptum, stylo eleganti exaratum, ac sicut in caeteris, ita & praesertim in iis, quae utriusque ecclesiasticae nimirum, & civilis potestatis jura, prout nostrarum Ditionum concordata, & consuetudines ferunt, explicanda respiciunt, evolvendis, eruditione, doctrina, methodo, ac diligentia maxima lucubratum inveni. Dignum propterea censeo, ut ad insignem Auctoris gloriam, necnon communem utilitatem publicam lucem aspiciat: si tamen videbitur &c.

Dabam Taurini in aedibus s. Theresiae hac die octava julii anno 1782.

Fr. CAROLUS FRANCISCUS a s. Dorothaea
Carmelita Excalc. S. Th. L.

Attenta praemissa attestatione, imprimatur

Fr. VINCENTIUS MARIA CARRAS Ord. Praed., S. T. M., Vic. Gen. S. Officii Taurini.

LAURENTIUS CONTERNUS Col. Th. P. & Rector.

V. se ne permette la stampa

GARRETTI DI FERRERE per la Gran Cancelleria.

Digitized by Google

DE LEGIBUS
LIBER PRIMUS

SUMMARIA

1. Assignatur ratio, ob quam inchoanda sit potius Theologia moralis a commentario de legibus; quam de actibus humanis.

PROEMIUM

Plurium consuetudo est, qui morum doctrinam commentariis illustrare adgressi hactenus sunt, ut de humanis actibus primum sermonem instituant; quam quidem tantorum virorum agendi rationem insectari nolumus; nobis tamen potius a commentario de legibus initium esse ducendum arbitramur. Enim vero humani actus a Theologis moralibus perpenduntur hac una certe de caussa, quia scilicet aliqua moralitate donati concipiuntur, ut intelligatur, quando turpes ii sint, & iniqui, quando honesti, & recti; & sic in ferendo de illorum pravitate, vel bonitate judicium nemo decipiatur; verum moralitas esse non potest nulla supposita lege; ex una convenientia cum ipsa, vel ab eadem discrepantia turpitudo, vel honestas exurgit. A legibus itaque nostram auspicantes orationem nullius nos censuram incurrere arbitramur, quinimo recte nos facere doctiores saltem existimaturos esse, jure confidimus. Ut autem omnium utilitati consulamus, quae ex accurata rerum distributione, perspicuoque ordine plurimum enascitur, universam de legibus tractationem dissertationibus quatuor persequemur. Legem generatim sumptam in prima perpendemus; agemus in altera de lege aeterna, & naturali; hanc tertia excipiet de lege divina; subsequetur postrema de lege humana.

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

DE LEGE GENERATIM ACCEPTA.

SUMMARIA

1. *Exponitur hujusce dissertationis divisio.*

1. Quum hic nonnisi ea attingenda sint, in quibus leges omnes conveniunt, de legis vocabulo primum sermo erit: tum ad rem accedentes, in ejus inquiremus naturam: generalem partitionem subjiciemus deinde; caussas, actus, effectusque demum explicabimus.

CAPUT I.

De legis vocabulo, variis acceptionibus, & nominibus.

SUMMARIA

1. *Sanctus Thomas, aliique legis vocabulum, seu etymologiam a ligando dictam volunt.*
2. *Sanctus Isidorus a legendo.*
3. *Sanctus Augustinus, Cicero, pluresque ab eligendo.*
4. *Lex varias habet acceptiones.*
5. *Lex variis nominibus donatur.*

1. Variae circa legis originem circumferuntur sententiae. S. Thomas a ligando legem dictam existimat (1); eo quod subditos obligat ad agendum. Praeter alios in hanc quoque sententiam concessit Clitovaeus ex Cassiodoro (2). In hujus confirmationem opinionis ea Psalmi proferuntur: *dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum* (3); tum ea Jeremiae: *rupisti vincula mea, & dixisti: non serviam* (4).

(1) 1. 2. *q.* 90. *art.* 1.

(2) *Ad lib.* 4. *Damasceni de fide cap.* 23.

(3) *Psalmo* 2. *v.* 3.

(4) *Cap.* 2. *v.* 20.

2. A legendo legis vocem derivatam censuit Isidorus (1), quoniam lex scribitur, & legenda proponitur. Derivatio tamen hujusmodi in omnem legem non quadrat; nec enim lex naturalis, vel nova ab initio charta, & atramento exarata est.

(1) *Lib.* 2. *originum cap.* 10.

3. S. Augustinus ab eligendo appellatam voluit: *legem* (1), inquit, *a legendo, idest ab eligendo latini auctores appellatam esse dixerunt*; in quam sententiam ante Augustinum abiit Romanus Orator inquiens (2): *legem illi graeco putant nomine a suo cuique tribuendo appellatam, ego nostro a legendo; nam sicut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus.* Hac etiam in opinione caeteris missis versatur inter recentiores in sua etymologia Gerardus Vossius.

(1) *Q.* 20. *in Leviticum.*

(2) *Lib.* 1. *de legibus.*

4. Lex varias habet acceptiones. Accipitur enim primo pro inclinatione ad aliquid. Hinc Paulus concupiscentiam legem appellat inquiens: *video aliam legem in mem-*

Digitized by Google

bris meis repugnantem legi mentis meae (1).

(1) *Rom.* 7. *v.* 23.

Secundo, pro termino cujuscumque rei: *quando certa lege, & gyro vallabat abissos ..... legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*: ita in proverbiis (1).

(1) *Cap.* 8. *v.* 29.

Tertio, pro conditione adjecta contractui, ut cum dicitur contraho tecum ea lege, ut hoc, vel illud facias.

Quarto, pro quacumque regula sive bonum, sive malum praescribente; hoc sensu artium tum liberalium, tum mechanicarum praecepta, & jussa Tyrannorum leges appellantur, quamvis iniqua sint; in quae invehit Isaias his verbis; *vae qui condunt leges iniquas* (1).

(1) *Cap.* 10. *v.* 1.

Quinto, pro opere ipsa lege praescripto. Quapropter Christus Judaeos arguens, quod opera legis non exercerent, ait: *nemo ex vobis facit legem* (1).

(1) *Joann.* 7. *v.* 19.

Sexto, pro libro legem continente, & secundum hanc acceptionem dicimus legem veterem, legem novam.

5. Lex humana variis nominibus appellatur. Aliquando enim vocatur jus, eo quod definiat id, quod justum est. Aliquando constitutio; eo quod constituat, quid sit faciendum. Aliquando *statutum*, eo quod per ipsam statuatur aliquid stabile, ac firmum. Aliquando *sanctio*; eo quod poenam sanciat non obtemperantibus. Aliquando vocatur *edictum* (1), seu *lex edictalis* (2), lex nempe motu proprio a Principe ad commune subditorum bonum lata; atque huc pertinet titulus codicis de edicto D. Adriani tollend. Aliquando *decretum*, seu sententia, quam Princeps caussa cognita inter litigantes pronuntiat, quamque jubet pro lege communi observari (3). Aliquando *rescriptum*, seu Principis placitum ad aliorum preces emanatum (4). Si hujusmodi rescripta obtineantur a privatis, dicuntur *adnotationes*, vel *subnotationes* (5); si a Magistratibus *epistolae seu litterae* (6); si ab aliqua universitate, vel collegio *pragmaticae sanctiones* (7). Demum mandatum, quod Princeps Praesidibus dat ad gubernandam suam provinciam (8).

(1) *L.* 1. §. 1. *de constit. Princ.*

(2) *L.* 6. *cod. de secund. nupt.*

(3) *L.* 12. *cod. de legib.*

(4) *L. ult. cod. de div. rescript.*

(5) *L.* 1. *cod. de prec. Imperat. offer.*

(6) *L.* 6. §. 3. *de offic. Procons.*

(7) *L.* 7. §. 1. *cod. de div. rescript.*

(8) *Tot. tit. cod. de mand. Princip.*

CAPUT II.

SUMMARIA

1. *Legis definitio traditur.*
2. *Explicatur primum definitionis verbum.*
3. *Explicatur secundum verbum.*
4. *Ex triplici capite leges justae sunt.*

5. *Erravit Monteſquius aſſerens leges non ad aequitatis regulas, ſed ad clima eſſe accommodandas.*

6. *Erravit pariter Macchiavelli, dum ſcripſit rem, & publicum bonum Principem cogere ad fidem laedendam, caritatem, humanitatem cum religione negligendam.*

7. *Explicatur tertium definitionis verbum.*

8. *In dubio, an lex lata ſit ob bonum publicum, ſervanda eſt.*

9. *Solvitur objectio contra tertium definitionis verbum.*

10. *Principes in bona ſubditorum abſolutum non habent dominium; unde ea tollere non poſſunt, niſi bonum Reipublicae id exigat.*

11. *Leges abſque religione non ſufficiunt ad bonum publicum promovendum.*

12. *Colliguntur plures legis proprietates.*

13. *Explicatur quartum definitionis verbum.*

14. *Explicantur poſtrema definitionis verba.*

15. *Promulgatio ad eſſentiam legis non pertinet.*

16. *Solvitur objectio.*

17. *Promulgatio diverſa eſt pro diverſitate legum.*

18. *Scriptura ad legem non eſt neceſſaria.*

19. *Multipliciter diſtinguitur lex a praecepto.*

20. *Legiſlatores abſtinere debent a multitudine praeceptorum.*

1. Inquirentes in legis naturam ea quammaxime nobis probatur legis definitio tradita a D. Thoma (1): lex eſt, inquit, *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis promulgata*. Singula verba evolvamus.

(1) 1. 2. *q.* 9. *a.* 4.

2. Dicitur primo *ordinatio*, quia ordinat, & praeſcribit normam actionibus humanis; quum enim illae conſtituantur in ordine morali per legis directionem; nam ubi non eſt lex, nec ibi praevaricatio eſſe poteſt (1), erunt ad ipſam legem tamquam ad normam componendae, cui, ſi congruant, bonae, ſi repugnent, malae exiſtent.

(1) *Ad Rom.* 4. *v.* 15.

3. Dicitur ſecundo *rationis*, quia legis eſt praeſcribere non quaecumque, ſed quae juſta ſunt, & a ratione dimanant. Recte Auguſtinus (1): *lex eſſe non videtur, quae juſta non fuerit*; quod docuit & Cicero (2) ſcribens: *ergo eſt lex* „ juſtorum, „ injuſtorumque diſtinctio ad illam „ antiquiſſimam, & rerum omnium „ principem expreſſa naturam, ad „ quam leges hominum diriguntur.

(1) *Lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 1.
(2) *Lib.* 2. *de leg.*

4. Triplici ex capite leges juſtae dicuntur, 1. ex fine, 2. ex auctore, 3. ex forma. Audiatur Angelicus (1) ſingula accurate oratione ſua illuſtrans: *leges juſtae dicuntur primo* „ ex fine, quando ſcilicet ordinan„ tur ad bonum commune, 2. ex „ auctore, quando ſcilicet lex lata

Digitized by Google

„ non excedit potestatem ferentis, „ 3. ex forma, quando scilicet secundum aequalitatem proportionis „ imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune. Quum „ enim unus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum „ quod est, & quod habet, est „ multitudinis, sicut & quaelibet pars „ id quod est, est totius; unde & „ natura aliquid detrimenti infert „ parti, ut salvet totum; & secundum hoc leges ejusmodi onera „ proportionaliter inferentes justae „ sunt, & *obligant in conscientia.*

(1) 1. 2. *q.* 96. *art.* 4.

5. Hinc pronum est colligere turpem in errorem lapsum Montesquium (scriptorem per omnium fere ora nimio cum honore volitantem), dum climati tantum deferendum esse existimavit, ut hujus potius, quam aequitatis a legislatore habendam esse rationem velit. Scribit namque (1) in Anglia merito suicidium non puniri: si plures (2) foeminae in aliqua sint regione, quam masculi, plures ab uno viro foeminas duci posse; apud Malabaras vice versa plures viros unam habere posse uxorem. Nemo est, qui celebratissimo auctori deneget prudentem legislatorem ad clima quoque attendere debere, ad subditorum indolem, atque ingenium, unde videmus apud varias nationes licet honestas, & cultas non eandem esse legislationem.

(1) *Spirito delle leggi lib.* 14. *cap.* 12.
(2) *Ibidem lib.* 16. *cap.* 2. 4. & 5.

Verum non ita ei indulgendum erit, ut aequitas, & honestas legibus violetur, quinimo iisdem curandum, ut sensim climatis ingeniorum vitia minuantur, ac tandem penitus auferantur. Utcumque perversus influxus sit, quem super homines habeat clima, quis nesciat sapientibus praeceptis, optima legum institutione corrigi posse? Id experientia rerum magistra extra omnem dubitationis aleam ponit. Quot morum mutationes factas fuisse nos docet historia, quot quotidie invehi hac nostra cernitur aetate. Id animadvertit jam Horatius dum ita cecinit (1):

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem accommodet aurem.

Consentit quoque Seneca dum scripsit (2): *nihil etiam est* „ tam difficile, & arduum, quod non hu„ mana mens vincat, & in familia„ ritatem perducat assidua medita„ tio: nullique sunt tam feri, & sui „ juris adfectus, ut non disciplina „ perdomentur.

(1) *Lib.* 1. *cap.* 1. *epist.*
(2) *Ep.* 116.

Et sane, quum natura, ejusque auctor suicidium improbet, permittendum nullibi suicidium est; licet ibi quodam ferme agantur furore homines, sed propositis poenis eorum curanda insania. Et re quidem vera non nostra voluntate, atque virtute in hunc mundum adducti sumus, sed divina; Dei ergo, non nostrum est

Digitized by Google

nos ex hoc mundo dimittere. Egregie Cicero: (1) „ *ni enim Deus*, istis „ te corporis custodiis liberaverit, „ huc tibi aditus patere non potest . . . . quare & tibi, & piis „ omnibus retinendus est animus in „ custodia corporis, nec injussu ejus, „ a quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est. Ne „ munus humanum assignatum a Deo „ defugisse *videamini*. Et ut egregie argumentatur Pythagoras (2), sicut peccat miles, qui absque jussu Imperatoris de praesidio, & statione decedit, vel servus, qui seipsum occidit, ut sic evadat servitium domini sui, ut praeclare quoque disserit Plato (3): ita in Deum ipsum peccare censendus est, qui absque Dei voluntate ex hoc mundo discedit, atque semetipsum interimit. Nulli quoque permittendum quaecumque sit mulierum prae viris multitudo, ut ab istorum uno plures ex illis ducantur, quum Deus mulierum poligamiam recentioribus saeculis prohibuerit. Multoque minus erit indulgendum, ut plures viri matrimonio cum una muliere copulentur; quippe in conjunctione hac maxima cernitur turpitudo naturae, estque praecipuo societatis bono contraria.

(1) *In somno Scipionis.*

(2) *Apud Cic. de senect.*

(3) *In Phaed.*

6. Nec minus pinguis error est Machiavelli ita Principem alloquentis (1): *saepe res, & publicum bonum te cogunt fidem laedere, caritatem, humanitatem cum religione negligere*; quasi vero bonum publicum non possit consistere cum legis justitia, & Religione, quum tamen justitia legis sit id ipsum, quod ad publicum bonum conducit, & religio, caritas, & humanitas sint societatis, & ejusdem boni firmum, & inconcussum fundamentum. Deme a Principe hasce virtutes, quot inde mala in Rempublicam redundarent. Quisque enim Principis exemplum sequens fidem quoque violaret, caritatem, humanitatem cum Religione negligeret, & sic societas, quae ex hisce virtutibus fovetur, & alitur, omnino everteretur.

(1) *Lib. cui tit.* Princeps *cap.* 18.

7. Dicitur tertio *ad bonum commune*, quia lex *nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta esse debet* (1). Hac de re veluti vulgata, & inconcussa apud omnes loquitur Tullius (2): *constat*, ait, *profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum, & quietam, & beatam conditas esse leges.*

(1) *Can. erit* 2. *distinct.* 4. *cap. cum de diversis de privil. in* 6.

(2) *Lib.* 1. *de leg.*

8. Dum vero affirmamus naturam legis exigere, ut ad bonum publicum sit ordinata, nec viam dissidiis, & contentionibus aperimus, nec rebellionum in Principes semina jacimus. Quemadmodum enim in dubio, an lex justa sit, ita in dubio, an sit ordinata ad bonum publicum, ad hoc ordinata juxta sanioris aethices,

Digitized by Google

& Theologiae regulas censeri debet, siquidem legi, dum aliquod oritur dubium, potius favendum est, quam libertati; & non est populi in leges inquirere, sed obedire; praesertim cum absque temeritate non esset hujusmodi inquisitio; soli quippe summi Imperantes una cum imperii administris proprii status vident necessitatem, soli proinde vident quidquid ad publicam securitatem sit necessarium. Praeclare propterea Augustinus (1) ait: *in temporalibus legibus . . . . quando sunt institutae, & firmatae non licebit de his judicare, sed secundum ipsas.*

(1) *De vera relig. cap.* 11.

9. Nec dicas plures esse leges bonum privatum, non vero commune respicientes, quales sunt leges pro pupillis, pro minoribus, militibus, Magistratibus, judicibus &c. tantum latae; deinde quodlibet privilegium legem particularem appellari (1), licet in bonum tantum privilegiati, non vero commune cedat. Enim vero leges, ut vere proprieque leges sint, non requiritur, ut respiciant singulos de communitate, sed satis est, ut quamdam universitatem perstringant; laudatae autem pupillorum, militum, aliorumque leges non attendunt bonum cujuslibet personae singularis, quatenus talis est, sed quatenus inducit rationem communem pupilli, minoris &c.. Expedit enim reipublicae bono, quod pupillorum, & minorum bona in tuto sint, quod militum praeclara facinora remunerentur; ut sic in civitate plures ad magna subeunda incitentur, idem de caeteris esto judicium.

(1) *Can. privilegia* 3. *dist.* 3.

Quod pertinet ad privilegium, fateor legem appellari posse, si pro aliquo genere personarum latum sit, quia tunc bonum commune respicit cujusdam universitatis, si autem sit pro singulari persona concessum, a lege propria distingui, quum in hoc casu bonum speciale, non vero commune attendat.

10. Turpiter allucinantur, qui Principes ita dominos subditorum suorum constituunt, ut in eorum bonis absolutum obtineant dominium; ideoque possint illa in propriam utilitatem convertere, legesque ferre ad unum proprium commodum ordinatas. Hinc in Genesi (1), priusquam Joseph Aegyptiorum bona Pharaoni emeret, non legimus ab hoc super illa exercitum fuisse tamquam in vere propria dominium; legimus e contrario apud Ezechielem (2) graviter pastores reprehendi, qui pascebant semetipsos; tum etiam (3) *non accipiet Princeps de haereditate populi per violentiam, & de possessione eorum, sed de sua possessione haereditatem dabit filiis.* Hinc refractariis Achab, & Jezabel, qui vineam Naboth per vim abstulerant, gravissimam poenam comminatus est Deus (4). Mittimus, quod statutum in concilio Toletano est (5): *Reges nulla vi*, aut factione scripturarum, vel definitio-

Digitized by Google

„ num qualiumcumque contractus a „ subditis exigant, neque sint pro- „ spectantes proprii jura commodi, „ sed consulentes patriae, *atque genti.* In hoc sane, ut post Aristotelem (6) cum omnibus Ecclesiae patribus animadvertit Basilius vere magnus (7), in hoc a Tyranno distinguitur Rex, *quod ille sua ipsius quomodocumque, & undecumque respicit, hic subditis consulere tantum quaerit.* Si dubium porro oriatur, (quod jam monitum est, repetere tamen juvat) an sua lege Princeps jus alterius laedat, semper judicandum erit numquam laedere, ne eo quidem in casu, quo in concessionibus adsint *clausulae: motu proprio, vel aequivalentes* (8). Quamvis autem non possit Princeps subditorum bona in propriam convertere utilitatem, nemini tamen dubium esse potest ei competere eminens dominium, vi cujus possit de bonis civium disponere, prout exigit bonum publicum, modo tamen damnum ipsis illatum compensetur.

(1) *Cap.* 41.
(2) *Cap.* 34. *v.* 2.
(3) *Ezech. cap.* 46. *v.* 18.
(4) 3. *Reg. cap.* 21.
(5) 8. *Conc. cap.* 10.
(6) *Lib.* 8. *Æthic. cap.* 10. *&* 3. *pol. cap.* 5.
(7) *Hom.* 12. *in cap.* 1. *prov.*
(8) §. *ult. instit. de just.*, *& jur.*

An leges humanae satis superque sint ad bonum publicum promovendum absque religione.

11. ℟. Satis non esse; homo enim religione destitutus, quum pro objecto suarum operationum suam tantum utilitatem, & delectationem habeat, leges quidem servabit, si id ferat suum commodum, secus eas se observare simulabit, ut effugiat poenas: sub legum imperio, inquit Cicero (1), legis transgressor tunc solum punitur, quando astutia caruit ad eludendas leges. Humanae ergo leges absque religione bonos non efficiunt homines, sed hypocritas.

(1) *De legibus lib.* 1. *n.* 14.

Satis, inquies, consuli poterit bopublico, si multiplicentur leges pro criminum multitudine, illaeque gravibus onerentur poenis.

℟. Impossibile in primis est, ut tot edantur leges, quot sunt crimina Reipublicae noxia: 2. leges etiam usque in infinitum multiplicatae omnes casus praevidere non possunt, & licet eos praevidere possent, multitudo tamen legum bono publico magis noceret, quam prodesset. In Japonia plurimae sunt leges, & quidem ita severae, ut leviora delicta morte etiam puniantur, nihilo tamen minus, ut observat Montesquius (1), nulla natio est, in qua tot scelera, & quidem enormia committantur: 3. etiamsi pro quovis delicto sua assignetur poena gravissima, quum haec non possit infligi nisi in delicta publica, quisquis sine religione vivens, in quaevis immania, sed occulta crimina proruet.

(1) *Spirito delle leggi lib.*6. *c.*10., *& lib.* 12. *cap.* 17.

Digitized by Google

Penes eos populos, repones, in quibus Religio viget, gravissima in dies committuntur crimina; fateor: at haec crimina in Religionem tamquam in caussam refundenda non sunt; Religio enim vim legibus non adimit, imo potius eas servandas esse decernit, gravesque in altera vita ab earum transgressoribus poenas subeundas esse statuit. Profecto si non obstante hac Religionis doctrina tot committuntur crimina; quanto majora ablata Religione essent futura: continuum sane esset bellum saltem occultum.

Sed fac leges satis esse, ut privati in officio contineantur, at hae leges sine religione Principes ipsos a quavis iniquitate committenda continere non poterunt: *quando fosse inutile*, dice Montesquieu (1), *che i sudditi* avessero una Religione, nol „ sarebbe che l'avessero i Principi, „ e che di bianca schiuma bagnassero il sol morso, che aver possono coloro, i quali non temono „ le umane leggi. Un Principe, che „ ama la Religione, e la teme, è „ un leone, il quale piegasi alla „ mano, che lo liscia, o alla voce, „ che lo placa: colui, che teme la „ Religione, e che l'odia, è come „ le bestie selvagge, le quali mordono la catena, che l'impedisce „ dall'avventarsi ai passaggieri: colui, che non ha Religione, è quel „ terribile animale, che non sente „ la sua libertà, se non quando „ *sbrana, e divora*.

(1) *Spirito delle leggi lib.* 24. *cap.* 2.

Io non vorrei aver che fare, così scrive l'autore del dizionario Filosofico (1), *con un* Principe Ateo, il „ quale trovasse suo interesse nel „ farmi pestare in un mortajo; son „ ben sicuro, che vi sarei pestato. „ Io non vorrei, se fossi Principe „ aver che fare con corteggiani Atei, „ l'interesse de' quali fosse di avvelenarmi: mi converrebbe prendere „ a casa del contraveleno ogni giorno. E' dunque assolutamente necessario per i Principi, e per i „ Popoli, che l'idea d'un Ente „ supremo creatore, governatore, rimuneratore, e vendicatore sia profondamente scolpita *nelle menti*.

(1) *Dizionario Filosofico art.* Atei.

12. Ex eo autem quod ad bonum commune directa esse lex debeat, plures nascuntur ejusdem proprietates, 1. oportet, ut sit possibilis; praesertim quia impossibilium nulla est obligatio (1). 2. Congruens loco, & temporis, hominumque qualitati (2). 3. Evidenter utilis, vel necessaria (3). 4. Perspicua, ne propter ejus obscuritatem capriose possit, & perperam intelligi; unde legis transgressioni facilis pateret aditus (4). 5. Tandem perpetua; non quidem perpetuitate, ut inquiunt, *positiva*, quasi sit legi essentialis, (si legem aeternam, & naturalem excipias), sed *negativa* in hoc sita, quod non expiret morte legislatoris, sed tamdiu duret, quamdiu communitas, nisi mutatis circumstantiis inutilis, vel noxia

evadat (5); alioquin si non cessante utilitate abrogaretur, in damnum Reipublicae istiusmodi abrogatio vergeret, quum tamen ejus bonum debeat Princeps & intendere, & procurare.

(1) *Lege impossibilium* 185. *ff. de reg. jur.*

(2) *Can. sciendum*; *can. regulae*: *can. necesse est dist.* 29.

(3) *Can. regulae dist.*29. *lege ergo* 40. *ff. de leg. l.* 2. *ff. de const. Principum*, *ubi dicitur*: quod in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debeat.

(4) *Cap. Abbates* 25. §. *contra de verb. signif. & l.* 3. *ff. de reb. dubiis.*

(5) *Cap. ult. de officio legati.*

13. Dicitur quarto ab eo, qui curam habet communitatis; nam 1. leges, prout distinguuntur a praeceptis, nonnisi communitati imponi possunt, quia (1) *jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* 2. leges ferri non possunt nisi ab eo, qui habet potestatem jurisdictionis (2), idest vel ab ipsa communitate, vel ab eo, qui curam habet communitatis. Porro potestas jurisdictionis in statu monarchico residet penes Principem, in aristocratico penes Optimates, in democratico penes plebem.

(1) *L.* 8. *ff. de leg.*

(2) *Arg. cap. ut animarum* 2. *de constit. in* 6.

Communitas autem duplex est, perfecta una, imperfecta altera. Prima sufficit ad assequendum finem, ad quem instituta est, nempe ad conciliandam, servandamque felicitatem publicam, ut regnum, Ecclesia, Provincia, quae sit sui juris. Censetur autem communitas sibi sufficiens ad suum finem consequendum, si potestate gaudeat instituendi Magistratus, qui lites, controversiasque dirimant, refractarios coërcendi, transgressores puniendi per exilium, mortem &c. Imperfecta vero vocatur, quae per se finem suum assequi non potest, uti familia, parochia. Jam vero ad solam communitatem perfectam pertinet leges proprie dictas condere, non vero ad imperfectam, quae ex se non potest efficere, ut subditi in officio contineantur, & leges executioni mandentur.

14. Demum dicitur promulgata: nempe enuntiata, & manifestata iis, a quibus servari debet (1); alioquin subditi ab observatione legis merito excusarentur ob ignorantiam.

(1) *Cap.* 1. *de concessione praeb. in* 6. *ibi*: lex seu constitutio, & mandatum nullos obstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem; *cui concinit lex* 9. *cod. de leg.*

15. Quamquam promulgationis, in definitione legis mentio injiciatur; non ea tamen hujus essentiam spectat. Non defuere viri gravissimi, qui in opposita versati sententia sunt, verum nos promulgationem esse tantum legis conditionem probabilius arbitramur essentialiter quidem requisitam, ut actu obliget. Enim vero

Digitized by Google

lex est regula, & mensura actuum humanorum (1); & ex D.Thoma (2) eodem modo se habet promulgatio ad legem, sicuti applicatio regulae, & mensurae ad regulatum, & mensuratum; atqui applicatio regulae & mensurae ad regulatum & mensuratum ad essentiam regulae, & mensurae non pertinet; ergo nec promulgatio ad legis essentiam. Habet ergo lex ex se vim obligandi, quamvis non obliget, nisi posita promulgatione; sicuti voluntas habet totam vim appetendi objectum, illud tamen non appetit, nisi ab intellectu ipsi proponatur; unde sicuti fieri non potest, ne per divinam quidem omnipotentiam, ut voluntas tendat in objectum ipsi non propositum, ita fieri non potest, ut lex obliget, nisi subdito sit promulgata. Caeterum, quemadmodum propositio objecti facta voluntati est tantum conditio, sine qua voluntas objectum non appetit, ita pariter promulgatio est tantum conditio, sine qua lex actu non obligat.

(1) *L. Nam.* 2. *ff. de leg.*

(1) 1. 2. *q.* 90. *art.* 4.

16. Neque aliquid nobis negotii facessit quod Gratianus ait: leges nempe institui cum promulgantur (1), vel promulgationis in allata legis definitione expressam injici mentionem, quum in definitione ea tantum, quae ad essentiam pertinent, poni debeant. Non primum; nam leges institui dicuntur, cum promulgantur, quia tunc solum completum, & ultimum assequuntur effectum, qui est subditos actu obligare ad ea praestanda, quae legibus praescribuntur, minime vero quatenus promulgatio ita necessaria sit, ut ea remota nullam lex habeat vim obligandi. Non alterum, quis nesciat in definitionibus, quaedam aliquando poni, quae rei definitae essentialia non sunt, ut clariores evadant? Sed haec attigisse sufficiat, tanti siquidem non est hujusmodi quaestio, ut diutius in ea immorari debeamus.

(1) *Can. in istis dist.* 4.

17. Promulgatio legi necessaria, non quidem, sicut dictum est, ut vim obligandi habeat, sed ut actu obliget, non eadem est, sed diversa pro legum diversitate. Sic lex aeterna, & naturalis unicuique promulgatur per lumen in cordibus nostris signatum, lex divina positiva aliquando per interiorem instinctum, ut tempore legis, quae naturae appellatur, modo per externam propositionem, & cum solemnitate, ut lex Mosaica in Monte Sina, lex evangelica die Pentecostes. Lex etiam humana usu sic obtinente semper ubique cum aliqua solemnitate promulgatur.

18. Usu pariter receptum est, ut lex scripto mandetur; non id quidem necessarium est, sive natura rei consideretur, nam legislatoris voluntas voce potest sine scripto manifestari, sive ad jus positivum attendatur, quippe contrarium potius traditur tum in jure canonico (1), tum

Digitized by Google

in jure civili (2). Attamen congruens est quammaxime, siquidem, quum lex debeat esse permanens, & stabilis, evidenter patet ejus firmitati, ac durationi magis consuli, si scripto consignetur.

(1) *Can.* 7. 25. *q.* 2.

(2) §. *Sed & quod instit. de jur. nat. gent. & civ.*

19. Satis jam nobis legis proprietates evolvisse, ac explicasse videmus, quae huc usque a nobis allata sunt, si quis perpenderit, legem cum praecepto non confundet, sed unum ab alia in pluribus discriminari cognoscet. Et 1. quidem lex fertur a persona publica in universam communitatem (1); praeceptum vero a persona privata in singulares personas, uti a domino in servum. 2. Lex ad futuras etiam personas dirigitur, praeceptum ad solas praesentes. 3. Praeceptum expirat morte praecipientis (2), unde, si superior alicui prohibuisset domus cujusdam ingressum sub poena excommunicationis, Superiore mortuo nulla innodatur censura, etsi domum illam frequentet, quamvis idem maneat finis praecepti. At lex etiam mortuo legislatore viget, & obligat, nisi vel ab habente auctoritatem revocata fuerit, vel per contrariam legitimam consuetudinem, aut materiae mutationem, aut cessationem finis adaequati fuerit ablata (3). 4. Demum lex immediate afficit territorium, mediate vero personas ibi existentes (4); quare lex non obligat eum, qui e communitatis finibus excesserit, nisi aliunde fictione juris praesens adhuc censeatur, vel nisi in fraudem legis excesserit, ut suo loco dicemus. Praeceptum vero immediate afficit personas, eorum ossibus, ut morales Theologi loquuntur, adhaeret; proinde si Sacerdos a superiore fuerit suspensus, nec in aliena Dioecesi poterit missam celebrare.

(1) *L.* 1. *ff. de leg.*

(2) *L. mandatum cod. mandati.*

(3) *Arg. cap. nemini de officio legati, & cap. ex rescripto de locato.*

(4) *Cap. ut animarum* 2. *de const.*

20. Item ad ea, quae persecuti hactenus sumus, quicumque attenderit, sapienter scriptum a S. Thoma (1) intelligit: *Praelati abstinere debent a multitudine praeceptorum.* Plurimae conditiones, quum ad legem requirantur, admodum difficile est, ut in multiplicatis legibus singula reperiantur; quod quidem eventus saepe demonstrat. Hinc fit, ut plurima statuta eadem facilitate, qua feruntur, eadem quoque evanescant, non tantum quia subditis durae cervicis imponuntur, verum etiam saepe, quia destituta conspiciuntur aliqua ex conditionibus, ad legem requisitis.

(1) 2. 2. *q.* 105. *art.* 1. *ad* 3.

Digitized by Google

CAPUT III.
De generali legis partitione, ejusque caussis, actibus, atque effectibus.

SUMMARIA

1. *Lex dividitur in aeternam, naturalem, divinam, & humanam.*
2. *Hujusce divisionis ratio assignatur.*
3. *Natura hominis legem aliquam expostulat.*
4. *Quatuor sunt legis caussae.*
5. *Lex pertinet tum ad intellectum, tum ad voluntatem.*
6. *Objectio solvitur.*
7. *Non sunt confundendi actus legis cum ejus effectibus.*
8. *Quatuor tantum sunt actus legis praecipere nempe, prohibere, permittere, & punire.*
9. *Solvitur prima objectio.*
10. *Solvitur altera objectio.*
11. *Non omnis lex singulos hujusmodi actus habet.*
12. *Duo numerantur legis effectus, bonitas nempe subditorum, & eorumdem obligatio.*
13. *Singulae leges hominem absolute, & simpliciter bonum non efficiunt.*
14. *Obligatio subditorum in conscientia necessario profluit ab ipsa lege.*
15. *Obligatio subditorum petenda est ex legitima auctoritate.*
16. *Refutantur ii, qui aliunde, quam a legitima auctoritate repetendam censent subditorum obligationem.*

1. In naturalem, & positivam prima, & generalis est legis partitio. Illa, si in Deo consideretur, *lex eterna*; si in homine *lex naturae, aut naturalis* nuncupatur. Altera vero, si a libera Dei voluntate proficiscatur, *divina*, si ab hominibus, *humana* vocatur. Habes hic quadruplicem legem *aeternam* scilicet, *naturalem*, *divinam*, & *humanam*. Quid unaquaeque sit, inferius suis locis aperiemus, & subdivisiones, quibus duae postremae subsunt, exhibebimus. Interim notissimus auctor audiatur quadruplicis allatae legis congruentem rationem assignans.

2 *Duplex est hominis societas*, inquit „ ille (1), *alia cum Deo*, alia cum „ homine; atqui neutra sine praedi- „ ctis legibus foveri potest. Non pri- „ ma, nam ut foveatur societas ho- „ minis cum Deo, necessaria est in „ Deo lex aeterna, & in homine „ lex naturalis; aeterna quidem in „ Deo secundum quam velit, ut „ homo numquam ab ordine aber- „ ret. Naturalis vero in homine, „ qua ipsi intimetur, & nota fiat „ haec Dei voluntas, qua item bo- „ num a malo discernat .... quum „ autem homo non naturalem tan- „ tum, sed & supernaturalem cum „ Deo societatem habeat, necessa- „ ria fuit lex supernaturalis, qua „ ad finem supra intellectus, & vo- „ luntatis suae vires positum diri- „ geretur interius, & exterius; & „ haec est lex, quam divinam vo- „ camus. Non secunda, ut enim fo- „ veretur hominis cum homine so- „ cietas, debuit id omne averti, quo

Digitized by Google

„ pax humana perturbari posset; ergo „ necessarium fuit, ut obviam iretur dolis, & fraudibus, ut certae „ contractibus apponerentur conditiones, ut improbi poenis crimini „ suo proportionatis punirentur.... „ atqui ad hoc necessariae erant humanae leges; lex enim naturalis „ haec omnia non praescribit, quae „ vero ex iis praescribit, non praescribit semper modo evidenti, & „ qui ab omnibus percipi facile possit. Hucusque Petrus Collet.

(1) *Cap. 1. de leg. circa finem.*

3. Ex his facile colligitur hominis naturam legem aliquam exposcere; sed juverit alias etiam rationes addere. Enim vero homo ita a natura comparatus est, ut non possit non appetere propriam felicitatem, ex qua omnes appetitiones, & volitiones originem ducunt, at homo per quamcumque viam tendere non potest, ac pervenire ad hanc felicitatem, sed solum per media ad eam conducentia; indiget ergo aliqua lege, qua dirigatur in mediis eligendis, ne aberrando eam felicitatem amittat, cujus appetitionem, & volitionem in semetipso extinguere non potest; unde consequitur hominem ex hoc ipso etiam lege obligari ad agendum. Etenim homo felicitatis consecutionem aspernari prorsus, ac respuere nullo modo potest; ergo obligatur lege ad ea eligenda media, quae ad eam conducunt. Deinde natura e nihilo educta est, ideoque in nihilum tendit, & in errores labi, & vitia potest; indiget ergo lege, qua vitia declinet.

4. Ad caussas legis quod spectat, eae quatuor recensentur: nempe efficiens, materialis, formalis, & finalis. Prima est ille omnis, qui perfectae communitati praeest. 2. Est ipsius legis objectum, seu quidquid lege praescribitur. 3. Verba sunt, quibus lex exprimitur. 4. Demum finis est, ob quem lex fertur, seu bonum commune.

5. Haec inconcussa sunt apud omnes. Quaesitum olim a scholasticis est, an lex ex parte legislatoris considerata ad judicium pertineat, an ad voluntatem. Non in eandem omnes abiere sententiam. Licet parvi momenti quaestionem hanc existimemus, ut tamen, quod sentimus, libere proferamus, paucis dicimus ad utrumque pertinere. Nam in legislatore duo consideranda sunt primo judicium, quo judicat bono publico vel utile, vel etiam necessarium esse, ut haec, vel illa subditi praestent, vel ab iis abstineant. Secundo decretum, quo statuat, ut subditi judicium illud exequantur, si enim decretum hujusmodi semoveas, regulam habebis, cui erit quidem vis dirigendi, minime vero obligandi, ut attendenti fit manifestum; lex autem regula directiva solummodo non est, sed simul obligationem inducens. Quapropter lex suo in auctore considerata tum ad hujus intellectum, tum ad voluntatem referenda est. Quod insuper confirmatur iis scripturae locis, qui-

bus quisque scholasticorum pro sua opinione pugnabat. Siquidem David (1) legem Dei appellat *praeceptum lucidum illuminans oculos*, *lucernam* dicit; sic enim Deum alloquitur (2): *lucerna pedibus meis verbum tuum*, *& lumen semitis meis*; manifestum est autem *illuminare* ad intellectum pertinere; lex ergo ad intellectum referenda est. At idem regius Psaltes de Deo sermonem habens, qui Israelitis legem suam dederat, inquit (3): notas fecit vias suas *Mosi*, *filiis* Israel *voluntates suas*, & alibi ait: „ *in capite* libri scriptum est de me, „ ut facerem voluntatem tuam, Deus „ meus volui, & legem tuam in „ medio *cordis mei* (4). Itaque ex divinarum scripturarum loquendi ratione lex etiam spectat ad voluntatem. En ita divina eloquia specie contraria facillime, vereque composita.

(1) *Psal.* 18. *v.* 9.
(2) *Psal.* 118. *v.* 105.
(3) *Psal.* 102. *v.* 7.
(4) *Psal.* 39. *v.* 9.

6. At inquies: lex definitur ordinatio rationis, non voluntatis, unde S.Thomas (1) *imperare*, asserit *essentialiter actum rationis*. Verum fatemur & nos legem esse ordinationem rationis non cujuscumque, sed practicae, cujus proprium munus est dirigere, & docere, & imperare; imperium autem non elicitur ab intellectu, nisi praecedat voluntatis motio, a qua suam omnem vim, & efficaciam haurit movendi ad exercitium; ex quo consequitur rationem practicam includere non solum actum intellectus, sed etiam voluntatis; inde est, ut in sacris litteris divinae leges saepe Dei voluntas nuncupentur.

(1) 1. 2. *q.* 17. *art.* 1.

7. Scholastici actus legis cum ejusdem effectibus passim confundunt, ut in ipsorum operibus paululum versatus quisque cernit; nos distinguendos esse arbitramur, & revera distinguimus. Aliud sane est, quod lex, ut ita dicam, agit, aliud, quod vi ejusdem inducitur in subditos.

8. Non nulli Theologi quinque recensent legis actus, quos vulgato versiculo complectuntur.

Praecipit, ac prohibet, permittit, punit, honorat.

Aliter tamen sensit Modestinus inquiens: *legis virtus haec est imperare*, *vetare*, *permittere*, *punire* (1). In Jurisconsulti sententiam descendit Angelicus, ac ita ratiocinatur: *quidam actus* sunt boni ex genere, qui „ sunt actus virtutum, & respectu „ horum ponitur legis actus praecipere, vel imperare. Praecipit enim „ lex omnes actus virtutum .... quidam vero sunt actus mali ex genere suo, sicut actus vitiosi, & „ respectu horum lex habet prohibere. Quidam vero ex genere suo „ sunt actus indifferentes, & lex habet permittere .... id autem per „ quod inducitur lex, ad hoc quod „ sibi obediatur est timor poenae, & „ quantum ad hoc ponitur ... punire (2).

(1) *L. Legis virtus* 7. *ff. de leg.*
(2) 1. 2. *q.* 92. *art.* 1.

Digitized by Google

9. Istiusmodi quatuor actus, actus legis vocantur, non quod a lege eliciantur, quia quum lex non sit habitus, neque potentia, eos elicere non potest, sed dicuntur actus legis, quia ex his quodammodo integratur. Quintum actum, qui *honorare* dicitur, cum laudatis Theologis non adjungit Angelicus: *quia* (ejus verba sunt) (1) *praemiare potest ad quemlibet pertinere*, *sed punire* (gravi nempe poena, uti exilio, mutilatione, morte) *non pertinet*, *nisi ad ministrum legis*, *cujus auctoritate poena infertur*. His adde, quod punitio moderata, quae ad parentes pertinet, in tantum ad eos pertinet, in quantum ipsis a lege permittitur, quum punitio coërcendi potestatem requirat, quae instituta societate a lege in parentes descendere debet, non item liberalitas in praemio largiendo. Adde insuper & istam rationem, nempe quia lex praemio non indiget, ut homines ad officium impellat, bene vero poena. Egregie Hesiodus: *si quid est*, *quod tutos reddat cives*, *est cri-*
„ *minosos* homines societati noxios
„ severissimis poenis punire: nam
„ & hac ratione etiam innocentes
„ aliorum poena territi peccare
„ certe non audebunt: tolle e ci-
„ vili societate poenas, ea citissi-
„ me ruet.

(1) *Ibid. in resp. ad* 3.

10. Ugo Grotius (1), ac Puffendorfius (2) censent permissionem non esse actum legis, quia posito praecepto, vel prohibitione, statim intelligitur quid sit permissum. Verum si accurate rem totam investigemus, inveniemus permissionem, seu facultatem agendi, vel non agendi originem habere ex ipsa lege. Enim vero actiones nostrae deliberatae constituuntur in ordine morali per relationem ad ipsam legem; ergo habent a lege, ut sint bonae, vel malae, vel permissae; ergo sicut praeceptum, & prohibitio sunt actus legis, ita & permissio. Ex permissione facultas moralis, adeoque verum jus agendi, vel non agendi inde oritur, cui respondet in aliis vera obligatio non impediendi, quominus eo jure quisque utatur. Quod jus, quaeve obligatio ex aliquo sane positivo actu legis manare debet, unde merito Barbeyracius, & Burlemaquius (3) sententiam Grotii, ac Puffendorfii dereliquerunt.

(1) *De jure belli*, *& pacis. cap.* 1. *num.* 9.

(2) *De jur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 6. §. 15.

(3) *Princip. du Droit naturel. part.* 1. *cap.* 10.

11. Dum vero cum Modestino docet D. Thomas legis esse: *praecipere*, *prohibere*, *permittere*, *punire*, non sentit unamquamque legem singulos hujusmodi actus habere, sed nullam esse, quae vel non praecipiat, vel non prohibeat, vel non permittat, vel non puniat. Quamquam, si de lege aliqua generali sermo sit, aeterna scilicet, naturali,

Digitized by Google

divina, humana, quum omnes ordines sibi convenientes sub se quaeque contineat, harum unicuique in communi cuncti enumerati superius actus sunt adscribendi.

12. Legis effectus duo communiter numerantur, nempe subditorum bonitas, & eorumdem obligatio. *Voluntas legislatoris*, inquit Aristoteles (1), *haec est, ut faciat homines bonos.* Philosopo subscribit Doctor Aquinas (2). Et sane lex ordinatio rationis est ad bonum commune; ejus ergo officium erit homines cum auctoritate dirigere ad ea sectanda, quae rationi consentanea sunt, & ad bonum commune conducentia; atqui haec sectando non potest homo non bonus evadere; legis ergo effectus est hominum bonitas.

(1) 1. *Æth. cap.* 4.

(2) 1. 2. *q.* 92. *art.* 1.

13. Sed dum dicitur lege hominem bonum effici, non ita intelligendum est, quasi singulae leges hominem absolute, & undequaque bonum reddant; nam id praestant solum lex aeterna, naturalis, & divina, prout omnia Dei, & naturae praecepta complectuntur, quibus observatis certe homo undequaque bonus efficitur, Deo gratus, ejusque filius adoptivus evadit. Si particularia tamen harum praecepta inspicias, quae totidem & ipsa leges sunt, eo tendunt, ut hominem faciant bonum non secundum omnem virtutem, & honestatem, sed secundum aliquam solum rationem boni, & honestatis. Ex. gr. lex praecipiens, ut suum unicuique tribuatur, hominem reddit bonum in materia justitiae, & aequitatis. Lex autem humana efficit hominem bonum non absolute, sed in ordine ad societatem, scilicet bonum civem; ut quis talis sit, sufficit, ut pareat legibus, quae bonum commune societatis spectant, etiamsi malo fine id faciat.

14. Alter legis effectus, ut diximus, est obligatio subditorum ad ea praestanda, quae legibus praescribuntur, qui effectus ita necessario cum lege conjunctus est, ut quamvis superior vellet quidem obligare, sed non in conscientia, ab hac tamen obligatione immunis subditus esse non potest; est quippe juris naturalis principium Superiori legitime praecipienti in conscientia obtemperandum esse. Porro lex praecipiens obligat subditum ad praestandum id quod praeceptum est, prohibens ad omittendum quod prohibetur, permittens, ne actus permissus impediatur (1), irritans, ne actus irritatus pro valido alteri objiciatur: denique lex poenalis obligat judicem ad poenam infligendam, & reos ad eam subeundam; unde omnis lex semper in conscientia obligat ad aliquid praestandum, vel omittendum.

(1) *Ut patet ex titulis ff. & cod. si quis aliquem testari prohibuerit.*

Sed undenam, inquies, oritur in subditos obligatio?

15. Facilis & expedita responsio est, nempe repetenda ea est ex suprema, ac legitima jubente auctori-

Digitized by Google

tate, seu quod idem est, ex jure praecipiendi. Posita enim in uno legitima auctoritate seu jure praecipiendi, necessario in altero consequitur obtemperandi obligatio; quum jus, & obligatio sint correlativa.

16. Hinc mirum clarissimos viros, doctrina, eruditioneque praestantes in varias discrepantesque abiisse sententias; &, quod potius est, vel motiva aliquando impia, vel medium, quo quaedam obligationes cognoscuntur, cum ipsius obligationis fonte confudisse. Si quidem Wolfius (1) a voluptate, utilitateve obligationem repetere videtur. Burlemaquius (2) rationem tamquam obligationis fontem assignat: hanc ponit Thomasius (3) in spe, ac metu: in metu solum Schmausius (4): in desiderio beatitudinis Gastrellus Anglus Episcopus (5). Joannes Hooke demum ex determinatione naturae, & spe obtinendae felicitatis, vitandaeve miseriae obligationem derivat (6). Verum quis non videat voluptatem, utilitatem, spem felicitatis, metum mali motiva solummodo esse impellentia, ut lex observetur, minime vero obligationem inducentia. Determinatio autem naturae & ipsa quid aliud est, quam caussa prae caeteris urgens ad agendum, vel omittendum, quod lege vel praescriptum, vel vetitum est? Ratio demum, ne ipsa quidem assignari pro principio potest, ex quo obligatio fluat; namque lumen ea est, quo obligationes lege naturali, & aeterna inductae nobis innotescunt, sicut revelatio lumen alterum est, quo cognoscimus, ad quid vi legis positivo-divinae teneamur, & promulgatio est medium, quo vincula, quibus ob humanas leges obstringimur, nobis manifestantur. Distincta autem sunt, & plane diversa, obligationis principium, ex quo ipsa nascitur, & medium, quo detegitur. Remanet ergo quod dicebamus, scilicet obligationem ex suprema, ac legitima auctoritate proficisci. His de lege generatim sumpta expositis, de aeterna lege, ac naturali sermonem adgredimur.

(1) *Inst. juris naturae.*

(2) *Princ. du droit de nature part.* 1. *chap.* 5.

(3) *Fundam. jur. natur.*, *& gen. lib.* 1. *cap.* 7.

(4) *Neves systema des rechis des natur. cap.* 3. §. 7. 8.

(5) *Lib.* 1. *cui titulus veritas, certitudo, & necessitas religionis cap.* 2. §. 8.

(6) *Æthic. elem. sect.* 2. *n.* 2.

DISSERTATIO II.

DE LEGE ÆTERNA ET NATURALI.

SUMMARIA

1. *Series rerum tractandarum exponitur.*

CAPUT I.

Legis aeternae doctrina exponitur.

1. *Traditur definitio legis aeternae, atque quomodo se habeat ad creaturas, tum rationales, tum irrationales, explicatur.*
2. *Lex aeterna duplici modo considerari potest,* passive & active.
3. *Exponitur, in quo lex aeterna differat a Dei idea, & providentia.*
4. *Existentia legis aeternae in genere ostenditur.*
5. *Existentia legis aeternae respectu tantum creaturarum rationalium demonstratur.*
6. *Lex aeterna vere, & proprie lex est.*
7. *Refutatur Thomasius asserere legem aeternam esse Scholasticorum commentum.*
8. *Inducitur Thomasius sibi ipsi contradicens.*
9. *Immerito Thomasius legem aeternam homini ficto comparat.*
10. *Imponit Scholasticis Thomasius, dum scribit doctrinam de lege aeterna a Scholasticis traditam aliquid analogi habere cum doctrina de materia prima Deo coaeterna.*
11. *Falso doctrinam de aeterna lege a Scholasticis traditam fatalismi accusat Thomasius.*
12. *Lex aeterna, quoad naturas rationales necessario, quoad irrationales libere se habet.*
13. *Creaturae irrationales nunquam recedunt ab ordine divinae sapientiae.*
14. *Lex aeterna respectu creaturarum irrationalium est quidem directiva, non vero praeceptiva.*
15. *Lex aeterna est prima actionum humanarum regula; at nulla est independenter ab aeterna lege moralitas fundamentalis, & objectiva.*
16. *Peccatum non est quid fictitium, & imaginarium.*
17. *Bonum consistit in ordinis conservatione, malum in ejusdem ordinis perversione.*
18. *Ex relatione ad ordinem naturalem cognoscitur moralitas actionum humanarum.*
19. *Actio congruens rationi erranti, semper mala est.*
20. *Lex humana fluit a lege aeterna.*
21. *Fluit etiam lex divina.*
22. *Fluit demum lex naturalis.*
23. *Idipsum ratione ostenditur.*
24. *Tribus modis leges omnes ab aeterna dimanant.*
25. *Objectiones proponuntur.*
26. *Respondetur ad primam.*
27. *Respondetur ad secundam.*
28. *Respondetur ad tertiam.*
29. *Respondetur ad quartam.*
30. *Creaturae omnes aeternae legi subjiciuntur.*

Digitized by Google

31. *Deus non subditur legi aeternae.*
32. *Objectio solvitur.*

1. Eo devenit quorundam elapso seculo scriptorum impietas, quorum triginta ab hinc annis summopere auctus est numerus, ut Calliclis, Archelai, Aristippi, Epicuri turpissimos diu jam obsoletos errores renovaverint: alii a privata utilitate, vel a bono publico: alii a pactis, aut ab opinione omnem legem, omnemque, quae in actionibus humanis est, moralitatem derivantes: nemo enim ignorat, qualis fuerit Hobbesii, Spinosae, Rosseau, Helvetii, aliorumque nostrae aetatis improbissimorum hominum sententia; tantam insaniam, quae cujusque legis eversio, & societatis est, hac dissertatione curandam suscipimus: quare capite primo legis aeternae accuratam notionem exhibebimus, & existentem demonstrabimus, & corollaria, quae inde fluunt, non omittemus. Hanc legem universis hominibus capite secundo participatam evincemus, ejusque consectaria persequemur; demum in ejusdem legis participatae, seu legis naturalis proprietates inquiremus.

CAPUT I.

Legis aeternae doctrina exponitur.

1. Lex aeterna a s.Thoma (1) definitur: *ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva actionum, & motionum creaturarum in ordine ad bonum commune totius universi*: porro lex aeterna dirigit omnes creaturas modo sibi convenienti: irrationales, imprimendo illis propensionem, qua necessario cooperantur ordini, quem Deus in universo constituit; rationales vero, indendo ipsis instinctum servandi ordinem naturalem, seu ordinem, quem naturae rerum expostulant, vel quod idem est ordinem suis attributis, & perfectionibus congruentem, atque necessario conjunctum; ut sic eum sequendo conferant ad bonum commune totius universi. Deus enim a lata aeternitate perfecte cognoscens essentiam suam tum in se, tum prout est aliquomodo ab humana natura participata, vidit ordinem, quem sua natura requirebat: vidit insuper naturam humanam ratione, & libertate praeditam capacem esse servandi hunc ordinem: quare quum Deus ordinem suae naturae, suisque perfectionibus necessario cohaerentem respuere non possit, alium ordinem naturae humanae imprimere non potuit; alioquin si eum ordinem humanae naturae non praestituisset, se suamque naturam non dilexisset, quo nihil dici potest absurdius. Hinc intelligitur quare ab Augustino (2) lex aeterna definiatur; *ratio divina ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.*

(1) 1. 2. *q.* 93. *art.* 1. *in corp.*
(2) *Lib.* 22. *contra Faustum.*

2. Ut clarius percipiatur definitio, lex aeterna sub duplici respectu con-

siderari potest: primo *passive* pro ipsa directione creaturarum, & intimatione creaturis rationalibus facta; & hoc pacto non est aeterna, sed temporalis: secundo *active* seu ex parte Dei; & sic est aeterna in supremo Principe existens.

3. Differt lex aeterna a Dei idea; & providentia: & primo ab idea Dei, quia idea Dei versatur circa rerum creationem: unde est exemplar rerum creandarum; lex vero aeterna respicit earum gubernationem; unde est ordo rerum gubernandarum; a providentia, primo quia lex aeterna respicit bonum commune totius universi, providentia bonum singulare cujusque creaturae. Secundo, quia lex aeterna habet vim obligandi, non vero providentia. Tertio providentia respicit legem, sicut conclusio principium universale; unde providentia supponit legem aeternam, in cujus dictamine res singulares regit, ac moderatur, non sic autem lex aeterna.

4. Legis aeternae existentiam hisce verbis ostendit s. Thomas (1): „ nihil „ aliud est lex, quam dictamen pra„ cticae rationis in Principe, qui „ gubernat aliquam communitatem „ perfectam. Manifestum est autem, „ supposito quod mundus divina pro„ videntia regatur, quod tota com„ munitas universi gubernatur ratio„ ne divina; & ideo ipsa ratio gu„ bernationis rerum in Deo sicut in „ Principe universitatis existens le„ gis habet rationem. Et quia di„ vinae rationi nihil convenit tem„ pore, sed habet aeternum conce„ ptum: inde est, quod hujusmodi „ legem oportet dicere aeternam. Et sane, quid aliud innuunt rerum creatarum pulchritudo, & constantissimarum legum, quibus orbis hujus physici ordo continetur, aptitudo, nisi ordinem divinae sapientiae, qua universa regit, & moderat.

(1) 1. 2. *q.* 91. *art.* 1.

5. Legem hanc aeternam existere respectu creaturarum rationalium sic etiam ostendi potest. Deus est summa bonitas: necessario ergo amat bonum, malum aversatur: ipsa justitia est, itaque non potest non probare quae aequa sunt, ac improbare iniqua: est prima veritas; hanc ergo ex necessitate sequitur, mendacium odit; est uno verbo ipsamet sapientia, ordinem igitur ex vi suae naturae diligit, perturbationem vero detestatur, & improbat; quum ergo Deus necessario suas perfectiones diligat, debuit quoque creaturis rationalibus ordinem suis attributis, & perfectionibus respondentem imponere. Hanc legem agnoverunt, & ipsi gentiles; nam Tullius ita scribit (1): „ hanc igitur video sapientissimo„ rum fuisse sententiam, legem, ne„ que hominum ingeniis excogita„ tam, neque scitum aliquod esse „ populorum, sed aeternum quid„ dam, quod universum mundum „ regeret imperandi, prohibendique „ sapientia .... erat enim ratio pro„ fecta a rerum natura, & ad re„ cte faciendum impellens, & a de-

Digitized by Google

„ licto avocans, quae non tantum „ denique incipit lex esse cum scri- „ pta est, sed tum cum orta est; „ orta autem simul est cum mente „ divina.

(1) *Lib.* 2. *de leg.*

6. Lex aeterna vere, & proprie legis rationem habet: lex enim est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis promulgata: porro lex aeterna est ordinatio rationis, quum non possit nisi justa., seu ordini divinae sapientiae incommutabili consentanea praecipere: est quoque ad bonum commune, quod ex conservatione ordinis naturalis consurgit, ex ejusdem perversione concidit: est nobis promulgata per legem naturalem, quum lex naturalis nihil aliud sit, *quam legis aeternae in hominum mente transcriptio*, ut ait, Augustinus (1), & inferius ostendetur: & licet ab aeterno non fuerit promulgatio perfecta, & completa, fuit tamen sufficiens ad rationem legis, quia ad legem non requiritur promulgatio, qua cognoscatur a creatura actu existente, sed qua possit cognosci, cum creatura existet, ut patet in legibus humanis, quae promulgantur non solum praesentibus, sed etiam futuris: est demum ab eo, qui curam habet communitatis, a Deo scilicet, qui quum sit rerum omnium creator, est etiam earumdem gubernator, easque omnes in fines suos dirigit. Quare Augustinus (2) asserit legem aeternam esse *rationem in mente Dei existentem, qua res omnes per congrua media in fines suos ordinantur, & diriguntur*.

(1) *Lib.*83. *quaestionum quaest.*53.

(2) *Lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 6.

7. Porro non nisi impie nunc dixeris cum Thomasio (1) legem aeternam *scholasticorum esse figmentum*, a vera lege differre, non secus ac homo pictus a vero, expositam de ea doctrinam *aliquid analogi habere*, seu quid commune *cum doctrina gentium*, *in physicis quidem* cum doctrina de materia prima Deo coaeterna, in moralibus vero cum doctrina de fato. Primo enim ante Scholasticos sapientissimi, quos aurea aetas tulerat, viri, legem aliquam existentem affirmarunt; *lex*, inquit Tullius (2), *quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta* Patres etiam omnes optimi sicuti divini juris, ita, quidquid obganniant Aetherodoxi, naturalis interpretes, priusquam Theologia Scholastica orietur, de lege aeterna locuti sunt, & ita, ut qui eam ignoraverit, tamquam stupidum, brutumque eum habuerint: *lex, quae summa ratio nominatur, non potest cuipiam intelligenti non immutabilis, atque aeterna videri*, ita instar omnium Augustinus (3); unde apparet, quam falso aeterna lex Scholasticorum commentum a Thomasio appelletur.

(1) *Juris div. lib.* 1. *cap.* 1. §.31.

(2) *Lib.* 1. *de leg.*

(3) *Lib.*1. *de lib. arb. cap.*6.

8. Sed quid veterum testimonia producuntur? Atheus profecto sit oportet, qui legem aeternam inter commenta recenseat; nec enim ratio divinae sapientiae, quae directiva sit omnium actuum naturae rationali convenientium, detrahi Deo potest, quin ipsi quoque existentia detrahatur. Id vel Thomasius vidit, unde ad legis aeternae acceptionem in sensu Scholasticorum attendens, haec haud sibi constans scripsit (1): *quum enim per eam* (nempe legem aeternam) *intelligant justitiam divinam*, vel totum naturae ordinem divina voluntate, & decreto institutum, quis haec omnia, nisi Atheus crassissimus, asseret esse ex non existentibus?

(1) *In dissertat. proemiali* §. 39.

9. Patet hinc etiam, quam immerito homini ficto Thomasius aeternam legem comparaverit. Quid enim est lex? ab Imperatore sane statutus ordo vim habens obligandi: at divinae sapientiae ratio, prout directiva est actionum naturae rationali convenientium, certe ordo supremi imperantis est, necessarius, & ex se obligationem inducens. Ab aeterno quidem istiusmodi ordo, quum nullum sane extaret subjectum, nullam obligationem inducebat, attamen jam tunc vim habebat in se obligandi, quod ad rationem legis satis est, ut constat ex numero 6., & aliunde actualis obligatio, ut dissertatione prima vidimus, ad essentiam legis non pertinet.

10. Quum Deus in omnibus sit sibimet ipsi lex, ejusque proinde divinae sapientiae ratio, etiam prout est directiva actionum naturae rationali ex se convenientium, non sit nisi ipse Deus; manifestum est nequissime Scholasticis imponere Thomasium, dum scribit doctrinam de aeterna lege ab ipsis traditam cum Aethnicorum doctrina de materia Deo coaeterna aliquid analogi habere; nam Aethnici materiam Deo coaeternam admittentes aliquid ponebant, quod a tota aeternitate extra Deum esset; verum ex doctrina Scholasticorum nil simile elici potest, quum expresse profiteantur non esse legem aeternam quid reapse a Deo distinctum, sed ratione tantum juxta nostrum concipiendi modum.

11. Non nisi etiam per summam calumniam Scholasticos fatalismi Thomasius accusat. Etenim stoici fati patroni hoc supra Jovem constituebant, illudque solum, quod fato determinatum erat, efficere posse existimabant; Scholastici legem aeternam Deo superiorem non effingunt, neque extra Deum ponunt, nec nisi ratione distinguunt; quod si velit Thomasius Deum ob legem aeternam fato obligari, quia recedere ab illa non potest, ergo, inquiam ego, Deus fato existit, justus, sapiens est, non enim potest ille non existere, non diligere justitiam, ordinem non amare. Non itaque fato Deus, sed ratione sui ipsius, quae omnibus creaturis rationalibus vera lex est, a qua caeterae leges dimanant, obligatur.

Digitized by Google

12. Ex tradita hactenus de aeterna lege doctrina consequitur primo legem aeternam respectu creaturarum rationalium immutabilem esse; quia quum Deus ex Apostolo Paulo (1) negare semetipsum non possit, vult, ut creaturae rationales servent illum ordinem, qui necessariam habet cum suis attributis connectionem; quare Augustinus ita scribit (2): „ lex, „ quae summa ratio nominatur, cui „ semper obtemperandum est, non „ potest cuipiam intelligenti non in„ commutabilis, aeternaque videri..... „ ea est, qua justum est, ut omnia „ sint ordinatissima. Scite etiam Cicero scripsit (3): *huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest.* At ratio divina ad ordinem rerum ratione carentium libere se se habet; sicut enim liberrima voluntate corporibus ex. gr. caelestibus eum, quem habent, ordinem, statuit; ita eadem, ei excipere potest, exceptumque aliquando fuisse, puta solem cursum mutasse suum, sacra historia testatur, quinimo, ut sana docet Philosophia, mutare valet, & tollere.

(1) 2. *Ad Thim.* 2. *v.* 13.

(2) *Lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 6.

(3) *De Repub. lib.* 1. *fragment.*

13. Non inde tamen sequitur creaturas irrationales, dum agunt contra proprium instinctum, & propensionem sibi inditam, puta cum per miraculum ex. gr. corpus in aere immotum manet, deflectere ab ordine divinae sapientiae; sed id solum colligitur ordinem divinae sapientiae velle, ut craeturae irrationales contra innatum sibi principium agant, quia hoc magis in datis circumstantiis conferre potest ad gloriam Dei, spiritualem hominum salutem, bonumque universi promovendum.

14. Consequitur secundo legem aeternam respectu creaturarum irrationalium esse quidem directivam, quia a Deo recipere possunt, & revera receperunt propensionem, & principium, per quod modo sibi convenienti ad fines suos dirigantur, non esse tamen praeceptivam, quia creaturae irrationales obligationis, & obedientiae incapaces omnino sunt.

15. Consequitur tertio legem aeternam esse primam honestatis actionum humanarum regulam; sicut enim Deus est prima causa rerum omnium, a qua dependent, tum quoad existentiam, tum quoad operationem, ita lex aeterna est regula, & mensura actionum humanarum, a qua pendere debent quoad bonitatem, & rectitudinem; neque enim extra Deum ulla esse, aut concipi norma potest, ad quam exactae actiones bonae sint, & honestae, quum Deus sit fons, & origo totius honestatis. Hinc falluntur, qui facta a lege aeterna praecisione in actionibus humanis quibusdam moralitatem supponunt fundamentalem, & objectivam sitam in natura humana. Immutabilis ille ordo divinae sapientiae, de quo superius locuti sumus, est totum fundamentum moralitatis, neque enim natura hu-

mana, praescindendo ab illo ordine, aliquid in se habet, ex quo moralitas oriatur, quia in tantum actiones conformes, vel difformes naturae humanae bonae sunt, vel malae, in quantum congruunt, vel repugnant ordini divinae sapientiae. Et re quidem vera unde nam cognoscitur actiones quasdam habere moralitatem fundamentalem, & objectivam, non aliunde sane, quam ex ipsamet recta ratione: seu quia contrariae deprehenduntur, vel congruentes rationi; at ratio ipsa est participatio legis aeternae; ergo independenter a lege aeterna nulla est moralitas, ne fundamentalis quidem, in actionibus humanis. Praeclare Cicero (1): *ergo est lex justorum, injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam, & omnium Principem expressa naturam.* Verum si quis velit admittere moralitatem fundamentalem hoc sensu, quatenus actiones quaedam concipiuntur consentaneae, vel dissentaneae ordini divinae sapientiae, antequam intelligantur a Deo praeceptae, vel prohibitae, non repugnaverim.

(1) *Lib. 2. de leg.*

16. Consequitur 4. peccatum esse admittendum, seu aliquid divinae voluntati contrarium; quum enim Deus non possit non approbare ordinem suae sapientiae, videamusque saepe saepius homines hunc ordinem perturbare & pervertere, Deique propterea voluntati contradicere: fit inde manifestum peccatum non esse quid fictitium, & imaginarium, ut nonnulli increduli commenti sunt; nec audiendi sunt increduli, dum dicunt Deum, utpote provisorem generalem, velle peccatum; ideoque illud esse non posse suae voluntati contrarium. Nam ex eo quod Deus sit provisor generalis, colligitur quidem Deum permittere, & tolerare peccatum, neutiquam vero illud probare; seu velle illud voluntate permissionis, non vero voluntate approbationis. Etenim Deus creavit hominem, ut sua libertate utendo sibi aeternam compararet felicitatem, futurum alioquin, ut ab ea deficeret, & aeternum mereretur supplicium, si sua libertate abutendo viam ingrederetur ordini divinae sapientiae contrariam; ergo ad Deum, utpote provisorem generalem, pertinebat hominem relinquere in manu consilii sui, nec ejus libertatem evertere; at inde non consequitur Deum probare ea, quae homo agit contra ordinem suae sapientiae (implicat enim Deum diligere ordinem suae sapientiae, & probare ea, quae sunt illi contraria) sed tantum ea tolerare, & permittere, ne aliquid efficiat contra ordinem suae sapientiae, quo voluit hominem absolute liberum relate ad suam aeternam felicitatem, vel miseriam.

17. Consequitur quinto bonum consistere in ordinis conservatione, malum vero in ordinis perversione: unde peccatum definitur ab Augustino (1), *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam Dei*, seu

contra ordinem naturalem. Dantur quidem peccata contra legem positivam; at posita lege positiva ordo ab illa statutus evadit naturalis, seu necessario congruens ordini divinae sapientiae, qui exigit, ut superiori legitime praecipienti obedientia praestetur.

(1) *Lib.* 22. *contra Faustum.*

18. Consequitur sexto ea, quae ordini divinae sapientiae necessario congruunt, bona esse; quae ei repugnant, mala; quae congruunt quidem, sed non necessario, consilii esse, non praecepti; quae eidem ordini nec congruunt, nec repugnant, esse indifferentia.

19. Consequitur septimo actionem humanam congruentem rationi erranti, sive vincibiliter, sive invincibiliter, bonam non esse; etenim actio bona est, quae congruit ordini divinae sapientiae, seu ordini naturali; at actio congruens rationi erranti, sive vincibiliter, sive invincibiliter congruere quidem creditur ordini divinae sapientiae, revera tamen non congruit, unde bona non est; eo pari modo, quo auricalcum longe distat ab auri natura, etsi aurum quoad colorem appareat.

20. Consequitur octavo omnem legem sive naturalem, sive positivam a lege aeterna derivari; nam, ut a positiva humana ordiamur, primo Scriptura de aeterna sapientia, quae idem est cum aeterna lege, sic (1) loquitur: *per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Ab aeterna ergo sapientia, seu ab aeterna lege Principes habent potestatem justa decernendi. Secundo Augustinus asserit nihil justum esse in humanis legibus, quod ab aeterna non derivetur: *simul etiam*, inquit ille (2), *te videre arbitror in illa temporali* (lege) *nihil esse justum, atque legitimum, quod non ex hac aeterna sibi homines derivaverint.* Et alio loco (3) sic etiam scribit; " conditor „ legum temporalium si vir bonus „ est, & sapiens, illam ipsam con„ sulit aeternam, de qua nulli ani„ mae judicare datum est, ut secun„ dum ejus incommutabiles regulas, „ quid sit pro tempore jubendum, „ vitandumque discernat. Haec vero S. Doctoris verba ita intelligenda sunt, non quod omnes legum latores, ut recte se se gerant, legem aeternam in se ipsa, seu prout est in Deo, consulere debeant; etenim ita spectata impossibilis cognitu est, sed sufficit, quod in aliqua ipsius participatione eam consulant; qui sane ad rectam actionem attendit, censendus est legem aeternam consulere, quae per rationem nobis, ut ita dicam, loquitur, nosque in exequendis operibus dirigit.

(1) *Prover.* 8. *v.* 15.

(2) *Lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 6.

(3) *Lib. de vera relig. cap.* 27.

21. Non solum lex positiva humana, sed etiam divina, ab aeterna dimanat: *ut altiori modo*, scribebat Angelicus (1), *dirigatur homo in ultimum finem superadditur lex divinitus data, per quam lex aeterna al-*

tiori modo participatur; ratio enim divinae sapientiae est veluti lex justitiae, secundum quam voluntas divina in legum positivarum constitutione justitiam accipit, et rectitudinem. Hic altior modus, ut Sylvii verbis utar, in eo consistit, partim quia lex divina immediatius manat ab aeterna, utpote a Deo data, et dictata, partim quia ejus obligatio immediatius est ab auctoritate divina, partim etiam, quia nulli justitiae, ac errori obnoxia ea est.

(1) 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. *ad* 1.

22. Legem vero naturalem ab eodem fonte, ac positivae leges sive Dei, sive hominum sint, proficisci, res adhuc evidentior est, siquidem, ut inquiebat Augustinus (1), ipsa nihil aliud est, *quam legis aeternae in hominum mente transcriptio*; seu, ut inquit Angelicus (2), *participatio est legis aeternae in natura rationali*.

(1) *Lib.* 83. *quaestionum quaest.* 53.

(2) 1. 2. *q.* 91. *art.* 2.

23. Quod de unaquaque lege ostensum mox est, generalibus argumentis conficitur, unde cum scholasticis ita ratiocinamur. A prima caussa omnia moventur, & ab una arte omnes aliae procedunt (1), igitur suprema, aeternaque lex caeterarum erit fons, et origo. Deinde ea, quae sunt per participationem, ab eo proficiscuntur, quod est per essentiam; sic omnia entia physica participata derivantur ab ente, quod est ens per essentiam, seu ens ex se, & independens ab alio: atqui leges omnes inferiores sunt leges per participationem; lex autem aeterna est sola lex per essentiam; ergo ab hac suam originem repetunt caeterae leges.

(1) *Aristoteles* 1. *aethic.*

24. Tribus autem modis omnes leges ab aeterna dimanant. Primo, ut cum laudato Sylvio loquar, ab ea derivantur, ut ab exemplari, cum nulla lex sit justa, nisi imitetur aeternam, eique conformetur. Secundo derivantur ab ea, ut ab efficiente, quatenus omnis potestas inferiorum legislatorum datur illis per legem aeternam. 3. In quantum lex aeterna mediante lumine rationis, vel fidei praecipit, vel approbat, ut aliquae leges fiant, eaeque tales, & tales pro diversitate temporum, locorum, & personarum.

25. Sed inquies: extant leges iniquae; *at lex aeterna .... ea est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima* (1). 2. Leges, quae populo regendo scribuntur, recte multa permittunt, quae lege aeterna prohibentur. 3. Leges humanae sibi invicem passim opponuntur. 4. Obligatio, quam inducunt leges humanae, est ex humano jure, divino autem jure obligat lex aeterna. Demum haec immutabilis est, illae mutantur; ergo non omnes leges ab aeterna proficiscuntur.

(1) *Augustinus lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 6.

26. Priora duo sibi objecit Divus Thomas (1): ad primum autem ita respondet: " lex humana in tantum

„ habet rationem legis, in quantum „ est secundum rationem rectam, et „ secundum hoc manifestum est, quod „ a lege aeterna derivatur; in quantum vero a ratione recedit, sic „ dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis, sed magis violentiae cujusdam: et tamen in ipsa „ lege iniqua in quantum servatur aliquid de similitudine legis propter „ ordinem potestatis ejus, qui legem „ fecit, secundum hoc etiam derivatur a lege aeterna. Omnis enim „ potestas a Domino Deo est, ut dicitur Rom. 13.

(1) 1. 2. *q.* 93. *art.* 3. *ad* 2.

27. Alterum vero ita dissolvit: “ lex „ humana dicitur aliqua permittere „ non quasi approbans, sed quasi „ ea dirigere non potens; multa autem diriguntur lege divina, quae „ dirigi non possunt humana; plura „ enim subduntur caussae superiori, quam inferiori; unde hoc ipsum „ quod lex humana non se intromittit de his, quae dirigere non potest, ex ordine legis aeternae provenit. Secus autem esset, si approbaret ea, quae lex aeterna reprobat: unde ex hoc non habetur; „ quod lex humana non derivetur a „ lege aeterna, sed quod non perfecte eam assequi possit. ” Perspicua haec sunt, nec ulla indigent explanatione.

28. Hinc statim difficultati tertio loco propositae occurrimus, eique reponimus nullas leges humanas in iisdem circumstantiis consideratas, & justitia praeditas, (quae dos plane necessaria est, ut leges sint), sibi invicem opponi. Non negamus, quod aliquo tempore, vel loco praeceptum fuit, alibi, aliove tempore fuisse prohibitum; at istiusmodi leges, etsi versentur circa idem objectum, et una prohibens sit, praecipiens altera, in iisdem tamen non versantur loci, et temporis circumstantiis; quare sibi invicem repugnantes dici nequeunt. Quando mutantur sive locorum, sive temporum, aut personarum circumstantiae, mutari leges positivas, lex ipsa aeterna insinuat; alioquin si non mutarentur, quae olim erat veri nominis lex, hac frustraretur proprietate, quippe illi justitia deesset. Audiatur Augustinus rem exemplo mirifice illustrans (1): „ si populus, (inquit ille) „ sit benemoratus, et gravis, communisque utilitatis, diligentissimus custos, recte lex fertur, qua huic populo licet sibi creare magistratus. Porro si paulatim „ depravatus populus rem privatam „ reipublicae praeferat, atque habeat „ venale suffragium, recte tunc illi „ populo adimi potestatem dandi honores. Si populus ille quodam tempore juste honores dedit, quodam „ rursus juste non dedit, haec vicissitudo temporalis, ut justa esset, „ ex illa aeternitate tracta est; qua „ semper justum est gravem populum legem dare, levem non dare.

(1) *Lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 6.

29. Ex eo quod vero lex aeterna immutabilis sit, et jure divino obli-

Digitized by Google

get, humanae autem passim immutentur, & humano jure obligationem inducant, male concluditur has ab illa non dimanare; nam ut accurate, appositeque Laurentius Berti ratiocinatur (1): „ sicut caussa prima est independens, et habet modum operandi longe diversum a caussis secundis, et tamen istae a caussa prima vim suam effectricem, naturamque participant. Ita lex aeterna invariabilis est, nec devolvi potest; et nihilosecius leges, quae ab ea statuuntur, contingit saepe mutari. Hujus rei ratio est, quia prima caussa efficit in aliis vim agendi, actionem ipsam, et modum actionis, ut hae necessario, illae contingenter operentur pro cujuscumque caussae natura: ita lex aeterna caeteras enititur, ut quaelibet obliget juxta naturam suam, videlicet lex naturalis jure naturali, lex humana jure humano. Audiatur etiam Augustinus, qui eidem argumento responsionem suppeditat (2): " ut ars medicinae, quum eadem maneat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen praecepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina providentia, quum sit ipsa omnino immutabilis, mutabili tamen creaturae varie subvenit, et pro diversitate morborum alia aliis jubet, aut vetat, et a vitio, unde mors incipit, et ab ipsa morte ad naturam suam, et essentiam, ex qua deficiunt, idest ad nihilum tendunt, reducat, et firmet.

(1) *Lib.* 20. *de theol. disciplinis cap.* 3.

(2) *Lib. de ver. relig. cap.* 17.

30. Consequitur nono omnia, quae in hoc mundo sunt, subjici legi aeternae, seu ordini divinae sapientiae. Et primo subjiciuntur res inanimes, et irrationales; nam hae faciunt verbum Dei (1), eique (2) semper inserviunt. Subjiciuntur quoque creaturae rationales, quatenus nunquam deflectere debent ab eo ordine, quem earum natura exigit, quique necessariam habet cum Dei attributis connectionem; *nihil,* inquit Augustinus (3), *a legibus summi creatoris, ordinatorisque subtrahitur, a quo pax universitatis administratur*. Quod si ab eo ordine ut praecipiente per peccatum recedant, incidunt in ordinem divinae sapientiae, ut punientem: unde semper eidem ordini sunt obnoxiae. Sapienter Augustinus „ ad naturalem, (inquit) (4) justitiae ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant, quodlibet horum fit, naturalis ordo servatur, si non ab anima, certe a Deo. " Et alio loco (5). " Quia enim nemo superat leges omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum, aut enim reddit bene utendo quod bene accepit, aut reddit amittendo illud, quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddit patiendo miseriam: si

Digitized by Google

„ non reddit faciendo quod debet,
„ reddit patiendo quod non debet.

(1) *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum Dei.* Psal. 148.

(2) *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Psal. 118. v. 91.

(3) *Lib.* 19. *de civit. Dei cap.* 12.

(4) *Lib.* 26. *contra Faust. cap.* 3.

(5) *Lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 15.

Subditurne Deus aeternae legi?

31. Respondeo non subdi; nam Deus non distinguitur ab aeterna lege; est enim ipse sua lex: nemo autem et sibi superior, et subditus esse potest. At inquies, Deus mentiri non potest, non alia sane ratione, nisi quia mendacium repugnat aeternae legi mendacium vetanti.

32. Respondeo Deum mentiri non posse, non quia subjiciatur alicui legi sibi ipsi superiori, sed quia mendacium repugnat ejus perfectionibus: quare si mentiri posset, non esset amplius Deus. Caeterum si velis Deum subjici aeternae legi hoc sensu, quatenus repugnat ejus perfectionibus, seu quod idem est, aeternae legi, quod ipse mentiatur, non admodum repugnaverim; at, ut vides, id improprie dicitur.

CAPUT II.

De lege naturali.

SUMMARIA.

1. *Duplici de caussa dicitur lex aeterna creaturae rationali participata.*
2. *Lex naturalis definitur.*
3. *Ad intelligentiam definitionis legis naturalis aliquid traditur de ordine inter ipsas res existente.*
4. *Ordo naturalis necessario conjungitur cum divina essentia, & non aliunde cognoscitur, quam ex ejusdem essentiae consideratione.*
5. *Explicatur primum definitionis verbum.*
6. *Explicatur secundum.*
7. *Explicatur tertium.*
8. *Explicatur ultimum definitionis verbum.*
9. *Ex generali propensione ordinis plures aliae oriuntur propensiones.*
10. *Universalis propensio ordinis semper inest humanae menti, licet usu rationis orbatae, ut sunt pueri, amentes &c.*
11. *Lex naturalis a ratione distinguitur.*
12. *Lex naturalis non potest dici dictatum rationis.*
13. *Lex naturalis distinguitur a conscientia.*
14. *Distinguitur etiam a synderesi.*
15. *Demum distinguitur ab habitu tum acquisito, tum naturali.*
16. *Existentia legis naturalis primo ostenditur ex sensu intimo.*
17. *Sensus intimus, quo lex naturalis ostenditur, est universalis.*
18. *Sensus hic intimus se se prodit in hominibus impiissimis.*
19. *Impii homines crimen refugiunt, si, eodem modo, ac ex crimine, suis indulgere valeant passionibus.*
20. *Homines flagitiosissimi suis crimi-*

Digitized by Google

nibus quandam honestatis speciem induere student.

21. *Objectio solvitur.*

22. *Exponit Tullius causam, ex qua major sit hominum diversitas in principiis practicis, quam speculativis.*

23. *Lex naturalis demonstratur ex ordine Deum inter, & nos.*

24. *Similiter ex ordine, qui in nobis est.*

25. *Tum etiam ex ordine nos inter, & proximum.*

26. *Ultimum ex ratione argumentum ducitur ex lege naturae data cuilibet.*

27. *Lex naturalis ostenditur ex s. Scriptura.*

28. *Idem ostenditur ex Patribus.*

29. *Respondetur ad primam objectionem contra sensum intimum.*

30. *Proponuntur plures aliae objectiones contra sensum intimum.*

31. *Respondetur ad primam objectionem.*

32. *Respondetur ad secundam.*

33. *Respondetur ad tertiam.*

34. *Respondetur ad quartam.*

35. *Respondetur ad quintam.*

36. *Respondetur ad sextam.*

37. *Affertur in hanc rem doctrina S. Thomae.*

38. *Licet concedatur gentes aliquas circa prima principia errasse, nihil inde conficitur.*

39. *Respondetur objectioni ex Licurgo ductae.*

40. *Respondetur ultimae objectioni.*

41. *Hobbesius refellitur.*

42. *Errant, qui hominem sine lege nasci arbitrantur.*

43. *Confutantur ii, qui distinctionem boni, & mali ex opinione repetunt.*

44. *Objectio solvitur.*

45. *Refellitur Carneades asserens virtutem oriri ex amore sui ipsius, vel ex utilitate propria.*

46. *Refelluntur ii, qui originem boni, & mali ducunt ex communi utilitate.*

47. *Refellitur Hobbesius defendens distinctionem boni, & mali ex initis in societate pactis originem trahere.*

48. *Refellitur Spinoza, qui docuit caussam boni & mali petendam esse ex appetitu, & potentia.*

49 *Refellitur Helvetius, qui voluit physicam sensibilitatem, & propriam utilitatem esse totius justitiae fontem.*

50. *Refelluntur ii, qui ex libera Dei voluntate distinctionem boni, & mali repetebant.*

51. *Lex naturalis distinguitur a natura humana.*

1. Caussam omnium gravissimam acturi cogimur sub initio legis naturalis notionem exhibere, ne id ignoretur, de quo disputatur. A D.Thoma (1) ea dicitur *participatio legis aeternae in rationali creatura*: nempe lex aeterna creaturae rationali participata, & quidem duplici de caussa participata. Prima, quia in uno Deo residet lex aeterna tamquam in fonte, seu in principio; in creatura vero rationali, tamquam in subjecto; hinc in ista est tamquam in regu-

Digitized by Google

lato & mensurato, in Deo sicut in *regulante, & mensurante*, ut loquitur S. Thomas (2). Secunda, quia non tota lex aeterna communicatur rationali creaturae, sed tanta quanta ipsi est necessaria ad directionem suarum actionum.

(1) 1. 2. *q.* 21. *art.* 2.

(2) *eodem loco.*

2. Angelici verbis picturam solum, seu specimen quoddam legis naturalis perhiberi inter alios docet Daniel Concina (1): praecisam simul, & adaequatam illius notionem tradere res perdifficilis est; hinc tot apud Theologos, et apud juris naturalis cultores, tum Catholicos, tum Ætherodoxos invectae definitiones, inter quas vix unam reperies, in qua paucis legis naturalis natura ita exprimatur, ut, quid sit, ulterior explanatio minime requiratur; sunt quippe res quaedam, quae descriptione potius, quam severa definitione valeant explicari. Existimamus nos tamen luculenter naturalem legem brevi hac oratione posse definiri: lex naturalis est propensio a Deo homini indita servandi ordinem naturalem cognita per rationis lumen signatum in cordibus nostris. Et sane creavit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam (2). Ergo sicuti Deus cognoscit ordinem suae sapientiae, seu ordinem suae naturae congruentem, & sua voluntate tendit in illum, eumque vult in omnibus servandum; ita in homine signavit (3) lumen vultus sui, seu intellectum, quo ordinem illum pro modulo suae naturae cognosceret, eique dedit propensionem, seu voluntatem illum servandi.

(1) *Dissert.* 2. *de leg. cap.* 12. *num.* 2.

(2) *Gen. cap.* 1. *v.* 26.

(3) *Psal.* 4. *v.* 7.

3. Ut clarior evadat definitio, animadvertendum erit, quod sicut in speculativis, et intelligibilibus ordo invenitur inter quasdam res naturales, vi cujus proportiones existunt inter ipsas necessariae, quae, ne per divinam quidem omnipotentiam, ab iis tolli possunt: talis ex. gr. ordo habetur inter totum, et partem, vel inter quadratum, et triangulum ejusdem altitudinis, et basis, ut, ne per divinam quidem omnipotentiam, fieri possit, ut totum non sit majus sua parte, vel quadratum non sit duplum trianguli ejusdem altitudinis, et basis; ita in practicis, et operabilibus ordo pariter naturalis datur inter objecta, vi cujus convenientiae se produnt necessariae, quae aliter, inspecta etiam divina omnipotentia, esse nequeunt: talis ex. gr. inspicitur ordo creatorem inter, et creaturam, ut Deus nunquam efficere possit, ut creatura creatori honorem, et obsequium impendere non debeat; unde qui hoc negaret, perinde se haberet, ac ille, qui in speculativis assereret effectum non pendere a sua causa, vel totum non esse majus sua parte.

4. Porro iste ordo naturalis, qui inter objecta moralia invenitur, ne-

Digitized by Google

cessariam habet connectionem cum essentia divina, idea archetypa omnium ordinum, et naturarum: *est ergo lex*, inquit Cicero (1), *justorum injustorumque distinctio ad illam antiquissimam, & omnium principem expressa naturam*: et non aliunde cognoscitur, quam ex ejusdem divinae naturae, seu veritatis consideratione, quod mirifice explicat Augustinus (2) hisce verbis: " nam hinc est, quod „ etiam impii cogitant aeternitatem, & „ multa recte reprehendunt, recteque „ laudant in hominum moribus; quibus ea tandem regulis judicant? „ nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? „ ubi eas vident? neque enim in sua „ natura, quum procul dubio mente „ ista videantur, eorumque mentes „ constat esse mutabiles, has vero „ regulas immutabiles videat quisquis in eis, & hoc videre potuerit, nec in habitu suae mentis, „ quum illae regulae sint justae, „ mentes vero eorum constat esse injustas. Ubi nam sunt istae regulae scriptae, ubi, quid sit justum, „ agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? ubi ergo scriptae sunt, nisi in libro lucis „ illius, quae veritas dicitur? Unde „ omnis lex justa describitur, et in „ cor hominis qui operatur justitiam „ non migrando, sed tamquam imprimendo transfertur, sicut imago „ ex annulo in ceram transit, et annulum non relinquit.

(1) *Lib. 2. de leg.*

(2) *Lib. 4. de Trin. cap. 15.*

5. Lex naturalis definitur in primis propensio; ex quo intelligitur legem naturalem esse participationem legis aeternae, quatenus ab homine participatur ea propensio, seu voluntas Dei, *qua vult omnia esse ordinatissima* (1). Deus quidem liber est in producendis creaturis, vel non producendis; at posteaquam eas produxit, servandus erit necessarius ordo, quem habent inter se, seu ordo ille, qui, ut vidimus, necessariam habet connectionem cum divina essentia.

(1) *De lib. arb. cap. 31.*

6. Dicitur secundo a Deo homini indita, & sic distinguitur primo a lege aeterna, nam haec propensio servandi ordinem naturalem, quatenus in Deo, est lex aeterna, quatenus in homine, est lex naturalis: distinguitur pariter a quavis lege positiva: quia hae non sunt hominum cordibus impressae, ut est lex naturalis.

7. Dicitur tertio propensio servandi ordinem naturalem, seu ordinem, quem rerum objecta expostulant, ut intelligatur propensionem illam a Deo inditam, non solum esse directivam, sed etiam praeceptivam.

8. Dicitur demum propensio cognita per rationis lumen &c.; quamvis enim in brutis animantibus adsint propensiones, vi quarum ferantur in ordinem ipsis praestitutum; quia tamen iis nullum affulget rationis lumen, quo illum ordinem cognoscant, pro-

Digitized by Google

pensiones illae habere non possunt verae legis rationes.

9. Ex generali propensione ordinem naturalem conservandi fluunt plures aliae propensiones, quae sunt tamquam propositiones practicae, vel practica principia: de hisce propensionibus ita disserit s. Thomas (1); „ inest enim 1. inclinatio homini ad „ bonum secundum naturam, in qua „ communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quaelibet substantia appetit conservationem sui „ esse secundum suam naturam; et „ secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per „ quae vita hominis conservatur, & „ contrarium impeditur. Secundo „ inest homini inclinatio ad aliqua „ magis specialia secundum naturam, „ in qua communicat cum caeteris „ animalibus: et secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, „ quo natura omnia animalia docuit, „ ut est commixtio maris, et foeminae, et educatio liberorum, et „ similia. Tertio inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam „ rationis, quae est sibi propria. Sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem „ cognoscat de Deo, et ad hoc, quod „ in societate vivat: et secundum „ hoc ad legem naturalem pertinent „ ea, quae ad hujusmodi inclinationem spectant; utpote quod homo „ ignorantiam vitet, quod alios non „ offendat, cum quibus debet conversari, et caetera hujusmodi, quae „ ad hoc spectant.

(1) 1. 2. *q.* 94. *art.* 2.

10. Universalis isthaec propensio servandi ordinem naturalem, ex qua fluunt principia practica, jugiter humanae menti inest; quamvis enim ad eam non attendant pueri, et amentes, ideo est, quia scilicet per lumen naturale, quo hic, et nunc privantur, non cognoscitur ordo ille naturalis, qui inter objecta invenitur, ideoque in mente oriri, vel excitari non potest universalis illa propensio.

11. Legem naturalem non esse cum ratione, synderesi, conscientia, & habitu confundendam, ex superius dictis fit manifestum; et primo quidem a ratione distinguenda est; quia ratio humana non est lex, sed solum lumen, quo tamquam medio, veluti oculo cognoscitur ille ordo necessarius, qui existit inter ipsa objecta, quare egregie S. Thomas ait (1): „ ratio humana secundum se non est „ regula rerum, sed principia naturaliter indita sunt regulae quaedam „ generales, et mensurae eorum, quae „ sunt per hominem facienda.

(1) 1. 2. *q.* 94. *art.* 3. *ad* 2.

12. Facile inde deduci potest non satis accuratam esse definitionem Grotii (1), aliorumque, qui jus naturale esse dicunt dictatum, seu dictamen rationis; nam dictamen rationis lex esse non potest, sed solum ostendit, atque promulgat legem ab auctore naturae latam.

(1) *De jure belli, & pacis lib.* 1. *c.* 1. §. 10.

13. Distinguitur secundo a conscientia, quia lex naturalis generaliter versatur circa illum ordinem necessarium, quem inter se habent objecta; conscientia, media ratiocinatione, seu ut ait Angelicus, sillogismo practico ostenditur inter haec, vel illa objecta ordinem naturalem adesse; atque decernit quid hic, et nunc sit agendum. Deinde lex naturalis est semper vera; conscientia e contra quandoque falsa, eo quod male applicat lumen rationis ad cognoscendum naturalem ordinem.

14. Distinguitur tertio a synderesi, haec quippe consistit in primis principiis practicis: lex autem naturalis est ipsamet propensio, ex qua fluunt prima principia practica.

15. Demum distinguitur ab habitu: nam in primis non est habitus acquisitus; habitus enim acquisiti ex repetitis actibus comparantur; lex autem naturae inest etiam in illis, qui nullos hujusmodi actus elicere valent, scilicet in pueris, et amentibus; neque est habitus naturalis simpliciter; hujus namque proprium solum est inclinare ad agendum, minime vero praecipere, vetare, obligationem inducere, quae tamen naturalis, lex praestat. Caeterum quum id, quod habitualiter tenetur, improprie saltem habitus nomine donari queat, patet legem naturalem lato modo habitum posse appellari. Hisce praemissis dicimus existere legem naturalem, seu legem diffusam in *omnes* (1) *constantem, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat.*

(1) *Cicero de Rep. lib.* 1.

16. Id primo ex sensu intimo demonstramus. Nemo est, qui ad se paululum attendat, & illico sibi inesse non intelligat practica principia quaedam, quae non secus ac theoretica ipsi assensum extorqueant, simulque etiam non sentiat veluti cogi se juxta illam vitam, moresque suos perpetuo componere; hinc, si ea exequatur, sibi plaudit, habetque beatum; si contemnit, se se damnat, miserumque arbitratur; atqui istiusmodi principia fluunt ex dictis ex lege naturali. Lex ergo in omnibus diffusa existit, et singulos modo jubendo, modo vetando ad officium impellit.

17. Intimum istiusmodi sensum universalem esse, & a natura inditum nationes omnes confirmant: *quae natio*, inquit Cicero (1), " non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? quae superbos, quae meleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur? " Ubi nam gentium creatura praefertur creatori? vir fallax sincero, uno verbo homo nequam viro probo? quis est, qui legens antiquorum temporum historias, cum quibus nobis nulla relatio, praejudicium nullum, nulla utilitas, vel damnum, sensu intimo non probet actiones eorum, qui semper &

ubique sectati sunt aequitatem, sinceritatem, fidelitatem; e contra indignatione non exardescat adversus eos, qui omni iniquitate, & barbarie se inquinarunt; porro nosmetipsi has ideas ex cupiditatibus non effinximus, siquidem cupiditatibus adversantur; neque labore comparavimus, aut ab aliis accepimus; quae enim pendent ab arbitrio hominum, ea in hominibus diversa sunt: restat ergo, ut dicamus Deum nobis eas impressisse, vel saltem ita a Deo conditos, ut ex usu nostrarum facultatum necessario efformarentur.

(1) *Lib.* 1. *de leg.*

18. Iste animi sensus se se maxime prodit etiam in hominibus improbissimis quamcumque legem negantibus, ut suis indulgeant passionibus. Pone hominem barbarum sine lege viventem, qui gravibus conviciis, & verberibus sine ullo suo facinore excipiatur: cuique dilecta uxor, amati filii, ejusque bona sine sua culpa rapiantur, clamabit iste profecto injuriam, & injustitiam sibi fieri, atque humanitatis jura susdeque verti, tollique; unde nam iste clamor? Nisi quia sentit in semetipso legem naturalem haec omnia prohibentem. Adeo itaque naturale est homini legem agnoscere, atque in semetipso sentire, juxta quam sui, suorumque similium actiones exigendae sint, ut, quamquam mallet eam non existere, hocque sibi persuadere conetur, non possit tamen naturae voces continue, altiusque clamantis aliquando comprimere, & continere; quin exterius erumpant, aliisque innotescant. Recte Seneca (1), „ maximum hoc habemus naturae „ meritum, quod virtus in omnium „ animos lumen suum praemittit: „ etiam qui non sequuntur illam vi„ dent: praeclare quoque Cicero (2): „ justitiae tanta vis, ut ne illi qui„ dem, qui maleficio, & scelere „ pascuntur, possint sine ulla parti„ cula justitiae vivere; nam qui „ eorum cuipiam qui una latroci„ nantur, furatur aliquid, aut eri„ pit, is sibi ne in latrocinio qui„ dem relinquit locum. Ille autem, „ qui archipirata dicitur nisi aequa„ liter praedam dispertiat, aut occi„ detur a sociis, aut relinquetur. „ Quin etiam leges latronum esse di„ cuntur, quibus pareant.

(1) *Lib.* 4. *de benef. cap.* 17.

(2) *De officiis lib.*3. *cap.*9.

19. His adde homines etiam impiissimos crimen refugere, si eamdem, quam ex crimine aliunde percipere possint delectationem: „ quis enim „ est, inquit Cicero (1), aut quis „ unquam fuit, aut avaritia tam „ ardenti, aut tam effraenatis cupi„ ditatibus, ut eamdem illam rem, „ quam adipisci scelere quovis ve„ lit, non multis partibus malit ad „ se se etiam omni impunitate pro„ posita sine facinore, quam illo „ modo pervenire. Seneca autem sic scribit (2): „ dic cuilibet ex istis, qui „ rapto vivunt, an ad illa, quae „ latrociniis, & furtis consequuntur,

Digitized by Google

„ malint ratione bona pervenire? optabit ille cui gravari, & transeuntes percutere quaestus est, potius illa invenire, quam eripere. Neminem reperies, qui non nequitiae praemiis, sine nequitiae frui malit.

(1) *De finibus lib.* 3.

(2) *De benef. lib.* 4. *cap.* 17.

20. Illud quoque praetermittendum non erit neminem ex flagitiosissimis hominibus esse, qui sua facinora immanissima non defendat, iisque speciem quamdam honestatis induere non conetur: „ nemo, ait Tullius (1) „ tam audax unquam fuit, „ quin aut abnueret esse commissum „ a se facinus, aut justi sui doloris „ caussam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a naturae jure aliquo quaereret. Egregie quoque Seneca (2): „ quomodo nulla „ lex amare parentes indulgere liberis jubet, supervacuum enim in „ quod imus, impelli; .... placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum etiam „ malis probare meliora. Quis est, „ qui non beneficus videri velit, qui „ non inter scelera, & injurias opinionem bonitatis affectet? Qui non „ ipsis, quae impotentissime fecit, „ speciem aliquam induat recti, velit quoque ex iis videri beneficium „ dedisse, quos laesit.... quod non „ facerent, nisi illos honesti, & per „ se expetendi amor cogeret moribus suis opinionem contrariam quaerere, & nequitiam abdere, cujus „ fructus concupiscitur.

(1) *De fin. lib.* 3.

(2) *De benef. lib.* 4. *cap.* 17.

21. Dixeris ne istiusmodi intimum sensum vigentem etiam in hominibus scelestissimis esse errori obnoxium? Si ita asseris, laberis in absolutum, putridumque Pyrrhonismum, & Scepticismum, facisque Deum erroris, & deceptionis auctorem; unde enim scis duo duobus addita quatuor efficere; totum esse majus sua parte ec.; nisi ex sensu intimo? Si ergo argumentum ductum ex sensu intimo decretorium non est, dubitandum erit de ipsismet universalissimis principiis; quumque iste sensus intimus a Deo sit, error ex eo inductus totus in Deum esset refundendus.

22. Si autem quaeras, quare longe major sit gentium, hominumque diversitas in principiis practicis, quam in speculativis, tibi praesto est Tullius, qui inquit (1): „ nam sensus nostros (& alias disciplinas, & principia speculativa) non parens, non „ nutrix, non magister, non poeta, „ non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. „ Animis autem omnes tenduntur insidiae, vel ab iis, quas modo „ enumeravi, qui teneros, ac rudes, „ cum acceperunt inficiunt, & flectunt ut volunt, vel ab ea, quae „ penitus in omni sensu implicata „ insidet imitatrix boni voluptas, „ malorum autem mater omnium, „ cujus blanditiae corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine „ hac, & scabie carent, non cerni-

„ mus satis „. Vides ergo ex Cicerone principia practica aeque nobis innotescere, ac principia speculativa; multa tamen esse, quae animum alio distrahunt, ne ad principia practica attendamus, quod non contingit in principiis speculativis.

(1) *Lib.* 1. *de leg.*

23. Argumentum etiam non leve petitur ex ordine, qui nos inter, & Deum intercedit. Certe necessaria relatio est inter Deum, & hominem, & ea, quae caussam inter, & effectum est; hominis a Deo est absoluta, & universalis dependentia, homine Deus est infinite praestantior; veritates istae non minus evidentes sunt, ac si punctum ab infinito magnitudine, momentum ab aeternitate duratione superari; ergo homo actibus quibusdam suum agnoscat auctorem oportet, suam profiteatur ab eo dependentiam, honorem exhibeat, reverentiam, ac famulatum testetur; neque haec veritas minoris evidentiae est: neque inter aequales, ac simillimas Geometriae figuras, major convenientia esse potest, ac connectio, & armonia sit inter divinae naturae praestantiam, Dei super omnes dominium, atque recensita subjectionis, dependentiae, honoris, reverentiae, ac famulatus officia.

24. Argumentum quoque suppeditat ille ordo, quem in nobismetipsis esse debere perpetuo experimur, non una nos corporea natura constamus, intelligimus, cogitamus, judicium ferimus, ratiocinamur; haec cum materia componi nullo modo possunt; est ergo in nobis substantia spiritualis intellectu, cogitatione, judicio, ratiocinatione, libertate, & immortalitate donata; hujusmodi porro substantia certe praeponenda est substantiae extensione, vi inertiae soliditate praeditae, cujusmodi corpus est. Existit ergo lex qua homo spiritum corpori praeferre tenetur, spiritusque bona pluris quam corporis voluptate aestimare; inferiora enim praestantioribus anteferre horret natura.

25. Alterum argumentum ducimus ex ordine nostri ad proximum. *Nihil*, inquit Tullius (1), *est unum tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus*: & s. Thomas: *ex hoc*, ait, (2) „ quod aliqui duo sunt „ similes, quasi habentes unam for- „ mam, sunt quodammodo unum in „ forma illa: sicut duo homines sunt „ unum in specie humanitatis, & „ duo albi in albedine; & ideo „ affectus unius tendit in alterum, „ sicut unum sibi, & vult ei bo- „ num sicut & sibi. Ergo si ex naturae praecepto diligere nosmetipsos obstringimur, eadem pariter jubente natura caeteros homines amore prosequamur oportet; quod, quamvis (3) *quibusdam incredibile videatur, sit tamen necessarium, ut nihilo se se plusquam alterum diligat*; proindeque quod in nos conferre debemus, id aliis etiam impendamus, cum opera indigent nostra. Et enim „ ho- „ mines (4) hominum caussa sunt „ generati, ut ipsi inter se alii aliis

„ prodeſſe poſſint; ex quo (5) effi-
„ citur hominem naturae obedien-
„ tem homini nocere non poſſe. Hinc illae naturae voces: quod vis tibi ab alio fieri, id alii facias (6): quod tibi non vis fieri, id alteri ne facias (7).

(1) *De leg. lib.* 1.

(2) 1. 2. *q.* 27. *art.* 3.

(3) *Cic. lib.* 1. *de leg.*

(4) *Cic. de offic. lib.* 1.

(5) *Cic. de offic. lib.* 3.

(6) *Lucae* 6. *v.* 31. *Matth.* 7. *v.* 12.

(7) *Tob.* 4. *v.* 16.

26. Unum adhuc animadvertere pretium eſt, nempe nullam eſſe, nec concipi poſſe naturam, quae ad actionem nata ſit ſine legibus ſibi convenientibus: corpora parent legibus motus, belluae ſenſationibus ducuntur, nulla ne lex homini impoſita, prout fert libera ipſius natura? Nulla ne ei naturaliter vivendi ratio commendata rationali ipſius naturae conſentanea: imo potius neceſſaria tum ex parte Dei, tum ex parte hominum, & primo ex parte Dei; Deus enim ſumme bonus eſt, ſummeque juſtus, caeteriſque perfectionibus praeditus; ergo crudelitatem, quae cum ejus bonitate, iniquitatem, quae cum ejus juſtitia, aliaque peccata, quae cum caeteris ejus perfectionibus pugnant odiſſe, ac prohibere debuit. Eſt etiam neceſſaria lex ex parte hominum. Fac hominem ſine ulla naturae lege creatum, nihil pejus ipſo homine; ubique enim graſſaretur improbitas, iniquitas, crudelitas, perfidia! homines namque ſine legibus eorum, quae ad proprium commodum pertinent, tantum ſolliciti, ratione ſolum uterentur ad decipiendum, vi ad opprimendum; unde nulla amplius eſſet ſecuritas, nulla pietas, clementia nulla, ſed homines beſtiis ipſis atrociores in perpetuum bellum ſtatum ſocietatis converterent.

Concludamus ergo cum Cicerone, *quod lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quae jubet ea, quae facienda ſunt, prohibetque contraria* (1), & alio loco (2) *jus eſt non ſcriptum,*
„ ſed natum, quod non didicimus,
„ accepimus, legimus; verum ex natura
„ ipſa arripuimus, hauſimus, expreſ-
„ ſimus, ad quod non docti, ſed fa-
„ cti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.

(1) *Lib.* 1. *de leg.*

(2) *Lib.* 2. *de leg.*

27. Hactenus ex ratione, nunc exiſtentiam legis naturalis demonſtrare quoque juverit tum ex ſacris litteris, tum ex ſanctis Patribus, Paulus ad Romanos (1) ſic ſcribit: „ cum gentes,
„ quae legem non habent, naturali-
„ ter ea, quae legis ſunt faciunt,
„ ejuſmodi legem non habentes ipſi
„ ſibi ſunt, lex qui oſtendunt opus
„ legis ſcriptum in cordibus ſuis,
„ teſtimonium reddente illis conſcien-
„ tia ipſorum, & inter ſe invicem
„ cogitationibus accuſantibus, aut
„ etiam defendentibus. Vides Apoſtolum Paulum admittere legem ſcriptam in cordibus hominum ob malum remordentem, & ob bonum de-

fendentem, quae nihil esse aliud potest, quam lex naturalis.

(1) *Cap.* 2. *v.* 14. *&* 15.

28. Inter Patres duos solummodo laudo; neque enim in re minime dubia est necessarium plurium auctoritates proferre. D. Ambrosius sic praeclare (1) de lege naturali disserit: *ea lex non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed pro quodam naturae fonte in singulis exprimitur.* Augustinus quoque sic egregie scribit (2): *quis legem naturalem in cordibus hominum inscripsit, nisi Deus?* Et alibi (3) „ furtum certe punit lex tua, Domi- „ ne, & lex scripta in cordibus ho- „ minum, quam ne ipsa quidem „ delet iniquitas; quis enim fur fu- „ rem aequo animo patitur?

(1) *Lib.* 9. *epistolarum epist.* 71.

(2) *Lib.* 2. *de serm. Dom. in monte cap.* 3.

(3) *Lib.* 2. *confes. cap.* 4. *n.* 9.

Quid ad haec adversarii? Ajunt primo argumentum petitum ex sensu intimo nullius momenti esse; sicut enim sensu intimo experimur propensionem ad bonum, ita sensu intimo experimur propensionem, & quidem majorem ad malum: sed ex propensione ad malum non inde colligi potest lex naturalis praecipiens malum; ergo nec ex propensione ad bonum erui potest lex naturalis praecipiens bonum.

29. Respondeo hoc argumento id solum probari, existere in nobis propensionem majorem ad malum, quam ad bonum, nosque eam interius sentire, neutiquam vero nullam existere legem naturalem; distinguendus est enim purus sensus a sensu intimo; primus indicat in nobis esse aliquam propensionem, & nihil aliud; secundus vero nobis manifestat propensionem illam, vel a Deo esse, eamque congruere cum illo ordine, quem habent inter se objecta, seu cum ordine divinae sapientiae, vel illi ordini contrariam, ideoque ei resistendum esse. Sapienter propterea Cicero (1) ait „ efficiendum autem est, ut „ appetitus rationi obediant, eamque „ neque percurrant, nec propter pigritiam, aut ignaviam deserant, „ sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant, ex quo „ elucebit omnis constantia, & moderatio. Et Augustinus: „ cum ratio, inquit (2) irrationalis animi „ motus regit, id scilicet dominatur „ in homine, cui dominatio jure „ debetur „. Discrimen ergo maximum inter purum sensum, & sensum intimum; si enim bonum, ad quod quis propensionem habet, operetur, inde sentit laetitiam; si vero malum, in quod inclinationem quoque sentit, efficiat, maximum conscientiae angorem, unde hoc? Numquid sensus intimus sibi contrarius est? Non ergo purus sensus, sed intimus indicat propensionem ad bonum naturae suae congruere; adversarii vero propensionem ad malum, atque a depravata per peccatum natura ortum

Digitized by Google

duxisse, sicut revelata nos docet religio.

(1) *Lib.* 1. *de offic. cap.* 29.

(2) *Lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 8.

30. Aiunt secundo intimum sensum, quo quisque sibi conscius est de lege aliqua necessario observanda, non oriri a natura, sed ab educatione, infantiae praejudiciis, legislatorum versutia, timore Dei, & gehennae puerorum animis altius infixo.

Aiunt tertio intimum illum sensum non posse demonstrari naturalem ex universarum gentium consensione. Primo enim universalis consensio hujusmodi in multorum errorum patrocinium afferri potest, nempe ad adstruenda eclipsium praesagia, cometarum minas, vim syderum in vitam humanam, Polytheismum, non existentiam Antipodum.

Aiunt 4. non adesse unanimem hunc omnium nationum consensum; sunt quippe homines, qui ferarum more nihil aliud habent in animo, quam ut vitam, corpusque tueantur, nihil de Deo, religione, vitio, virtute cogitantes; sic Massagetae aeris inclementiae aegros, etiam parentes exponebant, statim ac desperatus erat illorum casus; sic Carthaginienses infantes in Deorum honorem mactabant, ejusdem generis plura apud historicos; & peregrinatores legere est. Ergo fictitius est nationum omnium consensus in aliquam naturae legem; multiplici itaque ex capite corruit argumentum ex consensu omnium gentium petitum; cui, quum caetera super-struantur, concidit plane omne naturalis legis fundamentum.

Haec, quae plurimum exaggerant exleges, multisque modis versant, atque proponunt, nonnisi stultitiam sapiunt, atque impietatem: quid insipientius, quid impium magis proferri potest, quam illam intimam conscientiam, qua persuasi sumus de quadam necessaria lege, seu regula, juxta quam actiones nostrae exigendae sint, educationi, infantiae praejudiciis, legislatorum versutiae, inanique Dei, atque gehennae timori tamquam caussis adscribere?

31. Non educationi profecto tribui potest legis naturalis persuasio; nam non est eadem apud omnes educatio, varia quinimo pro nationum varietate; at legis naturalis primaria saltem principia eadem apud omnes sunt.

32. Non infantiae praejudiciis; haec enim apud vulgus vigent, non apud excultos, tum adulta aetate facillime a quocumque exuuntur: verum persuasio extantis necessariae ac immutabilis legis in omnibus viget, nec ulla ratione evelli a quopiam potest, etsi multi in id adnitantur.

33. Non legislatorum versutiae; opiniones siquidem fictae & vanae diuturnitate contabescunt; de lege vero naturali sententia stabilis semper permansit, inveteravitque cum hominum aetatibus.

34. Non demum inani Dei, ac gehennae metui adscribi potest: nam non concipimus Deum ut formidolo-

Google

sum vitae nostrae insidiantem, sed naturae amabilem, optimeque de nobis meritum. Praeterea ex illa persuasione boni, rectique maximum inde percipiunt gaudium; deinde esto metui tribuatur, quum hic metus diffusus sit in omnes, naturalis sit oportet, natura vero vanitatis damnari nequit; arguet ergo ille metus existentiam legis in omnibus ab ipsa natura inditae.

35. Inepti autem sunt exleges, dum vim consensus universarum gentium in aliquam veritatem infirmare nituntur; eorum conatus ex statutis principiis irriti sane redduntur; nam quas praeferunt hominum opiniones de eclipsium praesagiis, cometarum minis, de vi syderum in vitam humanam, divinatione, Polytheismo, Antipodis, eae ex sensu intimo primo natae non sunt, sed aliunde ortae; earum enim objecta extra homines sunt, a vulgi intelligentia plurimum aliena: neque cognoscere rudes possunt, quae sit ex. gr. caussa defectuum solis, & lunae, ortus, vel occasus syderum, nec assequi regulas Astrologiae judiciariae, vel intelligere, quomodo in nobis opposita orbis parte quis possit rectus incedere. At lex naturalis in unoquoque est, in unoquoque se se prodit, se se manifestat, & vel ab invito, & repugnante non potest non persentiri.

Secundo constantes non fuerunt opiniones illae, hinc ab omnibus depositae, & novimus insuper earundem originem, initium, progressum; verum semper constans fuit sententia de aliqua naturae lege, ejusque origo nulla alia, quam natura assignari potest, cum homine vix condito viguit, semper stabilis permansit, temporum diuturnitate non extincta, sed confirmata.

Tertio praedictae opiniones non fuerunt universales; etenim Philosophi, & sapientes non eas probarunt, sed irriserunt, Polytheismo, & idololatriae non solum non omnes homines consenserunt, sed neque in omnibus viguerunt locis, & ubi obtinebant, obtinuit etiam notitia unius supremi, & praepotentis Dei, Deorum omnium, hominumque parentis, ut fuse prae caeteris ostendit Hooke (1).

(1) *Theol. natur. sect.* 2. *q.* 3.

36. Frustra etiam probare conantur exleges non omnes apud nationes legis naturalis vigere conscientiam. Primo enim non omnem fidem sibi vindicant auctores, qui de barbaris quarumdam nationum moribus scripserunt. Eorum quidam relationes illas a crudelissimis hostibus acceperunt, qui ut barbaram in detecti orbis populos suam agendi rationem tuerentur, his multa imposuerunt ab omni veritate aliena. Certe narrat Benzo Hispanos, cum continentem invasissent, omnibus vitiis apud Regem populos illos onerasse, ut edictum obtinerent, quo ad perpetuam servitutem redigerentur; & tamen nonnisi idololatriae rei erant. Alii vero scriptores de populis te-

Digitized by Google

stati quaedam sunt, quorum linguam non callebant, nec mores, animive cogitata nosse poterant; & quos hi crudelibus, barbarisque moribus damnant, alii ab iisdem absolvunt.

Secundo Massagetarum, Carthaginiensium, aliorumque producti mores ab omni aequitate, & humanitate alieni quidem sunt, verum Massagetae, aliique non errarunt circa prima principia; sentiebant enim, non secus ac aliae nationes, in semetipsis propensionem servandi ordinem naturalem, & ex eo fluentia prima principia, sed solum in applicatione eorundem principiorum ad casus particulares decepti sunt. Massagetae aegros morti proximos aeris intemperiei exponebant, non ex eo quod ipsis persuasum non esset ex naturae instinctu parentes esse colendos, sed e contrario id praestabant, quia iis honorem, amoremque deferendum agnoscebant: hinc teneri se existimabant illos doloribus insanabilibus cito eripere. Scytae homines alios diligendos esse noverant; at trucidabant advenas, quia habebantur ab iis ut hostes, & exploratores; quare eorum in hostes barbaries ex amore in patriam proficiscebatur. Carthaginienses quoque proprios filios Diis immolabant: at isti quoque male applicarunt principia legis naturalis; ex eo enim, quod lex naturalis praescriberet Deum adorandum esse, hinc inferebant gratius Deo sacrificium fieri non posse, quam propriorum filiorum.

37. Praeclara est doctrina S. Thomae (1) in hac re: „ lex naturae, „ inquit, quoad prima principia com„ munia, est eadem apud omnes, & „ secundum rectitudinem, & secun„ dum notitiam, sed quantum ad „ quaedam propria, quae sunt quasi „ conclusiones principiorum commu„ nium, est eadem apud omnes ut „ in pluribus, & secundum rectitu„ dinem, & secundum notitiam, sed „ in paucioribus potest deficere, & „ quantum ad rectitudinem propter „ aliqua particularia impedimenta, „ & etiam quoad notitiam propter „ hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex „ mala consuetudine. „ Idipsum docuit Cicero scribens (2) „ tantam „ esse corruptelam malae consuetu„ dinis, ut ab ea tamquam igniculi „ extinguantur a natura dati, exo„ rianturque, ac confirmentur vitia „ contraria. Diversitas ergo opinionum, non magis tollit, ut scribit Cumberlandius (3) „ consensum ho„ minum de generali natura boni..... „ quam levis vultuum diversitas tol„ lit convenientiam inter homines in „ communi hominum definitione, aut „ similitudinem inter eos in partium „ principalium conformatione, & usu.

(1) 1. 2. *q.* 94. *art.* 4.

(2) *Lib.* 1. *de leg.*

(3) *De leg. nat. pag.* 166.

38. Sed fac gentes aliquas circa prima, & universalissima principia errasse; numquid propterea eliminan-

da erit vox aliarum omnium gentium praesertim cultissimarum? Numquid ex eo, quod Sceptici, & Pyrronistae contra universalem aliorum hominum sensum de omnibus dubitarunt, dubitandum erit de omnibus? quis ignorat specimen naturae cujuslibet a natura sana sumendum esse? non ex caecis profecto, surdis, mutis, contractis, aliove defectu notatis hominibus de humani corporis dotibus ferendum judicium est; neque ex insanis, stupidisque de animi facultatibus; non ergo ex iis, in quibus ferina, ut ita dicam, ob corruptos mores, natura evasit, judicandum est, quid humana valeat natura, quid ipsa doceat. Scite Porphyrius (1) inquit: „ ex gentibus efferatis, & inhumanis non oportet ab aequis judicibus „ convicium fieri naturae humanae, „ sed quid naturale sit, spectandum „ in his, qui bene secundum naturam se habent, non in depravatis." Deinde allatae incultarum gentium consuetudines extra rem sunt, hoc unum illae evincunt, legem naturalem, ne quoad praecipua capita, ubique observari, minime vero non vigere apud omnes ejusdem persuasionem. Sane sicut insulsus ille esset, qui ex depravatis Christianorum moribus colligeret eos minime conscios esse de sibi praescripta lege omnia vitia prohibente, sanctitatem vero, ac perfectionem praecipiente; ita inepte concluditur aliquos populos nulla agnoscere sibi a natura indita praecepta, quia pinguissimos errores committunt, maximaque patrant adversus naturam peccata.

(1) *Lib. de abstin.*

39. Urgent naturalis legis osores, & aiunt: Licurgus Spartanis juvenibus lege licitum fecit furtum maxima cum dexteritate patratum; hic non de inculta natione agitur, non de praxi, nec de aliquo primorum principiorum consectario; ergo nec apud cultas gentes constanter, ac universim viguit legis alicujus naturalis notio.

Nec Licurgi lege, qua permittebatur juvenibus aliorum res, edulia praesertim fraude subripere, nec ejusdem legis observantia olim apud Lacedaemones vigente ullo modo infirmatur omnium gentium consensus in legis a natura praescriptae existentiam. Primo enim Lacedaemones, ipsorumque legislator Licurgus furtum privata auctoritate, et violentia perpetratum damnabant, conveniebant ergo circa praecepti substantiam cum aliis nationibus, ac legislatoribus. Secundo existimabant a Republica illud posse permitti, sed solerter commissum, & ob ejusdem Reipublicae bonum, quod maximum in eam ex solertia, & vigilantia civium redundat; ergo hic non agitur de alicujus ex primis principiis ignorantia, sed solum de applicatione principiorum ad casus particulares.

Sunt etiam, qui respondent, legem illam a Licurgo latam non esse adversus ullum naturae dictamen; nam, inquiunt, nec Lacedaemones res aliis

Digitized by Google

eripiendo furabantur, nec Licurgus illis furtum permisit. Quid enim furtum est? Certe subtractio rei alienae invito domino; porro omnes Lacedaemones in eam legem consenserant; non ergo invitis res eripiebantur. Deinde addunt, quod Respublica ob bonum publicum potest disponere de bonis privatorum, ideoque ad excitandam civium vigilantiam, ad acuendam adolescentium industriam, poterat ea diligentioribus, ac solertioribus largiri. Persuasum Licurgo fuisse, & Spartanis aliquam esse naturae legem cunctos afficientem ex eo auctore manifestatur, ex quo est ab adversariis desumpta objectio, Plutarcho nempe; hic narrat (1) Licurgum, ut suas perpetuo firmaret leges, Spartiatas adduxisse, ut jurejurando se obstringerent nihil circa eas immutaturos usque ad suum in patriam reditum: inde urbe evasisse, nec umquam in eandem se recepisse. Jam vero quid haec molitus Licurgus fuisset, nisi ipse, atque Spartiatae procerto habuissent jurisjurandi legem ante quodcumque hominum statutum obligationem inducere, eamque a natura omnibus inditam, quam ipsi indiscriminatim observare tenerentur? Itaque ex Licurgi, et Lacedaemonum agendi ratione unanimis gentium omnium consensio in legem aliquam naturalem mirifice confirmatur, tantum abest, ut aliquo modo labefactetur..

(1) *In vita Licurgi*.

Regerunt adversarii: non omnibus gentibus saltem lex, de qua disseritur, undequaque nota est: siquidem ejusdem plura praecepta cognitu impossibilia sunt; verum, si ea esset a natura, obvia, et facilis omnibus esset: quae vero innotescunt ejusdem dictata certe singulorum animis indita non sunt, quum nostris temporibus a Philosophis omnibus ideae innatae rejiciantur; ergo acquisita, ac proinde aliunde, quam a natura sunt repetenda.

40. Non unum pariter nobis suppeditatur medium, quo haec dissolvamus. Primo reponimus falso affirmari naturales notiones omnibus obvias, ac faciles esse. Quot veritates sunt, quae nonnisi a doctis, & summo studio evolvuntur, et tamen ex naturali ratione proficiscuntur? Quot propositiones speculativae eruditis notae sunt, quae a rudibus ignorantur? apud omnes, ut D. Thomae exemplo utar (1), verum est triangulum habere tres angulos aequales duobus rectis; & tamen hoc omnibus notum non est. Potest ergo lex, de qua agimus, proficisci a natura, quin undequaque nota per se sit. Secundo dicimus naturales notiones obvias esse debere, si in sua integritate vigeret natura, minime vero si haec a pristina virtute decesserit; at humana natura non in eo statu est, quo condita, ab eo quippe dilapsa est, ut hominem serio perpendenti, atque veteres consulenti Philosophos liquet. Unde si non omnes veritates

Digitized by Google

obviae sunt, et intellectu faciles, non ipsa accusanda natura est, neque ejusdem auctor Deus. Tertio remota illa principia, quae obvia non sunt, quae cognitu impossibilia sunt, si humanae vires attendantur, revelatione patefacta sunt; quare, dum oppugnant adversarii legis naturalis existentiam, revelationis divinae necessitatem demonstrant.

(1) 1. 2. *q.* 94. *in corp.*

Quod pertinet ad ideas innatas, plures quidem Philosophi nostris temporibus eas respuunt, sed alii etiam eas defendunt; verum plerique ex iis, qui eas rejiciunt, fatentur tamen nobis a Deo impressum esse sensum, atque instinctum moralem, seu, quod idem est, propensionem servandi ordinem naturalem: vel indita esse quaedam justi, et injusti semina, quae adveniente usu rationis explicantur, cui sententiae favet Seneca his verbis (1): " cum desideras dici, quo-
" modo ad nos boni, honestique noti-
" tia pervenerit? hoc nos docere na-
" tura non potuit, semina nobis scien-
" tiae dedit, scientiam non dedit. Etenim, inquiunt, nemo repugnabit in natura plura insita esse, quae non nisi post certas temporum periodos explicantur, adolescunt, atque conspicua evadunt. Numquid arbores statim folia, flores, fructusque producunt? numquid homines a nativitate procreant? & tamen annon insitum in arborum natura est, ut folia, flores, fructusque explicent? Annon indita in humana natura vis procreandi? possunt ergo legis naturalis semina esse indita humanae naturae, etsi non statim manifestentur, sed tempore opus sit, & meditatione.

(1) *Epist.* 120.

Sed quamvis ejusmodi principia impressa nobis non sint, sed acquisita, non minus tamen naturalia sunt; ita enim natura comparati sumus, ut nostris facultatibus utentes, non possimus, quin illa principia assequamur; atque juxta ipsa vitam nostram dirigendam esse non intelligamus: sicut enim nemo est, qui totum cum parte conferens, non statim intelligat totum parte sua majus esse, sic nemo etiam est qui ex. gr. comparans creatorem cum creatura non statim sentiat illum ab hac esse adorandum.

Audiamus nunc paucis Hobbesium, qui sic objicit: nulla est naturalis conjunctio, neque a natura ad mutua officia inclinamur; cum homo ad societatem natus non sit; ergo nullae sunt naturales leges.

41. ℟. Etiamsi concederemus nullam esse naturalem inter homines conjunctionem; non inde sequeretur nullas esse naturales leges; quandoquidem adhuc homines ligarentur officiis, quae Deum, ac semetipsos respiciunt. Sed falsum est homines a natura non inclinari ad mutua officia, neque ad societatem natos esse; quid enim sibi vult ea naturalis indigentia, qua homines sibimetipsis sufficere non possunt, nisi Deum homines instruxisse ad societatem, ut se se mutuo adjuvarent, ne dicamus Deum hominibus defuisse in neces-

sariis. *Societatem tolle*, inquiebat Seneca (1), *& unitatem generis humani*, *quo vita sustinetur*, *scindes*. Sane si homo a natura ad societatem comparatus non est, frustra ergo Deus illi indidit affectus misericordiae, gratitudinis, justitiae, naturalis desiderii aestimationis, & famae, quibus homines summopere desiderant ab aliis observari, ac diligi, aliosque affectus, qui hominem sociabilem pro objecto habent. Mitto alia Hobbesii argumenta; adeo enim infirma sunt, ut tempus, et operam perderem, si in iis refellendis adhuc immorarer.

(1) *Lib.* 4. *de beneficiis*.

42. Ex hucusque dictis quisque nullo negotio colligere potest primo errasse incredulos, dum hominem sine lege nasci arbitrantur; etenim homo, prout animal rationis particeps, subditus nascitur legi naturali, cujus existentiam tot argumentis demonstravimus; prout est animal politicum, subjectus legi civili; quia genus humanum absque societate consistere non potest (n. 39.), nec societas sine regimine; *ubi enim non est gubernator, populus corruet* (1); nec regimen sine lege.

(1) *Prov.* 11. *v.* 14.

43. Colligitur secundo errasse Caliclem, & quosdam recentiores, qui asserebant distinctionem boni, & mali ex mera opinione petendam esse; nam primo opinionum commenta delet dies, ut inquit Cicero; distinctio autem boni, & mali, ut supra vidimus, obtinuit in omnibus locis, & apud omnes homines. Secundo distinctio boni, et mali contraria est cupiditatibus; ergo non potuit orbem universum invadere, si in meta opinione, et non in ipsa natura ipsisque rerum essentiis fundata esset. Sapienter Cicero sic scribit (1): " communis intelligentia nobis notas res „ efficit, easque in animis nostris in- „ choavit, ut honesta in virtute po- „ nantur, in vitiis turpia. Haec au- „ tem in opinione existimare demen- „ tis est. Nam nec arboris, nec „ equi virtus, quae dicitur in eo, „ quo abutimur, nomine in opinio- „ ne sita est, sed in natura. " Et sane ante quamcumque hominum opinionem actiones hominum, vel sunt divinis perfectionibus consentaneae, vel repugnantes; si primum: quum eas non possit non approbare Deus, nisi suas perfectiones neget, erunt naturaliter rectae; si secundum: quum eas necessario aversetur, naturaliter malae.

(1) *Lib.* 1. *de lege.*

At, inquies, si malitia inesse posset per se actionibus humanis, Deus, qui ad has concurrit, erit etiam auctor malitiae.

44. ℟. Malitiam per se inesse actionibus, seu actiones esse per se malas moraliter, non physice; non quod in ipsis actionibus malitia reapse insit, alioquin physice essent per se malae; sed quia hujusmodi actiones non congruunt naturae rationali, adeoque ordini divinae sapientiae: unde malitia, quae invenitur non est in

Digitized by Google

ipsis rebus, & actionibus, sed in ipso homine, qui vult suscipere actiones sibi non congruentes; sic plebejus, qui incedit indutus vestibus regiis, crimen committit, non quia malitia insit in istis vestibus, sed quia induit vestes sui status conditionem excedentes.

45. Colligitur secundo errasse Carneadem asserentem virtutem ex amore sui ipsius, vel ex utilitate propria ortum ducere; hac enim posita opinione ampla aperitur via omnibus cupiditatibus, & sceleribus, & immania scelera esse possunt licita, si sint utilia: proinde quisque ad propriam conservationem, & utilitatem poterit alterum decipere, vi opprimere, uno verbo omnia suo commodo, & utilitati sacrificare; unde existet totius humanae societatis subversio.

46. Colligitur tertio errasse eos omnes, qui docuerunt utilitatem Reipublicae, & communem esse fontem, & originem boni & mali; in hac ergo sententia bonum non erit Deum interius colere, & laudare: parentes senio confectos sublevare &c. quia haec non promovent publicam utilitatem. At quis ignorat creatorem longe excellere creaturae, & hanc ab ipso pendere, adeoque creatori debere impendi omnem venerationem, cultum, & laudem? Quis pariter ignoret filios plurima obtinuisse beneficia a parentibus; ideoque necessarium esse, ut opem, & auxilium ipsis in necessitate praebeant?

47. Colligitur quarto errasse Hobbesium putantem distinctionem boni, & mali ex initis in societate pactis originem habere. Certe si post hominum pacta, vel contractus est aliquid rectum, & honestum; ergo etiam ante pacta, & contractus; neque enim, ut patet, contractus possunt per se conferre honestatem actionibus, quae in se nullam habent. Profecto qui dicit, antequam pacta ineantur, nullam esse honestatem, perinde se habet, ac ille, qui diceret radios non esse aequales, antequam efformaretur circulus, vel triangulum non constare tribus angulis, & tribus lateribus, antequam describeretur.

Sed juverit in hac re audire Danielem Concinam (1) hisce verbis Hobbesium confutantem. „ Defendit impius Thomas Hobbes Anglus, omnia „ ante legem voluntariam esse indiffe„ rentia: atque adeo ex solo libero „ beneplacito bona, aut mala eva„ dere. Si quidem de *Cive cap.* 12. *sect.* 1. scribit, *regulas boni, & mali, justi, & injusti, honesti, & inhonesti esse leges civiles; ideoque quod legislator praeceperit, id pro bono: id, quod vetuerit, pro malo habendum esse.* Quare hoc ceu „ primum sui systematis praejacet „ fundamentum cit. lib. de civ. cap. „ 1. sect. 10. *Natura dedit unicuique jus in omnia: hoc est in statu mere naturali, sive antequam homines ullis pactis se se invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quaecumque, & in quoscumque lice-*

Digitized by Google

bat, *& possidere uti*, *frui omnibus*, *quae volebat & poterat*. „ Quam „ sit haec doctrina seditionis tumultuum, & absurdorum plenissima, nemo non videt. Homines natura pares sunt? Filius „ ergo inferior patre non est? Jure „ potiuntur omnes homines eadem „ sibi accipiendi bona, & quisque „ secum exercere potestatem valet, „ ut vi, quae aliorum sunt, sibi „ comparet: etiamsi opus alterius „ occisione fuerit? Eadem ergo res „ justa, & injusta erit, idemque „ jus in eamdem rem habere duo „ mutuo queunt? Singuli ergo homines in alterius hominis vitam „ struere insidias poterunt; & cuique, „ ut suae consulat securitati, praevenire alterum, illumque de medio tollere jus erit? Quidni, subdit Hobbesius loc. cit. sect. 12. *Bellum omnium in omnes*, & patentius hoc adfirmat cap. 5. sect. 1. *spes unicuique securitatis conservationisque suae in eo sita est*, *ut viribus*, *artibusque propriis proximum suum*, *vel palam*, *vel ex insidiis praeoccupare possit*. Item Leviathan cap. XIII. *securitatis viam majorem habet nemo anticipatione*. „ In cujusnam mentem „ venisset unquam tam absurda paradoxa edi in lucem ab homine ratione praedito potuisse? Ut doctrinae horrorem temperet, generisque „ humani declinet invidiam, cogitur „ ipsemet quamdam naturae legem „ admittere, ut *homines*, inquit lib. „ de cive cap. III. sect. 1. *huiusmodi bellum omnium in omnes devitent*, *mutuis se devincire pactionibus debent*. „ At quae lex urget, ut haec pacta „ custodiant? Lex, subdit, antecedens „ contractus istos. Extat igitur lex naturae hominum decreta antecedens. „ Pugnat ergo systema Hobbesianum. „ Lib. de civ. cap. 11. ses. 2. haec „ habet: *prima*, *& fundamentalis lex naturae est*, *quaerendam esse pacem*, *ubi haberi potest*: „ si prima naturae lex homines impellit, ut mutuis pactis pacem curent, haec eadem lex damnat bellum omnium „ contra omnes. Propriis itaque antilogiis Hobbesius contra semetipsum „ pugnat, sed ut clarius pateat, quam „ sit erroneum Hobbesianum systema, hoc pacto disputo. Ante hominum contractus nulla lex justi, „ aut injusti, Hobbesio teste. Licite „ homo surripere vitam homini valet, pactis mutuis sublatis. Quidni, „ & post pacta? Cur enim pacta „ vim obligationis mutuae inferunt? „ Quia homines mutua se obstrinxere fide. Sed quaero, cur peccatum est hanc mutuam infringere „ fidem? Hic est nodus solvendus. „ Alterutrum enim respondendum est. „ Aut regula est, cum qua fidei „ fractio pugnet; & tum ante hominum pacta adest regula boni, „ & mali. Aut si nulla regula est, „ cui fidei violatio repugnet, tum „ nullum crimen erit fidem oppignoratam frangere.

Alasia

(1) *Dissertat.* 2. *de leg. cap.* 9. *num.* 2.

Digitized by Google

48. Colligitur quarto errasse Spinozam, qui censuit appetitum, & potentiam esse caussam distinctionis boni, & mali; quia homo juxta ipsum jus naturale habet in ea omnia, quae appetit, & potest. Si haec sententia obtineret, nulla amplius reperiretur securitas, nulla pietas, clementia nulla, terra caedibus, & sanguine redundaret, quia homo haec agens a quavis culpa immunis esset, quum ea utatur potestate, quam accepit a natura.

49. Colligitur quinto errasse Helvetium, qui in opere, quod inscripsit *l'Esprit* vestigia premens Carneadis, Hobbesii, & Spinozae docuit physicam sensibilitatem, ex qua dolor, ac voluptas oritur, & propriam utilitatem esse totius justitiae fontes, & post conventiones, & pacta actiones tantum justas esse, vel injustas. Quamvis autem hos errores ejuraverit, in alio tamen libro eos confirmavit, plurimaque scripsit contra libertatem, spiritualitatem & immortalitatem animi. Eadem ergo argumenta, quibus Carneadem, Hobbesium, & Spinozam confutavimus, satis superque sunt ad impium hoc systema evertendum; atque in hos omnes perbelle quadrant verba Senecae (1): *vitiis suis sapientiam inscribunt, & abscondenda profitentur, sed vitiis dediti luxuriam suam in Philosophiae sinu absconderunt, & eo concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem.*

(1) *Cap.* 13. *de vita beata.*

50. Colligitur sexto errasse eos omnes, qui ex libera, & positiva Dei voluntate, boni, & mali distinctionem oriri asserebant. Si ita est, ante Dei legem positivam quaelibet actio fuisset nec bona nec mala, potuissetque Deus contraria iis, quae praecepit, imperare, ideoque ipsum non colere, sed odio habere, ipsum non revereri, sed blasphemare. Si autem haec vera sunt, potuit ergo Deus se ipsum non diligere, sed odio habere, atque semetipsum destruere. Atqui haec omnia absurda sunt; ergo &c. Egregie Augustinus (1): *Deus justus est, si justus est, displicet ei injustitia. Tu autem, cum putas ei placere iniquitatem, negas Deum.*

(1) *In psalm.* 52.

51. Colligitur septimo legem naturalem non esse ipsam naturam rationalem, sicuti censuit Vasquez; nam primo natura rationalis est subjectum, cui lex a Deo imponitur; lex autem a legis subjecto distinguitur. Secundo natura rationalis considerata secundum sua praedicata essentialia nec praecipit, nec prohibet, ergo legis rationem habere non potest.

ARTICULUS I.

De primo legis naturalis principio.

SUMMARIA

1. *Ostenditur aliquod admittendum esse primum principium juris naturae, ad quod caetera reducantur.*

Digitized by Google

2. *Principium juris naturae primum hoc est*: ordo naturalis est servandus.
3. *Solvitur objectio ex D.Thoma petita.*
4. *Triplex distinguitur ordo, hominis ad Deum, hominis ad alios homines, sui ipsius ad se ipsum.*
5. *Ex ordine hominis ad Deum fluunt quatuor prima Decalogi praecepta.*
6. *Ex ordine hominis ad alios homines derivantur in primis sex posteriora Decalogi praecepta.*
7. *Ex hoc ordine derivatur etiam secundarium caritatis praeceptum*: diliges proximum tuum sicut teipsum.
8. *Ex ordine sui ipsius ad seipsum oriuntur omnes virtutes, quae ad excolendum animum, & corpus conservandum sunt necessariae.*
9. *Fluunt etiam virtutes prudentiae, & fortitudinis ex dictis.*
10. *Habentur ex ordine naturali virtutes Cardinales, ideoque omnes aliae virtutes morales, utpote cum illis necessario connexae.*
11. *Refutatur primo sententia Valentini Alberti circa primum juris naturae principium.*
12. *Refutatur secundo sententia Hobbesii.*
13. *Refutatur tertio sententia Rousseau.*
14. *Refutatur quarto sententia Thomasii.*
15. *Refutatur quinto sententia Pufſendorphii.*

1. Admittendum esse aliquod generale principium, ad quod omnia juris naturae praecepta reducantur, sic ostendi potest. Sicuti objectum intellectus est verum; ita objectum voluntatis est bonum; ita ut sicut intellectus ferri non potest nisi in verum; ita voluntas non possit appetere nisi bonum; & quemadmodum prima principia speculativa veri sunt cordibus nostris impressa, ita & prima principia practica boni; atqui in principiis speculativis est admittendum aliquod principium, ad quod caetera referantur; ita in principiis practicis admittendum est aliquod principium universale, ad quod omnia praecepta juris naturae reducantur.

2. Credimus autem universale, & primum juris naturae praeceptum hoc esse: *ordo naturalis est servandus*. Enim vero lex naturalis nihil aliud praecipit, nisi ut ordo naturalis servetur, ut patet ex ejus definitione; hoc ergo praeceptum: *ordo naturalis est servandus*, erit primum, & universalissimum juris naturae praeceptum. Quod praeceptum quidem consonat cum illo praecepto divi Pauli (1): *omnia honeste, & secundum ordinem fiant*.

(1) *Prima Corinth. cap.* 14.

3. Neque opponas D. Thomam, qui (1) docet primum legis naturae praeceptum hoc esse: *bonum est faciendum, & malum vitandum*; nam pluribus in locis D. Thomas, & in libro praesertim contra gentes (2) tradit bonum consistere in ordine rationis, malum vero in ordinis perversione: quare in loco nobis objecto in responsione ad tertium argumentum haec habet: *ratio est ordi-*

natio omnium, quae ad homines spectant: & secundum hoc sub lege rationis continentur ea omnia, quae ratione regulari possunt. Et sane licet verum sit objectum intellectus, ipsum tamen verum inveniendum non est primum principium, a quo omnes veritates fluant, sed secundum D. Thomam (3) est istud: impossibile est idem simul esse, & non esse; ita quamvis bonum sit objectum voluntatis, non tamen bonum faciendum erit primum juris naturae praeceptum, ex quo omnia alia deriventur.

(1) 1. 2. *q.* 94. *art.* 2.

(2) *Lib.* 3. *contra gent. cap.* 114. *usque ad* 130.

(3) 1. 2. *q.* 94. *art.* 2.

4. Ut autem intelligatur, quomodo omnia juris naturae praecepta fluant ab illo universalissimo: *naturalis ordo est servandus*, animadvertendum erit triplicem esse ordinem: primus est hominis ad Deum: alter hominis ad alios homines: tertius hominis ad semetipsum; seu, quod idem est, ordo inferioris ad superiorem, ordo aequalis ad aequalem, & ordo sui ipsius ad semetipsum.

5. Jam vero ex primo ordine inferioris ad superiorem eruitur Deo deberi adorationem, utpote supremo rerum omnium domino, amorem super omnia, ex quo totum id, quod sumus, & habemus, accepimus; obedientiam &c.

Item ex hoc ordine inferioris ad superiorem, illud etiam evidenter consequitur parentes esse honorandos, & eos omnes, qui natura, vel contractu, vel alio quocumque titulo superiores nobis sunt; & sic, ut patet, ex hoc ordine fluunt quatuor prima praecepta decalogi, quorum tria versantur circa cultum Dei, & quartum circa honorationem parentum.

6. Ex secundo ordine aequalis ad aequalem, quoniam natura nos omnes aequales fecit, necessario sequuntur ea principia; alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri: alteri feceris, quod tibi vis fieri, ex quibus oriuntur sex alia decalogi praecepta, nempe prohibentur homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, desiderium alienae uxoris, desiderium rei alienae. Hinc fluunt leges aequitatis, & justitiae, & sic prohibentur fraudes, usurae &c.

Quoniam, inquit S. Thomas (1), *homo naturaliter animal sociale est, indiget enim multis, quae per unum solum parari non possunt*; exurgit propterea, ut idem ait alio loco (2), ut homines *se invicem diligant, cujus signum est, quod quodam naturali instinctu, homo cuilibet homini etiam ignoto subvenit in necessitate, puta revocando ab errore viae, erigendo a casu, & aliis hujusmodi*. Cum autem amare nihil aliud sit, quam velle bonum, hinc oportet, quod homo alteri homini prudenter procuret bonum, quod poterit, & quoad corpus, & quoad animam; simul, & abstineat ab eo omni, quod alteri nociturum videt.

Digitized by Google

(1) *Lib.* 3. *contra gent. c.* 128.
(2) *Loco cit. cap.* 11.

7. Habetur ergo secundarium praeceptum caritatis, nimirum *diliges proximum tuum sicut te ipsum*: quare etiam prohibentur vitia, quae hujusmodi amorem tollunt, puta contentiones, rixae, detractiones &c., & praecipiuntur virtutes, quae hujusmodi amorem fovent.

8. Ex tertio ordine sui ipsius ad seipsum sequitur amor hominis in semetipsum; unusquisque enim naturaliter tendit in sui ipsius conservationem; & quoniam homo constat mente, & corpore, praecipiuntur eae virtutes, quae ad excolendum animum sunt necessariae; tum eae, quae ad conservationem corporis praerequiruntur, & prohibentur ea vitia, quae menti excolendae, & corpori conservando repugnant. Ergo praeter alias virtutes necessaria est homini temperantia, ut vitet immoderationem, quae grave corpori damnum afferre, sensus hebetare, intelligentiam obruere solet, utpote suae naturae inimicam.

6. Ex hucusque dictis fluunt virtutes fortitudinis, & prudentiae; etenim, ne hoc mali timore, ab agendo quod debet, absterreatur, indiget fortitudine, quae omnes vincit occurrentes agendi difficultates; atque, ut in omnibus rectus semper ordo servetur, necessaria est ei prudentia, quae dictat quid sit faciendum, vel omittendum.

10. Habemus ergo ex ordine naturali Cardinales virtutes fluentes, nempe prudentiam, fortitudinem, justitiam, & temperantiam, quae necessaria est homini ad sui ipsius conservationem; proindeque habemus omnes alias virtutes Cardinalibus virtutibus annexas; nam, ut alibi demonstrant Theologi, ex principalibus virtutibus caeterae virtutes eis annexae derivantur.

11. Ex superius dictis quisque nullo negotio colligere poterit, primo rejiciendam esse sententiam Valentini Alberti statuentis (1) primum juris naturae principium esse convenientiam cum statu integritatis. Enim vero primum juris naturae principium sola natura duce cognosci potest, & debet; at status integritatis nonnisi per revelationem innotescit; adde, quod plura, quae illi statui conveniebant, naturae corruptae amplius convenire nequeunt; ergo status ille integritatis non solum non poterit esse primum juris naturae principium, sed nec in pluribus regula agendorum.

(1) *In compend. juris nat. orthod. Theol. conf. p.* 1. *c.* 1.

12. Secundo respuendam pariter esse opinionem Hobbesii, qui sui ipsius conservationem ut primum juris naturae principium adoptavit (1). In hac opinione quisque non solum alios homines sibi aequales, verum etiam & Principem interficere, atque bonum publicum pro sui ipsius conservatione pessundare poterit, uno verbo omnibus iniquitatibus, si hae conferre possint ad sui ipsius conservationem

nem, habenas laxare ei licebit. Quantum haec omnia, quae ex hac opinione fluunt, sint absurda, nemo est, qui non videat.

(1) *Cap.* 1. *de cive.*

13. Tertio falsissimam esse doctrinam Rousseau (1) pro primo juris naturae principio ponentis amorem sui, et erga alios commiserationem. Et primo quod pertinet ad amorem sui, si sui ipsius conservatio, ut jam probatum est, non potest esse primum juris naturae principium, nec pariter amor sui; ille autem commiserationis sensus erga alios, qui additur inducere nos potest ad actiones tum justas, tum injustas; ergo neque assignari poterit pro primo juris naturae principio.

(1) *Praef. ad inaequal. condit.*

14. Quarto non minus a vero abludit juris naturalis principium a Thomasio excogitatum (1) videlicet *esse facienda, quae vitam humanam reddunt, & maxime diuturnam, & felicissimam; vitanda pariter, quae vitam reddunt infelicem, & mortem accelerant.* Si ita est, ergo errarunt tot ii martyres, qui pro fide Christi tuenda non solum pericula, & damna, sed et mortem ipsam subiere; errantque propterea nunc omnes, qui pro salute publica vitam suam periculo, et morti objiciunt. Vides quantum haec doctrina religioni, & bono publico adversa sit.

(1) *Lib. de normi. act. hum. cap.* 6.

15. Demum non est admittendum principium Puffendorphii (1) asserentis socialitatem esse fontem juris naturalis; homo enim independenter a quacumque societate tenetur Deum colere, seipsum diligere, & alterum non laedere; ergo a socialitate non erit repetendum primum juris naturae principium. Qui plura in hisce principiis profligandis desiderat, adire poterit Fineti.

(1) *Lib.* 1. *de off. hom. & civ. cap.* 3.

(2) *De princ. jur. nat., & gent. lib.* 7.

ARTICULUS II.

De legis naturalis immutabilitate.

SUMMARIA

1. *Referuntur sententiae circa legis naturalis immutabilitatem.*
2. *Ostenditur legem naturalem a Deo abrogari non posse.*
3. *Ostenditur Deum in lege naturali dispensare non posse.*
4. *Ostenditur alia ratione.*
5. *Confutantur Scotistae.*
6. *Duplex distinguenda est dispensatio.*
7. *Ex praeceptis juris naturae alia exceptionem admittunt, alia non; exponitur, quaenam sint haec postrema, notaturque differentia inter praecepta positiva, & negativa.*
8. *Explicatur, quaenam sint ea praecepta, quae exceptionem aliquam admittunt.*
9. *Caussa traditur, ob quam Puffendorphii argumenta non convellantur.*
10. *Primae objectioni respondetur.*
11. *Respondetur secundae.*

Digitized by Google

12. *Respondetur tertiae.*
13. *Plures objectiones simul proponuntur.*
14. *Respondetur primae.*
15. *Respondetur secundae.*
16. *Respondetur tertiae.*
17. *Respondetur quartae.*
18. *Respondetur quintae.*
19. *Respondetur sextae.*
20. *Objectio una proponitur, & simul respondetur.*
21. *Objectiones tres proponuntur.*
22. *Respondetur primae.*
23. *Respondetur secundae.*
24. *Respondetur tertiae.*
25. *Solvitur objectio petita ex S. Bernardo.*
26. *Deus dispensare non potest in iis, quae sunt directe contra suas perfectiones.*
27. *Deus dispensare potest hominem in iis, quae sunt contra proximum, & contra ipsum hominem, posita quadam limitatione.*
28. *Quae sunt directe contra Dei perfectiones, materiae parvitatem non admittunt.*
29. *Solvitur prima objectio.*
30. *Solvitur secunda objectio.*
31. *Explicatur, an epichia locum habeat in lege naturali.*

1. Variae fuerunt circa legis naturalis immutabilitatem sententiae: inter veteres scholasticos recensetur Ochamus (1), qui docuit Deum in lege naturali dispensare, imo & totam abrogare posse, in cujus sententiam concesserunt Gersonius (2), & Almainus (3); ex Protestantibus vero Puffendorphius (4), qui contendit omnem legem a Dei voluntate pendere; hunc secuti sunt plures Protestantes. Isti omnes in hoc consentiunt, quod velint nulla esse opera natura sua bona, vel mala; & solum bona esse, vel mala, quia nobis imperata, vel prohibita. Alii vero, Scotistae nempe, media via incedentes arbitrati sunt nullam abrogationem, vel dispensationem cadere posse in praecepta primae tabulae, sed solum in praecepta secundae tabulae, quia illa in Deum directe, haec in proximum tantum referantur. Contra hos omnes.

(1) *In 2. quaest.* 19.
(2) *In tract. de vita spir.*
(3) *Tract.* 3. *mor.*
(4) *Lib.* 1. *c.* 3. §. 4. *de jur. nat. & gent.*

2. Dicimus primo Deum legem naturalem abrogare non posse; nam lex naturalis, ut vidimus superius ex Augustino, est legis aeternae in hominum mente transcriptio, & ex D. Thoma participatio legis aeternae in rationali creatura; sed Deus legem aeternam, quae non differt a divina natura, abrogare non potest; alioquin semetipsum destruere posset; ergo nec legem naturalem.

Profecto quemadmodum, ut jam superius observatum est, in rebus physicis dantur quaedam inter res relationes necessariae, & immutabiles, puta duo tribus addita necessario, et immutabiliter efficiunt quinque; ita pariter in rebus moralibus quaedam inveniuntur relationes independentes

omnino a quacumque lege positiva; sic necessaria, & immutabilis est relatio creaturae ad creatorem, inferioris ad superiorem &c. Ergo principia practica boni, non secus ac principia speculativa veri fundata sunt in rerum essentiis; sed essentiae rerum juxta omnes sunt immutabiles; ergo et principia practica boni sunt immutabilia; proindeque lex naturalis, ex qua fluunt istiusmodi principia, erit etiam immutabilis. Unde sicuti res non est visibilis, quia videtur, sed videtur quia est visibilis; ita res quaedam non sunt bonae, quia a Deo imperantur, vel malae, quia a Deo prohibentur, sed a Deo imperantur, vel prohibentur, quia sunt in se bonae, vel malae independenter a Dei voluntate.

3. Dicimus secundo Deum dispensare non posse in lege naturali; cum enim bonum in ordinis custodia consistat, malum vero in perversione ordinis; sicut Deus non potest non velle bonum, ac odisse malum; ita non potest non velle ordinem, & odisse ordinis perversionem; ideoque approbare non potest, ut ordo naturalis, seu, quod idem est, lex naturalis non servetur. Praeclare D. Thomas (1): " dicendum, quod sicut Apostolus dicit 2. Timoth. 2. Deus fidelis permanet, negare semetipsum non potest; negaret autem se ipsum, si ordinem suae justitiae auferret, cum ipse sit sua justitia, et ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, vel non subdi ordini justitiae ejus, etiam in iis, secundum quae homines ad invicem ordinantur."

(1) 1. 2. q. 100. *art.* 8. *ad* 2.

4. Deinde si Deus dispensare posset in lege naturae, posset ex. gr. alicui facultatem facere, ut mendacium proferat; ideoque posset et ipse mentiri in iis etiam, quae ad revelationem pertinent, et a fortiori efficere poterit, ut in rebus evidentibus nos decipiamur; et sic conclamatum esset, non solum de quacumque religione revelata, sed etiam de quacumque certitudine.

5. Ut autem aliquid dicamus contra Scotistas, in primis iis contrarius est D. Thomas, sic scribens (1): " Deus dispensare non potest, ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, vel non subdi ordini justitiae ejus etiam in his secundum quae homines ad invicem ordinantur:" atqui ea, secundum quae homines ad invicem ordinantur, sunt praecepta secundae tabulae; ergo Deus in his praeceptis non potest dispensare. Adde, quod ex mandato Deum diligendi, manat praeceptum diligendi proximum; cum hoc sit primo simile (2): sed fatentibus adversariis in praeceptum diligendi Deum, utpote praeceptum primae tabulae, nulla cadit dispensatio; ergo nec in praeceptum diligendi proximum, quod est praeceptum secundae tabulae.

(1) 1. 2. q. 100. *art.* 8. *ad* 3.

(2) *Marci cap.* 12. *v.* 31.

6. Ad tollendas plures difficultates notandum est primo duplicem esse distinguendam dispensationem, propriam unam, impropriam alteram. Prima est relaxatio legis immutata materia praecepti. Secunda est, quando mutatur materia, ut desinat comprehendi sub lege. Res exemplis fit clarior: superior, qui ob aliquam infirmitatem, non tamen ita gravem, ut ex se satis sit ad solvendum jejunium, subditum in jejunio dispensat, non mutat materiam; at si creditor debitum condonet, tunc materia legis mutatur; nam materia restitutionis est aes alienum: porro hoc aes ex condonatione creditoris desinit esse alienum: quare ille, qui dispensatur proprie, ex. gr. in jejunio, non tenetur amplius lege jejunandi, sicuti tenentur alii: qui vero dispensatur improprie: puta liberatur a solutione debiti, iste adhuc lege tenetur solvendi aes alienum, sicuti, & alii; unde si hic, & nunc non tenetur solvere proprium debitum, hoc non evenit ex eo quod a lege liberetur, sed ex eo quod condonatione creditoris desinit esse alienum, vel debitum, proindeque non manet legis materia. Ex quo consequitur priorem dispensationem in legem, secundam autem in materiam legi subjectam cadere.

7. Notandum est secundo juris naturalis praecepta, quae propositionibus universalibus enunciantur, alia esse, quae nullam, alia, quae aliquam exceptionem admittunt. Priora, si sermo sit de praeceptis positivis, ea sunt, quorum actus necessariam habent connectionem cum ordine divinae sapientiae, ut patet in hoc exemplo: Deus est adorandus; vel, si sermo sit de praeceptis negativis, quorum actus ex natura sua, & independenter a quacumque conditione adversantur ordini divinae sapientiae, ut patet in his exemplis: non mentiendum, non pejerandum. Hoc autem intercedit discrimen inter praecepta negativa, et positiva; quod illa semper, et ubique obligent; nullum enim dari potest tempus, in quo facere liceat, id quod suapte natura malum est; haec vero obligent quidem semper, sed non ad semper, seu non in singula momenta; quia impossibile est, ut homo, qui pluribus praeceptis ligatur, ea omnia singulis momentis implere possit; unde hoc praeceptum: *Deus est adorandus*, nullam admittit exceptionem, sed solum aliquam intermissionem, quatenus singulis momentis non tenetur homo actus adorationis exercere.

8. Secunda autem ea sunt, a quorum actibus separari aliquando malitia potest: et hoc contingit potissimum duobus in casibus. Primo quando pravitas intime non adhaeret actus substantiae, sed solum oritur a quadam conditione actui adveniente; sic pravitas homicidii intrinsece non conjungitur cum ipsa actus substantia, seu occisione, sed pendet ex conditione injuriae occisionis actui adveniente; quare ablata ratione injuriae

nulla est amplius pravitas in actione; unde hoc praeceptum universale: *non occides* intelligendum est de occisione injuriosa, seu innocentis, non vero de occisione, quae fiat privata auctoritate cum moderamine inculpatae tutelae ob propriae vitae defensionem, vel de ea, quae fiat legitima auctoritate ob bonum publicum. Secundo quando praeceptum minus universale concurrit cum praecepto universaliori, vel altioris ordinis; in hac enim specie secundum praeceptum erit primo anteferendum; sic nemo tenetur reddere depositum Domino, si eo abusurus praevideatur in sui, vel aliorum grave damnum: sic pariter debitor nulla obligatione adstringitur solvere debitum; si hoc fieri non possit, quin deseratur pauper in extrema necessitate constitutus.

9. Notandum est tertio Theologos quosdam multos esse in refellendis Puffendorfii argumentis, nos autem ea praetermittimus, quia scilicet eo solum tendunt, ut probent nullam esse moralitatem fundamentalem ante legem aeternam; quod quidem nos libenter concedimus. Accedamus nunc ad argumenta adversariorum.

Objiciunt primo. Legislator humanus potest in suis legibus dispensare; ergo et Deus in propriis legibus.

10. ℟. Deum, non secus ac legislatorem humanum, in legibus a se latis posse dispensare; non vero in lege naturali: leges enim positivae a libera voluntate pendent; sicut ergo legislator potest illas non condere, sic et earumdem obligationem relaxare; at vero lex naturalis a libera Dei voluntate non pendet; nam ea praecipit, vel prohibet, quae antecedenter ad liberum Dei decretum, & positivam voluntatem bona, vel mala intrinsece sunt; quamvis igitur Deus libere humanam naturam condiderit, facta tamen hypothesi, quod eam creare voluerit, necessitate licet hypothetica adstringitur, ut circa creaturas se gerat juxta ordinem, quem illae cum sua essentia, & sapientia exprimunt; cum igitur hic ordo cum divina sapientia sit necessarius, Deus nunquam, nisi se ipsum negare velit, dispensare potest in lege naturali.

Objiciunt secundo. Deus liber est, neque ab aliquo extrinseco cogi potest, ergo in actibus, quos natura praecipit, vel vetat, utpote sibi extrinsecis dispensare potest.

11. ℟. Deum, ut jam observatum est, non cogi simpliciter, et absolute, sed ex hypothesi tantum: posito enim, quod Deus naturam condiderit rationalem; tenetur, & cogitur ea approbare, quae illi consentanea sunt, quae dissentanea, improbare: eo ferme modo, quo posito, quod hominem condere velit, ipsum animal rationale creare tenetur. Fac enim Deum creare posse hominem irrationalem, hic esset homo, et non homo, homo ex hypothesi, non homo, quia ad essentiam hominis rationalitas pertinet; ideoque Deus posset contradictoria, quod absurdum est. Et sane cum ea,

Digitized by Google

quae praecipiuntur, aut prohibentur a lege naturali, ideo bona, vel mala sint, quia ordini rerum naturali necessario conformia, vel difformia existunt; aliunde vero hic ordo in rerum natura fundatus in divina essentia, tamquam in archetypa omnium idea, & exemplari contineatur, hinc, quae lege naturali jubentur, vel vetantur, originative a lege aeterna jubentur quoque, aut vetantur, & consequenter cum divina essentia, utpote cum aeterna Dei lege identificata, intrinsece connexa sunt; porro Deus in iis, quae sibi intrinsece sunt connexa, dispensare non potest, nisi dicamus, Deum se ipsum destruere posse.

Objicies tertio communitas bonorum, & libertas sunt de jure naturae; atqui bonorum divisio, & servitus sunt jure gentium introducta; ergo &c.

12. ℟. Bonorum communionem, & libertatem esse de jure naturae, quatenus jus naturae permittit bonorum communionem, & libertatem, non vero quatenus contrarium prohibeat. Egregie s. Thomas (1) „ dicendum, „ quod aliquid dicitur esse de jure „ naturae dupliciter: uno modo, quia „ ad hoc natura inclinat, sicut non „ esse injuriam alteri faciendam; alio „ modo quia natura non inducit con„ trarium; sicut possumus dicere, „ quod hominem esse nudum est de „ jure naturali, quia natura non de„ dit ei vestitum, sed ars adinvenit; „ & hoc modo communis omnium „ possessio, & omnium libertas di„ citur esse de jure naturali, quia „ scilicet distinctio possessionum, & „ servitus non sunt inducta a natu„ ra, sed per hominum rationem ad „ utilitatem humanae vitae.

(1) 1. 2. *q.* 94. *art.* 5. *ad* 3.

13. Objiciunt quarto. Deus saepe saepius in lege naturali dispensavit, & primo cum Abrahamo (1), ut filium suum innocentem occideret. Secundo cum Osea, ut fornicarie ad meretricem accederet (2). Tertio cum Israëlitis, ut Ægyptiorum vasa aurea, & argentea furarentur (3). Quarto cum Patriarchis, ut plures acciperent uxores (4). Quinto cum Judaeis, quibus libellum repudii permisit (5). Sexto cum obstetricibus Ægyptiis, ut mentirentur, earumque mendacium remuneratus est (6).

(1) *Gen.* 22. (2) *Osee cap.* 1.
(3) *Exodi* 11.
(4) *Gen.* 16. & 25. *David.* 2. *Reg.* 5.
(5) *Deuteron.* 24.
(6) *Exodi cap.* 1.

14. ℟. Facile constare ex dictis in allatis exemplis non fuisse proprie dispensatum, sed improprie per materiae mutationem. Unde ad primum: cum Deus mandavit Abrahae, ut filium suum innocentem occideret, non dispensavit in praecepto: *non occides*, quod prohibet solum occisionem injuriosam, & privata auctoritate factam, sed solum legis materiam mutavit, quatenus quum sit supremus vitae & necis dominus, effecit, ut illa occisio non sit amplius injuriosa, & privata auctoritate facta.

15. ℟. Ad secundum inter Oseam, & meretricem, verum intercessisse matrimonium, ita ut illorum verborum: *sume tibi uxorem fornicariam*, sensus sit: mulierem, quae prius fornicata fuerat, sume tibi uxorem. Ita Augustinus (1), qui respondens Fausto asserenti Deum esse peccati, & fornicationis auctorem, inquit: *Quid enim adversum clementiae veritatis? Quid inimicum fidei Christianae, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur?* Nec obstant verba subsequentia, *fac tibi filios fornicationum*; nam vel sensus est, fac per adoptionem tuos filios, quos haec mulier per fornicarios concubitus genuit; qui sensus cum aliis versionibus Graeca, Syriaca, Arabica, Hebraea congruit, in quibus non dicitur: fac tibi filios fornicationis, *sed vade, sume tibi uxorem fornicariam, & filios fornicationum*: vel sensus est filios ab Osea legitime procreandos filios fornicationis appellari propter praeteritas matris fornicationes.

(1) *Lib.* 22. *contra Faustum.*

Non est etiam spernenda responsio illorum Theologorum, qui dicunt Oseam non peccasse dum ex solo Dei mandato sine mutuo consensu matrimoniali accessit ad meretricem: in hoc enim casu aiunt nullam Deum concessisse dispensationem propriam, sed solum impropriam, mutando nempe materiam, quatenus scilicet Deus, ut supremus corporum dominus, dedit Oseae dominium in corpus meretricis; unde D. Thomas inquit (1): *Oseas accedens ad uxorem fornicariam non est fornicatus, quia accessit ad eam, quae sua erat secundum mandatum Dei, qui est auctor institutionis matrimonii.*

(1) 1. 2. *q.* 100. *art.*8. *ad* 3.

16. ℟. Ad tertium, Deum quoque improprie dispensasse cum Israelitis, quando eis facultatem fecit, ut tollerent vasa aurea, & argentea, quatenus id, quod erat Ægyptiorum, transtulit in dominium Israelitarum titulo supremi dominii, quo in res omnes creatas fruitur, & titulo mercedis, quae Israelitis ab Ægyptiis debebatur.

17. ℟. Ad quartum, hic quoque non fuisse dispensationem propriam, sed solum mutationem materiae; etenim jus integrum, quod habet una uxor in corpus viri, subjectum est Dei potestati; proindeque a Deo ut supremo corporum domino dividi posse in plures uxores, quo facto pluralitas uxorum, seu poligamia amplius non repugnat juri naturali.

18. ℟. Ad quintum, plures sentire libellum repudii numquam fuisse approbatum, ut licitum, sed solummodo toleratum ad graviora mala vitanda; ita ut qui uxorem dimitterent, essent quidem immunes a poena, non vero a culpa. Quare Christus inquit (1): *Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxorem; ab initio autem non fuit sic.* Sed etiamsi concedatur libellum repudii non solum toleratum, sed etiam

Digitized by Google

approbatum fuisse, solide responderi potest jus, quod habent conjuges in mutua corpora, subordinatum esse Dei dominio, quum Deus possit vinculum, quod ex mutuo consensu conjugum oritur, infirmare; unde si Deus jus, quod habent conjuges in mutua corpora, auferat, nullum amplius inter eos vinculum erit.

(1) *Matth.* 19. *v.* 8.

19. ℟. Ad sextum, in facto obstetricum Ægyptiarum duos actus esse distinguendos, unum, quo intenderunt prodesse Hebraeorum masculis, quos Pharao praefocari jusserat, alterum, quo mendacium elegerunt, tamquam medium ad praedictos masculos a morte liberandos; primum actum Deus remuneratus est, non autem secundum.

Objiciunt quinto. Matrimonium fratrem inter, & sororem est contra legem naturae, eaque de caussa Ecclesia numquam in eo dispensavit; atqui Deus cum filiis, & filiabus Adae dispensavit, ut inter se inirent matrimonium; ergo &c.

20. ℟. In sententia Cajetani, aliorumque sentientium matrimonium inter fratres, & sorores lege naturali non prohiberi, in fumum abit objectio. In sententia vero aliorum Theologorum responderi solet matrimonium inter fratres, & sorores esse quidem contra legem naturalem extra casum summae necessitatis, non autem in casu ejusdem necessitatis; in hoc enim casu non pugnat cum lege naturae; imo potius lex naturae illud requirit, utpote ad naturam conservandam, propagandamque necessarium; sic plura sunt, quae extra necessitatem juri naturae repugnant, quod non contingit, quando adest necessitas: ut aliquod exemplum proferam: peccat contra jus naturae, qui aliquid extra necessitatem subripit, non autem si extrema prematur necessitate. His adde, quod duplex est finis matrimonii, primarius unus, secundarius alter. Primarius est humani generis propagatio; secundarius autem est necessitudo, & socialis propinquitas ineunda, & augenda inter familias, ut docet s. Augustinus (1); jam vero initio mundi matrimonia inter fratres, & sorores non repugnabant fini matrimonii primario, ut patet, neque secundario; eo quod tunc temporis unica tantum esset familia.

(1) *Lib.* 15. *de civ. Dei cap.* 16.

21. Objiciunt quinto. Votum, & residentia Episcoporum sunt de jure naturae, sicuti quod quis unicum tantum habeat beneficium; atqui summus Pontifex saepe dispensat in votis, in residentia Episcoporum, in pluralitate beneficiorum; ergo &c.

22. ℟. Ad primum: superiorem, dum dispensat in votis, non dispensare in lege naturali, sed vel nomine Dei relaxare obligationem voti; quo in casu mutatur solum materia praecepti; eo modo, quo creditor, dum remittit obligationem debitori, non dispensat in lege naturali; sed solum mutat materiam prae-

cepti, ut supra explicatum est, vel superiorem tantum declarare, hoc vel illo in casu nullam esse voti obligationem.

23. Ad secundum, in residentia Episcoporum Papa proprie non dispensat in lege naturali, sed solum declarat hanc, vel illam caussam sufficientem esse, ad hoc ut aliquis Episcopus absit per aliquod tempus a dioecesi sua.

24. Ad tertium respondet s. Thomas (1) „ quod habere plura bene- „ ficia non sit de genere malorum, „ quae habent inseparabiliter anne- „ xam malitiam, ut fornicatio, adul- „ terium, & alia hujusmodi, quae „ nullo modo fieri possunt, sed est „ de genere actionum, quae abso- „ lute consideratae deformitatem, & „ indecentiam quamdam important, „ quae tamen aliquibus circumstan- „ tiis advenientibus bonae efficiun- „ tur, sicut percutere hominem in „ se deformitatem quamdam impor- „ tat; sed si addatur, percutere de- „ linquentem caussa disciplinae, non „ erit peccatum. Quamvis igitur pluralitas beneficiorum absolute spectata sit contra jus naturae, si tamen concurrat aliqua justa caussa, puta bonum publicum, satis est ad tollendam ejus inordinationem.

(1) *Quodlib.* 9. *art.* 15.

Objiciunt sexto s.Bernardum, qui (1) sic scribit: „ Non occides, non moe- „ chaberis, non furtum facies, & „ reliqua illius tabulae legis scita, „ quae etsi nullam prorsus huma- „ nam dispensationem admittant.... „ Dominus tamen horum, quod vo- „ luit, quando voluit, solvit, sive „ cum ab Hebraeis Ægyptios spo- „ liari, sive quando Prophetam cum „ muliere fornicaria fornicari prae- „ cepit.. Ergo saltem in praeceptis secundae tabulae dispensare potest Deus.

(1) *De praecepto, & dispensat. cap.* 8.

25. ℟. S. Doctorem intelligendum esse de impropria tantum dispensatione, ut patet ex exemplis ab ipso allatis spoliationis Ægyptiorum, accessus Osee ad mulierem fornicariam. Superius enim vidimus in hisce Deum non proprie dispensare, sed improprie mutando nempe materiam.

At, inquies, Bernardus loquitur de ea dispensatione, quam solus Deus, non autem homo elargiri potest; porro homo dispensare quoque potest improprie mutando materiam: puta cum creditor liberat debitorem a solutione debiti; ergo &c.

℟. Hominem quidem posse dispensare improprie, sed non eodem modo, quo Deus; Deus enim dispensat circa omnem materiam ex summa in res inferiores potestate, & extra communem rerum ordinem, ut patet in dispensatione concessa Abrahamo, ut filium suum occideret, Hebraeis, ut Ægyptios spoliarent, Osee, ut accederet ad meretricem; at homo dispensat solum circa aliquam particularem materiam, servato communi rerum ordine.

Digitized by Google

26. Facile inde colligitur primo Deum dispensare non posse in iis, quae sunt directe, & immediate contra suas perfectiones, alioquin Deus negare posset se ipsum. Unde infidelitas, haeresis, odium Dei, blasphemia, perjurium, sunt peccata, quae nullam admittere possunt dispensationem.

27. Colligitur secundo Deum dispensare posse hominem in iis, quae sunt contra proximum, vel contra ipsum hominem, modo actus ex se inordinationem non habeat, & modo actus in datis circumstantiis in Dei gloriam referri possit; nam haec in tantum sunt peccata, in quantum sunt contra jus proximi, vel sui ipsius. Porro hoc jus tolli potest, vel auctoritate Dei, vel voluntate superioris ita exigente bono publico, vel voluntate sui ipsius in iis, quibus, juri suo cedere potest. Sic, ut jam observatum est, Deus, ut supremus vitae dominus (1), mandavit Abrahamo, ut filium suum occideret. Sic dispensavit cum Israelitis, (2) ut furarentur vasa Ægyptiorum transferendo, ut rerum omnium dominus, in Israelitas totum dominium in vasa, quod erat penes Ægyptios. Sic Princeps ob bonum publicum in praescriptione de uno in alterum transfert dominium: demum jus alteri quaesitum ex promissione potest ex voluntate promissarii extingui.

(1) *Gen.* 2.

(2) *Exod.* 12.

Dixi, modo actus ex se inordinationem non habeat, seu, quod idem est, modo actus non sit contra naturam rerum. Hinc Deus in mendacio dispensare non potest, *cum enim voces* (1) *naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est & indebitum, quod aliquis voce significet, quod non habet in mente.*

(1) *S. Thomas* 2. 2. *q.* 110. *art.*3.

Dixi etiam modo actus in datis circumstantiis referri possit in gloriam Dei. Hinc Deus, quamvis totale dominium habeat, sive in hominem, sive in ejus actiones, nunquam tamen cum eo dispensare potest, ut actionem aliquam referat in finem indifferentem; alioquin contingere posset, quod Deus creaturae alium finem, quam semetipsum in aliqua circumstantia praestituisset, ideoque Deus aliqua in circumstantia suam nollet gloriam, quod idem est, ac si diceres Deum aliqua in circumstantia nolle semetipsum, seu suimet ipsius existentiam, quod, ut vides, repugnat rationi; & his scripturae verbis (1): *omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.*

(1) *Proverb.* 16.

28. Colligitur tertio ea peccata, quae sunt directe contra Dei perfectiones semper lethaliter mala esse, seu nullam admittere parvitatem materiae. Enim vero, qui directe, & immediate aliquid facit contra Dei perfectiones, vellet Dei perfectiones, ideoque Deum non existere, quod

sine immani peccato esse non potest. Hinc, qui Deo revelanti non credit, semper peccat mortaliter, quia negando Dei infallibilitatem Deum negat, adeoque Dei existentiam, cum Deus sine infallibilitate esse non possit. Idem dicendum de blasphemia, perjurio &c.

At, inquies, mendacium opponitur veracitati Dei, & tamen parvitatem materiae admittit.

29. ℟. Mendacium directe, & primario opponi bono proximi, quia primario, & directe continet intentionem fallendi; unde nonnisi secundario, & indirecte opponitur Dei veracitati.

Inquies adhuc, peccata luxuriae nullam admittunt parvitatem materiae, & tamen non sunt directe, & immediate contra Dei perfectiones, sed contra vitam nascituri.

30. ℟. Peccata luxuriae nullam admittere parvitatem materiae non quidem in se, sed ratione periculi proximi in peccatum gravius labendi, scilicet in pollutionem. Unde docent graviores Theologi in luxuria indirecte volita dari parvitatem materiae.

31. Colligitur quarto nullam consuetudinem jus naturae abrogare posse; si enim a Deo, ut ostensum est, abrogari non potest, quantominus ab hominibus per consuetudinem. Hinc omnes consuetudines juri naturae contrariae a superioribus extirpandae sunt, quare ajebat Gregorius IX. (1): „ Nemo sanae mentis intelligit „ naturali juri, (cujus transgressio „ periculum salutis inducit) quacumque consuetudine, (quae dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari.

(1) *Cap. cum tantò de consuet.*

Postquam vidimus legem naturalem non posse mutari, neque per abrogationem, neque per dispensationem, restat inquirendum, an mutari possit per epichejam, seu an epicheja locum habeat in lege naturali?

32. ℟. Igitur resolutionem hujus quaestionis pendere a varia epichejae acceptione; si enim nomine epichejae intelligatur interpretatio, & declaratio legis, tunc evidens est epichejam locum habere in jure naturali; nam juris naturalis praecepta non omnibus, praesertim rudibus nota sunt; ergo quaedam ex illis indigent declaratione, ut obtineri possit verus eorumdem sensus. At si nomine epichejae intelligatur emendatio, & correctio legis, prout post Aristotelem (1) eam intelligit s.Thomas (2), quatenus, quum legislator non possit omnes, & singulos casus praevidere, leges fert attendendo *ad id, quod in pluribus accidit, quas tamen in aliquibus casibus servare est contra aequalitatem justitiae, & contra commune bonum*, tunc lex naturalis huic epichejae non subest. Deus enim praevidit omnes casus, in quibus ob diversitatem circumstantiarum lex naturalis nullam inducit obligationem; hoc ergo intercedit discrimen inter legem humanam, & natura-

Digitized by Google

lem, quod prima, quum non possit praevidere omnes, & singulos casus, qui contingere possunt, praecipit, vel prohibet tantum in universali. Secunda autem ad singulos casus descendit, & sic non praecipit, vel prohibet, nisi quae in singulari sunt praecipienda, vel prohibenda; unde subesse non potest emendationi.

(1) *Ethic. cap.* 10.

(2) 2. 2. *q.* 120. *art.* 1.

ARTICULUS III.

De objecto legis naturalis.

SUMMARIA

1. *Tria cum s. Thoma distinguuntur legis naturalis praecepta.*
2. *Non solum prima legis naturalis principia, sed ex iis deductae conclusiones ad legem naturae pertinent.*
3. *Omnes actus virtutum congruunt quidem cum lege naturae, sed non omnes sunt praecepti.*
4. *Lex naturae quosdam actus vitiosos prohibet directe, quosdam indirecte.*
5. *Lex naturae obligat omnes, & singulos homines, etiam pueros, & amentes.*

An non solum prima legis naturalis principia, verum etiam conclusiones ex iis deductae ad legem naturae pertineant.

1. Ut huic quaestioni respondeamus, tria in primis distinguenda sunt legis naturae principia, alia quippe sunt primaria generaliora, & omnibus per se nota: ut declina a malo, & fac bonum: quod tibi non vis, alteri ne feceris; alia secundaria, & magis determinata, quae scilicet ex primis immediate deducuntur, uti sunt praecepta decalogi; alia demum remotiora, quae mediate tantum, mediante videlicet difficili, & operoso discursu, ex primis deducuntur. S. Thomas (1). His praemissis.

(1) 1. 2. *q.* 91. *art.* 2. & *q.* 100. *art.* 1.

2. Dico non solum prima principia, verum etiam conclusiones ex iis deductas ad legem naturalem pertinere; nam primo conclusiones, quae ex principiis per consecutionem legitimam, & necessariam deducuntur, nihil aliud sunt, nisi ipsa principia explicata, & evoluta; sed haec pertinent ad legem naturae; ergo & conclusiones. Secundo quia principia secundaria pertinent ad legem naturae, quia per unum, aut per alterum discursum, & quidem facilem, ac obvium deducuntur ex primis principiis: ergo etiam conclusiones, quae per multiplicem, & operosum discursum inferuutur; impertinens enim est ad obligationem legis naturae, sive ea inferatur per unum, & quidem obvium discursum, sive per multiplicem, & operosum. Tertio si conclusiones per legitimam, & necessariam conclusionem deductae a primis principiis non pertinerent ad legem naturae, essent referendae ad

legem positivam; ergo mutata voluntate legislatoris conclusiones iis contrariae verae esse possunt, ergo illae non deducerentur per legitimam, & necessariam consecutionem ex primis principiis, quod est contra hypothesim.

An omnes actus virtutum sint de lege naturae.

3. ℟. Omnes actus virtutum esse de lege naturae hoc sensu, quatenus eos omnes probat lex naturae, cui congruunt, non vero hoc sensu, quatenus omnes sint a lege naturae praecepti; dantur enim quidam actus, qui legi naturae congruunt, sed necessariam non habent cum ea connexionem, uti sunt consilia. Caeterum isti actus possunt etiam lato quodam modo esse de lege naturae, quatenus lex naturae praecipit, ut, si fiant, virtuose fiant.

An lex naturae prohibeat omnes actus vitiosos.

4. ℟. Actus vitiosos esse in duplici differentia, alii sunt prohibiti, quia mali, alii mali, quia prohibiti. Primos prohibet lex naturae, non vero secundos, nisi hoc sensu, quatenus lex positiva eos prohibet, cui parendum esse lex naturalis praescribit.

An lex naturae obliget omnes homines.

5. ℟. Non defuisse Pseudopoliticos, qui senserint Principes summos nullis, ne naturalibus quidem, legibus obstringi: hic error non fuit solum quorumdam veterum, nempe Euphemi, qui apud Thucididem (1) aiebat: *Regi, aut Civitati imperium habenti, nihil injustum, quod utile*: Tiridatis apud Tacitum (2): *in summa fortuna id aequius, quod validius*, aliorumque; sed etiam recentiorum, quos supra confutavimus (3). Dicimus autem nunc legem naturalem non solum obligare omnes, & singulos usu rationis pollentes; sed etiam eos, qui hic, & nunc usu rationis non gaudent, nempe pueros, & amentes. Nam lex naturalis omnibus hominibus etiam pueris, & amentibus insita est, & in ipsa hominis essentia fundamentum habet; ergo omnes homines etiam pueros, & amentes obligare debet; adeo ut si pueri vel amentes aliquid faciant contra legem naturae, puta, si blasphement, vel pejerent, aliquid operentur, quod eorum naturam dedeceat. Hinc sentiunt omnes eum peccare formaliter, qui induceret pueros, & amentes ad blasphemandum, pejerandum, quorsum ita? nisi quia inducit pueros, & amentes ad id praestandum, quod eorum naturam dedecet. Eximuntur tamen pueri, si non a culpa materiali, saltem a formali, & a poena; quia lex naturalis, in quam agunt, non est ipsis sufficienter proposita, & manifestata per actuale dictamen rationis, ac discursum, cujus ipsi sunt incapaces.

(1) *Lib. 6.*

(2) *Annal. lib. 1.*

(3) *Dissert. 1. cap. 2. n. 6.*

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De juris naturalis claritate.

SUMMARIA

1. *Ignorantia invincibilis, si admittatur, excusat a peccato.*
2. *Praecepta juris naturae sunt in triplici differentia.*
3. *Consentiunt inter se Theologi nullam dari ignorantiam invincibilem, tum circa primaria, tum secundaria juris naturae praecepta in semetipsis spectata.*
4. *Ignorari possunt invincibiliter juris naturae praecepta speculative.*
5. *Docent plures ignorantiam juris naturae, quoad conclusiones remotas, esse invincibilem spectatis naturae viribus, non autem viribus gratiae.*
6. *Falluntur ii Theologi, qui dicunt propositionem docentem nullam admittendam esse ignorantiam invincibilem juris naturae, esse damnatam a s. Sede.*
7. *Ostenditur primo ex Augustino admittendam esse ignorantiam invincibilem juris naturae quoad conclusiones remotas.*
8. *Ostenditur secundo ex eodem Augustino.*
9. *Ostenditur tertio ex Alberto magno.*
10. *Ostenditur quarto ex s. Antonino.*
11. *Ostenditur quinto ex s. Thoma.*
12. *Respondetur primae objectioni.*
13. *Respondetur secundae.*
14. *Respondetur tertiae.*
15. *Ostenditur propositio quoque primo ex ratione.*
16. *Ostenditur secundo ex alia ratione.*
17. *Ratio assignatur, ob quam non respondeatur objectionibus petitis tum ex scriptura, tum ex sanctis Patribus, excepto s. Thoma.*
18. *Respondetur primo testimonio divi Thomae.*
19. *Respondetur alteri s. Thomae testimonio.*
20. *Respondetur primae objectioni ex ratione.*
21. *Respondetur secundae.*
22. *Respondetur tertiae.*

1. Antequam in hac re nostram promamus sententiam, praemittendum primo erit ignorantiam invincibilem juris naturae, si daretur, excusare omnino a peccato; quum damnata sit ab Alexandro VIII. haec secunda Baii propositio his verbis concepta: *tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

2. Praemittendum secundo praecepta juris naturae triplicis esse generis, prout diximus articulo antecedenti numero primo.

3. Praemittendum tertio fere omnes Theologos inter se convenire nullam dari ignorantiam invincibilem circa universalia, & primaria juris praecepta, tum etiam circa secundaria in semetipsis spectata, quia prima omnibus innotescunt, quum ex sola

terminorum apprehensione intelligantur; secundaria vero ex primis discursu facili, & omnibus obvio colligantur.

Dixi in semetipsis spectata; quia si istiusmodi praecepta secundaria conjuncta sint cum quibusdam circumstantiis apparenter excusantibus a peccato, a pluribus referuntur ad praecepta tertii generis, seu ad conclusiones quae delicatissimo, ut ita dicam, filo deducuntur ex primis principiis; sic Augustinus (1) dubitavit, an mulier, quae copiam sui fecit alteri, ut suum maritum liberaret a morte, peccaverit, nec ne; quamvis enim Augustinus pro certo teneret adulterium esse illicitum, vestitum tamen illa circumstantia, mortis nempe avertendae a marito, dubitavit, an esset licitum.

(1) *Lib.* 1. *de serm. dom. in monte cap.* 17.

4. Praemittendum quarto aliqua juris naturae praecepta invincibiliter ignorari posse, quando nempe eorum scientia non est hic, & nunc necessaria ad agendum; sic nemo damnat rusticum, qui ignoraret difficiles casus de usura, si pecuniam non haberet ad mutuandum.

5. Praemittendum est quinto plures docere, spectatis naturae viribus, rudiores praesertim homines non posse assequi veritates, quae longo, & operoso discursu ex principiis primariis, seu ex propositionibus universalibus practicis deducuntur; cum enim rustici artem disserendi non calleant, nil mirum, si ea ignorent, de quibus inter se non consentiunt doctissimi viri; at si inspiciantur gratiae auxilia, quae Deus non denegat iis, qui ad eum debito modo confugiunt, sentiunt iidem Theologi nullam dari quoad praedictas veritates ignorantiam invincibilem; quia, inquiunt, actus ipse etiam materialiter consideratus ordini divinae sapientiae directe repugnat; aliud dicunt de iis actibus, qui adversantur legi positivae; in his enim nihil cernitur, quod natura sua ordini divinae sapientiae adversetur.

6. Praemittendum est sexto non esse audiendos eos Theologos, inter quos La-Croix (1), qui scribunt Romae die octava augusti 1685. damnatam fuisse hanc propositionem: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturae in ullo homine, dum hic, & nunc contra jus naturae agit.* Damnatus quidem fuit libellus anonymus plures continens theses, ut cernere est in indice librorum prohibitorum, in quo invenitur etiam recitata thesis; non inde tamen sequitur, ex eo quod libellus fuerit proscriptus, damnatas pariter omnes theses in eo contentas. His praemissis.

(1) *Lib.* 1. *de leg. n.* 726.

Datur revera ignorantia invincibilis juris naturae, quoad remotiores conclusiones.

7. Probatur primo ex Augustino (1), qui inquit: „ Homines sumus, & ideo „ aliquid aliter sapere, quam res se

„ habet, humana tentatio est ..... in „ nullo aliter sapere angelica perfe- „ ctio est, quia itaque homines su- „ mus, & spe Angeli sumus (Matth. „ 22.), quibus aequales in resur- „ rectione futuri sumus. Quamdiu „ perfectionem Angeli non habemus; „ ideo dicit Apostolus, prima Corinth. „ 10., *Tentatio vos non apprehendat* „ *nisi humana*; humanum est ergo „ aliquid aliter, quam res se habeat, „ sapere. " Pertinet ergo ad conditionem humanae naturae in hoc praesenti statu constitutae, aliter sapere, quam res se habeat; ideoque cognitio conclusionum a primis principiis remotarum non est debita humanae naturae; quum pertineat ad angelicam perfectionem; unde Deus non tenetur homini petenti, & oranti cognitionem harum conclusionum infundere.

(1) *Lib.* 2. *de Baptismo contra Donatist. cap.* 9.

8. Probatur secundo ex altero testimonio ejusdem Augustini, qui inquit (1): *Quisquis minus instanter, quam oportet veritatem quaerit, is ad finem hominis non pervenit; quisquis autem quantum homo potest, ac debet, dat operam inveniendae veritati, etiamsi non inveniat, beatus est,* (seu eximitur a peccato) *totum enim facit, quod, ut faciat, ita natus est.*

(1) *Lib.* 1. *contra Academicos cap.* 4.

9. Probatur tertio ex Alberto magno (1): *Ignorantia juris*, inquit, *est duplex, quia quoddam est jus universale, quod omnibus imponitur ad sciendum, & quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium; & puto quod prima est crassa, & supina non excusans, secunda autem excusat vel a tanto, vel a toto, si est casus multum difficilis.*

(1) *In* 2. *dist.* 12. *art.* 10.

10. Probatur quarto ex S. Antonino (1): *Quum aliquis*, inquit, *dubitat de aliquo facto, vel fiendo, utrum sit licitum, vel illicitum, & consulit peritos, & facit, quod in se est ad inveniendam veritatem, si sibi consulatur contrarium veritati, quod ille sequitur, satis excusatur, quia potest dici in eo ignorantia invincibilis.*

(1) 2. *part. tit.* 5. *cap.* 9. §. 2.

11. Probatur quinto auctoritate D. Thomae inquientis (1) sic: *Veritatem omnes aliqualiter cognoscunt ad minus quantum ad principia communia legis naturalis. In aliis vero quidam plus, & quidam minus participant de cognitione veritatis: et secundum hoc etiam plus, vel minus cognoscunt legem aeternam*: & alio loco (2). *Quaedam sunt* (praecepta legis naturae), *ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum, sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos philosophos*. Ergo ex S. Thoma sicut dantur homines, qui ignorant invincibiliter particulares conclusiones scientiarum; ita dantur homi-

Digitized by Google

nes, qui ignorant invincibiliter conclusiones principiorum remotas.

(1) 1. 2. *q.* 91. *art.* 2.

(2) 1. 2. *q.* 100. *art.* 1.

Quid ad haec adversarii? reponunt primo posse quidem conclusiones remotas ignorari speculative, non tamen practice; unde aiunt S. Thomam de ignorantia speculativa locutum fuisse.

12. ℟. Conclusiones remotas juris naturae magis in praxi abstrusas esse, & difficiles propter varias circumstantias, quibus afficiuntur, quam in speculatione; ergo si ignorari possunt speculative, a fortiori ignorari poterunt practice.

Reponunt secundo conclusiones remotas juris naturae difficiles esse, & abstrusas in praxi, eo quod homo pravis affectibus, & passionibus sit implicatus; unde, si homo a se expulerit hosce affectus, & passiones; conclusiones istae remotae facile deducentur ex primis principiis; quare S. Thomas (1) docet pravos affectus, et passiones caussam esse, cur lex naturalis deleatur de cordibus hominum.

(1) 1. 2. *q.* 87. *art.* 2.

13. ℟. S. Thomam difficultatem cognoscendarum conclusionum remotissimarum non referre in pravos affectus, & passiones, tamquam in caussam, sed in diversas circumstantias, *quas considerare diligenter, non est cujuslibet, sed sapientum; sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos*; ergo sicuti ii, qui non sunt philosophi, licet a se expulerint pravos affectus, & passiones, non possunt tamen eruere a primis principiis particulares, & difficiles conclusiones scientiarum; ita ii, qui non sunt sapientes, non poterunt cognoscere conclusiones remotissimas ex primis principiis practicis deductas.

Reponunt tertio homines non cognoscere conclusiones remotas, quia scilicet debitas ad Deum non fundunt preces, ut obtineant harum conclusionum notitiam; quod si debite orarent, Deus ab ipsis ignorantiam avelleret.

14. ℟. Deum non avertere ab homine orante, & petente legis notitiam, ignorantiam facti versantis circa jus naturae; exemplum habemus in Jacobo, dum accessit ad Liam putans esse suam uxorem; ergo non avellet quoque, vel saltem non tenebitur avellere, ignorantiam juris naturae; quum cognitio conclusionum a primis principiis remotissimarum non sit debita humanae naturae, ut constat ex numero 7.

Responsio haec magis confirmatur sequenti argumento a ratione petito.

15. Dari potest in praxi ignorantia invincibilis facti versantis circa jus naturae, sic Jacob, ut dictum est, accessit ad Liam, putans esse suam uxorem; ergo dari quoque poterit ignorantia invincibilis juris naturae.

Probatur consequentia: non minus contra legem naturae peccat ille, qui

ex ignorantia facti, putans ex. gr. Bertham esse uxorem suam, committit adulterium, quam ille, qui ex ignorantia juris, credens licitum esse accedere ad Bertham metu mortis, idem committit adulterium: utrobique enim est accessus ad eamdem mulierem; ergo, si dari potest in praxi ignorantia invincibilis facti, dari quoque poterit ignorantia invincibilis juris; unde si Deus permittere potest in primo casu homini oranti, & petenti notitiam legis, adulterium, poterit quoque in secundo casu.

16. Probatur alia ratione: licitum est, ut ostenditur in tractatu de conscientia, sequi opinionem probabiliorem in conspectu tutioris minus probabilis; atqui id non liceret, si dari non posset ignorantia invincibilis juris naturae; quia ex D. Thoma (1) opinio probabilior, etsi in pluribus veritatem attingat, in paucioribus tamen a veritate deficit; et alio loco (2): " in rebus contingentibus, „ sicut sunt naturalia, & res huma- „ nae, sufficit talis certitudo, ut aliquid „ sit verum, ut in pluribus, licet in- „ terdum deficiat in paucioribus; " imo nec liceret sequi inter probabiles probabilissimam, (quae propositio ab Alexandro VIII. damnata est), quia nimirum opinio etiam probabilissima potest esse falsa; sed falsum consequens, ergo et antecedens; nec valet dicere hanc propositionem damnatam fuisse ob suam generalitatem, quae excludebat etiam ignorantiam invincibilem juris positivi; nemo siquidem mortalium adeo stultus extitit, qui negaverit legem aliquam positivam ignorari posse invincibiliter; ergo ea propositio fuit proscripta, quia excludebat omnem ignorantiam invincibilem juris naturae.

(1) 2. 2. *q.* 70. *art.* 2.

(2) 1. 2. *q.* 96. *art.* 1. *ad* 3.

17. Adversarii plura nobis objiciunt scripturae, & Patrum testimonia, sed ab iis referendis supersedemus, quia ea omnia intelligi possunt de primariis, vel de secundariis naturae praeceptis, non vero de conclusionibus remotis, abstrusis, & difficillimis. Nec dicas scripturam, & Patres non distinguere inter primaria, & secundaria principia, & inter conclusiones remotas; nam, si ipsis ita licet argumentari, nobis quoque ita licebit. Scriptura, & Patres, dum docent ignorantiam invincibilem excusare a peccato, non distinguunt inter ignorantiam juris naturalis, & juris positivi; ergo, si datur ignorantia invincibilis juris positivi, dari quoque poterit ignorantia invincibilis juris naturae; venio potius ad testimonia S. Thomae, in quibus maximopere exultant adversarii.

Objciunt primo. S. Thomas (1) inquit: *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra legem: ut cum aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem .... illud autem quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam,*

atqui ille, qui contra conclusiones remotas facit, agit contra legem, ergo &c. & alio loco (2). *In his vero, quae pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius magistri; in talibus enim ignorantia non excusat.*

(1) *Quodlib.* 8. *art.* 13.

(2) *Quodlib.* 3. *art.* 10.

18. ℟. Ad primum, S. Thomam intelligendum esse de praeceptis secundariis, non vero remotioribus; ponit enim exemplum in fornicatione, quae versatur circa secundaria praecepta; unde S. Antoninus expendens allata verba, inquit (1): *Haec verba beati Thomae non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifeste patet ex scripturis, vel ecclesiae determinatione, quod sit contra legem Dei, & non de illis, ubi non apparet, alias sibi contradiceret in eodem libro, quod non est dicendum.*

(1) *Part. prim. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10.

19. ℟. Ad secundum, S. Thomam loqui de eo, qui sequitur opinionem contra manifestum scripturae testimonium, vel contra definitionem promulgatam ab ecclesia, ut patet ex hisce verbis subsequentibus. *Alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii Nestorii, etc. .... qui enim assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum scripturae testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem non potest ab erroris vitio excusari.*

Objiciunt secundo. Lex naturalis insculpta est in cordibus hominum; unde in scriptura (1) sic legitur: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona*, respondet Psalmista; *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Ergo unusquisque poterit eam legere, & cognoscere.

(1) *Psal.* 4.

20. ℟. Legem naturalem esse scriptam in cordibus hominum, quoad principia communia, tum etiam si velis quoad conclusiones remotas, non esse tamen sufficienter actu promulgatam quoad hasce conclusiones; istae enim cognoscuntur per longum, difficilem, & operosum discursum, *qui non est cujuslibet, sed sapientum.* S. Thomas loco cit. in probationibus. Et sane sicuti lex divina, & humana, quamvis sufficienter manifestata, & promulgata, potest tamen ignorari invincibiliter quoad conclusiones remotas, abstrusas, atque difficiles; ita quoque lex naturalis, etsi omnibus in cordibus insculpta quoad principia primaria, potest tamen invincibiliter ignorari quoad conclusiones remotas.

At, inquiunt, latum est discrimen inter legem naturalem, & positivam; illa quia indita est cordibus hominum, ideo ejus cognitio debita est humanae naturae: unde si homo faciat quantum in se est, Deus illi tenetur conferre gratiam ad pellendam ignorantiam. At legis positivae, sicut et factorum cognitio non est debita humanae naturae; unde Deus non tenetur conferre gratiam ad legis po-

Digitized by Google

sitivae, & factorum cognitionem habendam.

21. ℟. Legem naturalem homini esse manifestatam interius, positivam autem exterius; unde sicuti cognitio legis positivae non est debita humanae naturae; ita nec cognitio legis naturalis. Nec dicas, quoad legem naturalem, hominem habere principium interius, vi cujus illam cognoscat, non vero quoad legem positivam. Nam (ut illud omittam inferri nempe quod lex naturalis posset solis naturae viribus cognosci quoad conclusiones etiam remotas, quod negant adversarii) sicuti Deus homini indidit principium, rationem scilicet, vi cujus possit cognoscere legem naturalem, ita eidem homini dedit legis peritos, a quibus haurire possit legis positivae cognitionem: atqui tamen, istis consultis, quandoque homo errat invincibiliter circa legem positivam; ita errare quoque poterit circa legem naturalem. Deinde quaero ab adversariis; qua de caussa Deus debeat conferre gratiam homini facienti quod in se est ad cognoscendam legem naturalem; numquid ad vitandum peccatum formale? at, si Deus gratiam illuminationis non conferat, nullum erit peccatum formale, quum lex naturalis fatentibus adversariis quoad conclusiones remotas solis naturae viribus pluribus sit impervia. Numquid ad avertendum peccatum materiale? at idem quandoque habetur peccatum materiale, ut ostensum est in probatione ex ratione num. 15., sive habeatur ignorantia facti, sive habeatur ignorantia juris; porro Deus ab homine faciente quod in se est non tenetur avertere ignorantiam facti, ergo nec juris.

Inquiunt demum legem naturalem necessario praecipere, vel prohibere ea, quae bona, vel mala sunt, non sic legem positivam.

22. Fateor, quid inde? Nonne ignorantia facti, quandoque impellit homines ad ea agenda, quae per se mala sunt, puta adulterium; & tamen Deus ab homine faciente quod in se est eam non avertit; quare ergo avertere debebit ignorantiam juris?

ARTICULUS V.

De legis naturalis ſanctione.

SUMMARIA

1. *Duplex distinguitur lex, directiva una, coactiva altera; atque haec talis est antecedenter ad quodlibet praemium, vel poenam.*
2. *Ostenditur legem naturalem esse coactivam pro altera vita, & primo ex Dei justitia.*
3. *Secundo ex consensu omnium gentium.*
4. *Tertio ex divina administratione.*
5. *Respondetur primae objectionis parti.*
6. *Respondetur secundae objectionis parti.*
7. *Respondetur alteri objectioni.*

Digitized by Google

1. Duplex quoad praesentem articulum a plerisque Theologis distinguitur lex, directiva una, coactiva altera (si accuratius loqui velis, duplex distinguitur actus legis quoad praesentem articulum). Prima praescribit, & praecipit quid agendum, vel omittendum sit. Secunda legem violantibus poenam comminatur, servantibus praemium proponit. Vidimus jam legem naturalem esse directivam, quae quidem talis est antecedenter ad quodlibet praemium vel poenam. Enim vero, ut superius pluribus argumentis ostensum est, distinctio realis adest bonum inter, & malum; atque haec distinctio fundamentum habet in ipsis rerum naturis, quae aeternae sunt, & immutabiles; ergo quum praemium, vel poena non possit rerum naturam immutare, non poterit esse totalis, & finalis caussa, ex qua lex vim obligandi habeat, sed solum caussa impulsiva; unde vir justus ita affectus est, ut etiam virtutem sequeretur, etiamsi nullum inde speraret emolumentum: *optimi quique*, inquit Cicero (1), *permulta ob eam caussam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum emolumentum vident*: et ita animo comparatus, ut vitium detestaretur, & fugeret, licet nullam sibi timeret poenam; *satis enim nobis*, idem Cicero (2), *si modo aliquid in philosophia profecimus, persuasum esse debet, si omnes Deos, hominesque celare possemus; nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.* Ostendendum nunc superest legem naturalem esse quoque coactivam pro altera vita, quod quidem paucis conficere intendimus, neque enim animus est ea, quae alibi de animorum immortalitate tradunt Theologi, huc transferre.

(1) *Lib. 2. de fin.*

(2) *Lib. 3. de officiis.*

2. Ex dictis Deus non potest non probare ea, quae ordini naturali sunt consentanea, quae ei repugnant, improbare; ergo quum justus sit, eum, qui illum ordinem servavit, praemiis, qui ab eodem ordine discessit, poenis afficere debebit. Tolle praemia vel poenas, nihil erit, unde Deum virtutem probare, vitium improbare eruere ullo modo possimus. Cum autem videamus non raro justos in hac vita multis miseriis pressos, malos autem commodis omnibus abundantes, hinc consequitur necessario in altera vita sanctionem esse; seu Deum in altera vita virtuti praemia, & vitio poenas rependere. Et sane sensu intimo experimur desiderium felicitatis plenae, atque perfectae; hanc autem felicitatem in hac vita non obtinemus; ergo, nisi dicamus Deum sensu intimo nobis illudere, felicitatem illam expectamus in altera, non quidem pro malis operibus, quibus sensus intimus dictat non praemium, sed poenam rependendam esse; ergo pro bonis; respondet itaque in altera vita bonis operibus praemium. Si-

Digitized by Google

militer sensu intimo experimur conscientiae stimulos, & angores eo majores, quo gravius est peccatum; undenam isti conscientiae angores? nisi quia nobis poenam timemus; at poenam pro hac vita saepe saepius non timemus, vel quia crimina occulta sunt, vel quia nulla poena patratis criminibus est statuta, vel quia ab hominibus nihil reformidamus; ergo poenam pro altera vita exhorremus; respondet itaque in altera vita malis operibus poena.

3. Alterum argumentum peti potest ex consensu omnium populorum, qui naturae vox est; etenim omnes populi semper, et ubique alteram vitam admiserunt, in qua bonis operibus praemia, malis autem poenae respondeant. Unde Cicero (1) inquit: „ sed nescio quomodo inhaeret in „ mentibus quasi saeculorum quod„ dam augurium futurorum, idque „ in maximis ingeniis, altissimisque „ animis, & existit maxime, et ap„ paret facillime .... quod si omnium „ consensus naturae vox est, omnes„ que, qui ubique sunt, consentiunt „ esse aliquid, quod ad eos pertineat, „ qui e vita cesserunt, nobis quo„ que id existimandum est. " Testes hujus consensus passim etiam inveniuntur penes auctores nostros, & praesertim penes Patrem Le-Baleur (2); porro iste consensus originem habere non potest a praejudiciis, & educationibus; impossibile enim est, ut praejudicia, & educationes tantopere contraria cupiditatibus potuerit totum orbem invadere; ergo originem habent a recta ratione.

(1) *Tusc. quaest. lib.* 1.

(2) *In lib.*, *cui titulus* la religion révélée

4. Tertium argumentum nobis suppeditat Hooke (1) his verbis: " ju„ stitia generatim nihil aliud est, „ quam aequa voluntas, id est, con„ stans propositum agendi juxta aeter„ num ordinem in rerum naturis fun„ datum. Atqui si nulla esset post „ hanc conditionem mortalem vita, „ in qua bonos praemia, poenae son„ tes manerent, divina administratio „ aliena esset ab immutabilibus re„ rum naturis, neque ullo modo aeter„ no ordini consona. Etenim, ut jam „ confectum fuit, inter bonum, & „ malum morale est discrimen essen„ tiale in rerum naturis positum, il„ laque dividit communis Dei, & „ hominum intelligentia; bonum na„ turali pulchritudine decorum est, „ et amabile, provocatque sponte „ sua omnium rationalium studia; „ vitium contra ex propria foeditate „ turpe est, & odiosum. Atqui nisi, „ Deus se absolveret in altera vita, „ ageret ab iis rerum naturis modo „ valde abhorrenti; ex ejus guber„ nationis ratione judicandi locus es„ set, nullum esse ejusmodi natura„ le, inter bonum, malumque dis„ crimen, quum ipse omnium parens, „ & legislator bonorum, & malo„ rum non haberet rationem: nullo „ modo ex ejus regiminis forma con„ cludere possemus, illum virtutibus

Digitized by Google

„ hominum delectari, aut ab impro-
„ bitate aversum esse; bonos siquidem, & malos eodem tractaret
„ modo; imo illum constituisset ordinem, in quo majora quandoque
„ essent vitii, quam virtutis praemia."

(1) *Theolog. natur. sect.* 2.

Objicies primo. Pace conscientiae, qua fruitur justus, orta ex virtutis pulchritudine satis remuneratur vir probus, sicut angoribus conscientiae, ex vitii foeditate manantibus satis punitur vir improbus; ergo altera vita non est admittenda, in qua virtuti praemia, vitio poenae respondeant.

5. ℟. Primo quoad primam antecedentis partem, pacem conscientiae saepe deesse justo, quia cum nesciat, utrum amore, vel odio dignus sit, (1), frequenter dubitat, an peccaverit, an condignam de peccatis poenitentiam egerit; et etiam timet, ne in peccata postmodum labatur: verum etsi concedatur justum hac pace conscientiae frui, haec tamen non oritur ex sola virtutis pulchritudine; quum enim minimus sit, qui ex virtutis pulchritudine nascitur delectationis sensus, maximus vero ille, qui ex voluptatibus persentitur, quis erit, qui vellet delectationis sensum ex virtutis pulchritudine manantem praeferre maximo, quod ex voluptatibus producitur, gaudio, nisi speraret in altera vita condignam suis operibus retributionem? *Quis enim virtutem amplectitur ipsam, praemia si tollas?* inquiebat Poeta. Pax ergo illa conscientiae oritur potius ex idea entis summe justi, qui in altera vita virtutem est remuneraturus, quum sensu intimo experiamur mercedis futurae desiderium, quod fallax esse non potest; ergo pax conscientiae potius nostram confirmat, quam destruat sententiam.

(1) *Eccles. cap.* 9. *v.* 1.

6. ℟. Secundo. Quoad secundam antecedentis partem, conscientiae stimulos, & angores non posse oriri ex sola vitii deformitate; nam primo improbi quo in majora proruunt delicta eo minores experiuntur conscientiae remorsus, minusque deforme ipsis vitium videtur; ergo si in altera vita vitio non respondet poena, magis punirentur in hac vita, qui pauciora, quam qui plura patrassent delicta, quod Dei justitiae, & sapientiae maxime repugnat. Secundo ex hac opinione quisque causam arriperet ad plura, quae potest, committenda facinora. Sic enim omnino, aut fere omnino extinguerentur conscientiae angores, & vitii deformitas. Unde Deus non satis suarum legum observationi consuluisset. Oriuntur ergo potius isti conscientiae angores ex idea Dei summe justi, qui in altera vita improbis retribuet secundum eorum peccata. Hoc ipsum demonstrat sensus intimus, qui sane mendax esse non potest, quo improbi necessario experiuntur alterius vitae timorem. Conscientiae ergo angores nostrae potius, quam alienae favent sententiae.

Digitized by Google

Objicies secundo. Variis titulis creationis, redemtionis, &c. homo se ipsum, & omnia, quae habet, Deo debet; ergo Deus non tenetur in altera vita mercedem justo rependere. Similiter Deus potest unicuique condonare; ergo non tenetur in altera vita peccata suppliciis plectere.

7. ℟. Nos hic non inquirere, quid in alia providentia Deus facere teneretur, sed dicimus, posito praesenti divinae providentiae ordine, Deum debere virtuti praemia, & vitiis poenas, idque jam demonstravimus tum ex sensu intimo, tum ex consensu omnium gentium. Et sane Deus summe sanctus, summe justus, summe providus est; ergo ut summe sanctus virum justum diligere, improbum odio habere; ut summe justus, & summe providus, virum probum praemiis, improbum poenis, & quidem majoribus, quo majora sunt peccata, afficere debebit; ergo quum in hac vita sors major affulgeat iis, qui in omnia proruunt vitia, quam iis, qui aut non peccarunt, aut si peccaverint subinde poenitentiam egerunt, necessario consequitur admittendam esse alteram vitam, in qua sors justi sit felicior sorte improbi, & sors poenitentis viri melior sorte peccatoris obstinati.

ARTICULUS VI.

De jure gentium.

SUMMARIA

1. *Duplex distinguitur jus gentium, primarium, & secundarium, & utrumque definitur.*
2. *De jure gentium secundario hic tantum disseritur.*
3. *Explicatur primum definitionis juris gentium secundarii verbum.*
4. *Explicantur caetera definitionis verba.*
5. *Jus gentium obligat in conscientia.*
6. *Jus gentium, distinguitur a jure naturae.*
7. *Aliqua enumerantur, quae sunt de jure gentium, et non de jure naturali.*
8. *Jus gentium in pluribus convenit cum jure civili.*
9. *Jus gentium in pluribus quoque differt a jure civili.*
10. *Gentes ipsae sunt caussa efficiens juris gentium.*

1. Jus gentium a juris consultis tribuitur in primarium, et secundarium. Primarium illud est, *quo gentes humanae utuntur, & solis hominibus commane est* (1), *veluti* (2) *erga Deum religio, ut parentibus et patriae pareamus.* Secundarium vero illud est, quod *usu exigente, & humanis necessitatibus gentes sibi constituerunt* (3). Primum non distinguitur a jure naturali, ut exempla, al-

ratione, & exigente neceſſitate, ſed lata demonſtrant; religio enim in Deum, & obedientia parentibus, et patriae debita ad jus naturale referuntur. Secundum vero a jure naturae diſtinguitur, nam hoc jus gentes ſibi conſtituerunt, jus autem naturale ab hominibus, non conſtituitur, ſed ipſis innaſcitur.

(1) *L.* 1. *ff. de juſt. & jur.*

(2) *L.* 2. *eod. tit.*

(3) §. 2. *inſtit. de jure nat. gent. et civ.*

2. De jure gentium primario, ſeu, quod idem eſt, de jure naturali ſuperius jam egimus, diſſerendum modo hic de jure gentium ſecundario.

3. Hoc jus ſecundarium dicitur *jus gentium*, quia ſi non omnium ſaltem plurimarum gentium conſenſione eſt introductum: dixi *non omnium*; neque enim ad jus gentium conſtituendum tota, & integra omnium univerſitas requiritur, ſed aliqua ſufficit, illarum ſcilicet gentium, quae cultiores ſunt. Gentium ergo nomine veniunt gentes cultiores, & politiores, non vero populi nobis incogniti, aut barbarae nationes, quae morum honeſtate deſtitutae in vitia quaeque proruunt.

4. Jus gentium ſecundarium dicitur *quod uſu exigente, & humanis neceſſitatibus gentes ſibi conſtituerunt*; quum enim hae gentes cultae praeſertim, morataeque nativo lumine cernerent graviſſima eſſe incommoda, quae ex naturali ſtatu oriebantur, cogitarunt de nova ineundae vitae ratione, in qua feliciorem vitam degerent; hinc factum eſt, ut communi conſenſu, non quidem expreſſo (qui enim fieri poterat, ut omnes gentes ſimul in unum ad deliberandum convenirent) ſed tacito, (eo ferme modo, quo conſuetudines introduci ſolent in aliqua civitate, vel regno), ut aliqua eligerent, quibus in vitae neceſſitatibus ſibi ſubſidium afferrent. Ex hoc igitur gentium jure *diſcretae ſunt gentes, regna condita, diſtincta dominia, termini agris poſiti* (1), *et omnes pene contractus introducti ſunt ut emtio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, depoſitum, mutuum, & alii innumerabiles* (2): poſita diviſione regnorum, & dominiorum diſtinctione, introducta ſunt bella (3); quum enim nullus ſedeat judex inter Principes, nulla erit ratio recuperandi ab uno Principe, quod ab alio Principe ſibi ablatum eſt, niſi ad arma deveniatur. Occaſione bellorum originem habuere ſervitutes (4), nempe, ut pertinaces hoſtes juſto bello victi, et capti potius in ſervitutem redigantur, quam occidantur.

(1) *L.* 5. *ff. de juſt. & jur.*

(2) §. 2. *inſt. de jure nat., gent., & civ.*

(3) §. *jam citato.*

(4) *L.* 4. *ff. de juſt. & jure.*

An jus gentium ſit praeceptivum.

5. ℟. Affirmative, et obligare in conſcientia; jus enim gentium introductum fuit ex legitima omnium fere gentium conſuetudine, ſuadente

consuetudo legitima juxta omnes vim legis habet; ergo jus gentium vere praeceptivum est, & obligat in conscientia. Hoc autem jure gentium etiam ipsi Reges, & Principes obligantur, quum non ab ipsis speciatim, sed a gentibus fere omnibus hoc jus conditum fuerit. Hinc Reges etiam ipsi, & Principes, si sine justa caussa legatos non reciperent, aut commercii libertatem laederent, vere peccarent contra jus gentium, quo solo receptio legatorum, & libertas commercia ineundi est introducta; quinimo, qui hoc jus gentium violant, non solum culpae rei evadunt, verum etiam tamquam publicae tranquillitatis hostes ab omnibus habentur.

An jus gentium distinguatur a jure naturae.

6. ℟. Affirmative contra Hobesium, Puffendorfium, qui jus gentium cum jure naturali omnino confundunt; nam primo jus gentium constituitur ab hominibus, jus autem naturale ipsis innascitur. Secundo jus naturale praecipit, aut prohibet ea, quae intrinsecam habent honestatem, aut turpitudinem, non vero jus gentium; unde jus naturae est immutabile, jus autem gentium absolute mutationi subjectum est, licet vix fieri possit, ut nationes in eo mutando conveniant expresse, vel tacite. Convenit tamen jus gentium cum jure naturali in eo, quod sicut in lege naturae quaedam praecipiuntur, quaedam prohibentur, & quaedam permittuntur, ita quoque in jure gentium.

Quaenam sint de jure gentium, & non de jure naturali?

℟. Varia esse, aliqua tantum enumerabo.

7. De jure gentium est primo receptio legatorum sub lege immunitatis, & securitatis; neque enim jus naturale praecipit, ut una communitas legatos alterius communitatis recipiat; secundo libertas ineundi contractus; quamvis enim jus naturae postulet, ut in contractibus fides data servetur, libertas tamen contrahendi est de jure gentium, quum potuisset una communitas nolle ullum inire commercium cum alia. Tertio servitutes, & captivitates; potuissent enim victi, justo bello capti alio poenae genere, non servitutis puniri; servitus ergo non est de jure naturae. Quarto foedera pacis, & induciarum, quae quamvis postquam inita sunt, jure naturae observari debeant, jus tamen naturae non postulat, ut admittantur, vel negentur.

An jus gentium distinguatur a jure civili.

8. ℟. Jus gentium cum jure civili in pluribus convenire, et in pluribus differre. Convenit primo, quia utrumque jus ab hominibus est institutum. Secundo quod utrumque mutabile sit. Tertio quod utrumque praecipiat ea, quae intrinsece bona, vel prohibeat, quae intrinsece mala non sunt. Quarto quia utrumque praecipit actus exteriores, qui respiciunt felicitatem temporalem.

Digitized by Google

9. Differt vero, quia jus gentium est omnino universale, quippequod apud omnes fere cultas gentes obtineat; jus autem civile ita universale non est, quippequod feratur tantum in unam provinciam, vel regnum. Secundo penes originem; nam auctor, seu caussa efficiens juris civilis est Imperator, vel Princeps solus; at vero jus gentium omnium fere gentium est consensione introductum. Tertio penes promulgationem; jus enim civile, vel scriptura, vel voce praeconis in locis publicis promulgatur; at jus gentium non scripto, vel voce, sed tacito omnium fere populorum consensu, et consuetudine est promulgatum. Quarto tandem, quia jus civile saepe saepius voluntate Principis mutatur; at non ita facile sane est, ut mutetur jus gentium, prout jam dictum est.

Quaenam sit caussa efficiens juris gentium.

10. ℟. Esse gentes ipsas, patet id ex definitione juris gentium, nec alicujus momenti est id, quod Puffendorfius obtrudit, gentes nempe ipsas sibi superiores non esse, legem autem a superiore rogandam; gentes enim ipsae, seu communitas, possunt considerari dupliciter collective nempe, & distributive; si primo modo consideretur communitas, est superior sibi consideratae, distributive in singulis membris; similiter si consideretur pro ut gerit vices Dei, a quo omnis potestas leges ferendi derivatur juxta illud proverbiorum (1): *per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*; est etiam singulis membris superior. Si vero consideretur secundo modo distributive nempe in singulis membris, prout est gubernabilis in ordine ad bonum commune, est inferior, & legis subjectum.

(1) *Cap.* 8. *v.* 13.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE LEGE POSITIVA DIVINA.

Hujus dissertationis duo erunt capita, quorum primum inquiret in legem positivam divinam in genere, secundum in legem novam, seu Evangelicam.

CAPUT I.

De lege positiva divina in genere

SUMMARIA

1. *Definitio traditur legis positivae divinae.*
2. *Explicatur primum definitionis verbum.*
3. *Explicatur secundum.*
4. *Exponitur divisio legis divinae.*
5. *Legis divinae necessitas ostenditur.*
6. *In contrarietate legis divinae cum ratione humana adhaerendum erit legi divinae.*
7. *Assignatur ratio, ob quam nihil de lege Mosaica scribatur.*

1. Lex divina definiri potest lex a Deo exterius data hominem dirigens ad finem supernaturalem.

2. Dicitur primo lex exterius a Deo data, & sic distinguitur a lege naturali, quia lex divina est exterius manifestata, lex naturalis interius solum; lex divina innotescit nobis per sacram scripturam, vel divinas traditiones, lex naturalis per lumen rationis. Distinguitur etiam a lege humana, quia lex divina a Deo, lex humana ab homine lata est.

3. Dicitur secundo hominem dirigens ad finem supernaturalem; & sic distinguitur etiam a lege naturali, quae hominem dirigit in finem proportionatum facultati humanae naturae, seu in finem naturalem. Distinguitur pariter a lege humana, quia lex divina hominem conducit ad felicitatem aeternam, lex humana ad felicitatem temporalem.

4. Dividitur lex divina in pure positivam, & non pure positivam. Prima praecipit, vel prohibet ea, quae aliunde non sunt a lege naturae praecepta, vel prohibita. Secunda praecipit, vel prohibet, quae aliunde sunt praecepta, vel prohibita a lege naturae. Haec differt a lege naturali tum penes modum, quo indicitur, tum penes objectum; nam lex divina respicit Deum, ut auctorem supernaturalem, lex naturalis, ut auctorem naturalem.

Dividitur ulterius lex divina in veterem, & novam. Illa a Deo lata est, & populo Israëlitico per Moisem promulgata. Haec a Christo fuit instituta, & per Apostolos denunciata.

An lex divina sit necessaria.

5. R. S. Thomam (1) ejus necessitatem hisce verbis ostendere: „Pri-

„ mo quidem, quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in „ ordine ad ultimum finem, & siquidem homo ordinaretur tantum „ ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret, quod homo „ haberet aliquod directivum ex parte rationis supra legem naturalem, „ & legem humanitus positam, quae „ ab ea derivatur, sed quia homo „ ordinatur ad finem beatitudinis aeternae, quae excedit proportionem naturalis facultatis, ideo necessarium fuit, ut supra legem „ naturalem, & humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data. Secundo, quia propter incertitudinem humani judicii, „ praecipue de rebus contingentibus, „ & particularibus, contingit de actibus humanis diversorum esse diversa judicia, ex quibus etiam diversae, & contrariae leges procedunt. Ut ergo homo absque „ omni dubitatione scire possit, quid „ ei sit agendum, & quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem „ divinitus datam, de qua constat, „ quod non potest errare. " Et re quidem vera naturalis ratio ostendit quidem Deum esse colendum, ut offensum, placandum, ab eoque expectandam pro bonis operibus retributionem; sed quae cultus ratio ipsi gratissima sit, quid agendum ab hominibus, ut cum Deo reconcilientur, & quibus modis obtineri possint illa praemia, quae Deus justis in altera vita praeparavit, non demonstrat ratio.

(1) 1. 2. *q.* 91. *art.* 4.

An si ratio humana sit contraria legi divinae, standum sit rationi humanae, an legi divinae?

6. ℟. Standum esse legi divinae; mens enim nostra primigenia culpa obscurata saepe saepius fallitur, ut experientia constat. Profecto si legem divinam habuissent, quam consulerent plures Ethnici sapientes, in turpes errores non fuissent lapsi: non docuisset Plato monstruosam uxorum multitudinem ad mutuam civium pacem conservandam multum conferre: licita non fecisset Licurgus per leges suas furta: nec tradidisset Aristoteles ad impediendam nimiam filiorum multitudinem permissam esse illorum occisionem: nec demum ipsemet Cicero pluribus in casibus non solum mendacium, sed & ipsum perjurium, ut honestum probasset. Item si legi divinae, ut par est, studuissent plures Theologi laxitatis amatores, tot sane non defendissent opiniones legi divinae contrarias. Quid enim in lege divina clarius, evidentiusque illo mandato de Deo super omnia diligendo, quod toties in sacris litteris inculcatur? & tamen nonne probabilistae illud de medio penitus sustulerunt, dicentes hominem nullo unquam vitae suae tempore ex vi praeceptorum divinorum teneri ad eliciendum actum caritatis, quae propositio est ab Alexandro VII. damna-

Digitized by Google

ta. Itaque lex divina praeferenda est humanae rationi; diligenterque est ab omnibus, praesertim vero ab Ecclesiasticis viris inquirenda, & meditanda.

7. Plura jam paraveram de lege Mosaica scribenda, sed a proposito destiti, statim ac animadverti s.Thomam ita copiose de ea scripsisse, ut nihil solidi addi possit; quapropter ad legem Evangelicam statim gradum faciam.

CAPUT II.

De lege Evangelica.

SUMMARIA

1. *Varia legis novae afferuntur nomina.*
2. *Christus non unum, sed plura dedit praecepta.*
3. *Plura sunt legis novae a veteri discrimina.*

1. Lex Evangelica variis donatur nominibus. Dicitur primo lex *nova*, tum quia data est hominibus post legem Mosaicam, tum quia hominem renovat per *lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti* (1). Dicitur secundo lex *fidei* (2), quia fide in Christum per dilectionem operante justificamur, & quia multa in lege Evangelica explicite creduntur, quae in lege veteri implicite tantum credebantur. Dicitur tertio lex *Spiritus vitae* (3), lex *gratiae* (4), quia vitam spiritualem, & gratiam specialiter confert. Dicitur quarto lex *libertatis* (5), quia per Christum a servitute peccati, & Daemonis in libertatem asserti sumus. Dicitur quinto *novum testamentum*, quia in adventu Christi data fuit nova lex veteri repudiata, ut Apostolus docet (6) his verbis: *Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova*. Dicitur demum lex *Evangelica*, quia, ut auctor operis imperfecti in Matthaeum observat „ Evangelium est bonum nuntium, bona „ autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo caelestis, peccatorum remissio, adoptio „ filiorum, mortuorum resurrectio, „ immortalis vita.

(1) *Ad Titum* 3. *v.* 5.
(2) *Rom.* 3. *v.* 27.
(3) *Rom.* 8. *v.* 2.
(4) *Joannis primo v.* 17.
(5) *Jacob.* 1. *v.* 25.
(6) 2. *Corinth.* 5. *v.* 17.

An Christus aliqua dederit praecepta?

2. R. Christum non unum, sed plura dedisse praecepta; idque contra Lutherum (1) & Calvinum (2), qui docuerunt Christum non fuisse legislatorem. Quid enim sibi volunt haec Christi verba: *Mandata mea servate* (3): *si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea* (4): *euntes docete omnes gentes baptizantes eos ..... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (5). Errarunt ergo turpissime Lutherus, & Calvinus, dum docuerunt nullam

a Christo legem esse sancitam; meritoque propterea Tridentinum hoc anathemate eos perculit (6): *si quis dixerit Christum Jesum a Deo datum fuisse, ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

(1) *In lib. de libertate Christi.*

(2) *In commentariis ad Paulinam epistolam ad Galatas.*

(3) *Joannis* 14. *v.* 15.

(4) *Joannis* 15. *v.* 10.

(5) *Matth.* 28. *v.* 19.

(6) *Sess.* 6. *Can.* 21.

Mitto alia argumenta in hujus rei confirmationem, tum responsionem ad objectiones, quum praestantissimi ex Ætherodoxis a sententia Lutheri, & Calvini discedentes in nostram concesserint; inter quos Georgius Bullus, qui ita scribit (1): „ Hoc „ ideo curiosius observandum, ne „ errorem erremus, quem Lutherus, „ & post eum nostratium Theologorum plerique in disputationibus „ suis de justificatione contra Pontificios nimio contradicendi aestu „ abrepti in ecclesias reformatas maximo eorum malo invexerunt, scilicet evangelium ex puris putis „ promissis constare, Christum dedisse mundo legem nullam .... Ex „ his principiis incautius ab iis positis, atque a Theologorum vulgo „ avide arreptis per necessariam consequentiam deducta fuerunt execrabilia Antinomorum, Libertinorum, Familistarum, atque ejusdem „ farinae dogmata. " Idem sentit Hugo Grotius (2), aliique plures, ut tradit Antonius de Martini (3).

(1) *In harmonia Apostolica dissert.* 1. *cap.* 3.

(2) *De jure belli & pacis.*

(3) *De lege naturali cap.* 6.

Quaenam sint legis veteris a lege nova discrimina.

3. ℟. Legem veterem a lege nova in pluribus differre. Et primo Deus in lege veteri locutus est per Mosem, in lege nova per Filium suum: *Multifariam, multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (1). 2. Lex vetus novae legis figura erat, & umbra: *Umbram enim habet lex futurorum bonorum* (2); lex autem nova lux est, & veritas: *Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est* (3). 3. Lex vetus pro solo judaico populo, lex nova pro toto terrarum orbe data fuit: *Euntes*, inquiebat Christus (4), *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* 4. Lex vetus per se non justificabat, quod per se praestat lex nova; unde Apostolus sic scribit (5): *Quod impossibile erat legi, Deus mittens filium suum in similitudinem peccati damnavit peccatum. Lex vetus*, inquit s. Thomas (6), *est quasi paedagogus puerorum, ut Apostolus dicit ad Galatas* 3., *lex autem nova est lex perfectionis; quia est lex caritatis, de qua Apostolus dicit ad Coloss.* 3. *quod est vinculum perfectionis.* 5. Lex vetus erat abrogan-

da, sicut revera abrogata fuit; *non est mihi voluntas*, inquit Deus, *in vobis*, *& munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus*, *& in omni loco sacrificatur*, *& offertur nomini meo oblatio munda* (7); at lex nova perduratura est usque ad seculorum consumationem, quod pluribus in locis innuit scriptura: *Redemptionem misit populo suo, mandavit in aeternum testamentum suum* (8), quare Christus ita Apostolos affatus est (9): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi*. Et sane Christus Dei filius ipse est, qui legem novam instituit; non erit ergo alius expectandus legislator.

(1) *Hebr.* 1. *v.* 1. *&* 2.
(2) *Hebr.* 10. *v.* 1.
(3) *Joann.* 1. *v.* 17.
(4) *Matth.* 28. *v.* 19.
(5) *Ad Rom.* 8. *v.* 3.
(6) 1. 2. *q.* 107. *art.* 1.
(7) *Malach. cap.* 1.
(8) *Psalm.* 110. *v.* 9.
(9) *Matth.* 28. *v.* 20.

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

DE LEGE HUMANA.

SUMMARIA

1. *Referuntur singula capita de lege humana expendenda.*

1. Acturi de lege humana inquiremus 1.° in ejus definitionem, divisionem, brevemque utriusque juris civilis scilicet, & ecclesiastici notionem exhibebimus. 2.° Ejus auctorem expendemus. 3.° Ejus objectum investigabimus. 4.° Ejus subjectum perpendemus, atque appendicem subjiciemus de iis, in quibus Clerici legibus tum civilibus, tum ecclesiasticis privilegio fruuntur. 5.° Videbimus qualem promulgationem lex requirat, & an ad ejus valorem necessaria sit acceptatio. 6.° Legis vim, & efficaciam aperiemus. 7.° Explicabimus modum, quo leges obligant. 8.° Attingemus legum renunciationem. 9.° Considerabimus interpretationem, ejusque regulas subjiciemus. 10.° Demonstrabimus, quae mutatio legi per abrogationem, & cessationem competere possit. 11.° de quibusdam legibus particularibus poenali scilicet, irritante, & tributorum agemus. Addemus demum caput XII. de consuetudine, & XIII. de privilegiis.

CAPUT I.

De lege humana.

SUMMARIA

1. *Legis humanae definitio, & divisio traditur.*

1. Lex humana ea est, quam auctor societatis praescribit suis subditis ad commune bonum; quoniam autem duplex est societas, ecclesiastica, & civilis; hinc duplex est lex humana, ecclesiastica scilicet, & civilis; illa imponitur a Rectore societatis ecclesiasticae subditis ad bonum commune spirituale, haec a rectore societatis civilis ad commune bonum temporale.

ARTICULUS I.

De variis nominibus legis ecclesiasticae, ejusque divisione, & notione.

SUMMARIA

1. *Quibus nominibus donetur jus ab Ecclesia institutum.*
2. *Juris canonici divisiones recensentur.*
3. *Brevis juris canonici notio solummodo traditur.*
4. *In quot partes dividatur corpus juris canonici.*
5. *Prima pars est decretum Gratiani.*
6. *Quot partibus constet Gratiani decretum.*

7. *Quid sentiat Benedictus XIV. de decreto Gratiani.*
8. *Penes nos decretum Gratiani vim legis non habet.*
9. *Menda plura sunt in decreto Gratiani, & ad ea cognoscenda adeundum opus clarissimi Berardi.*
10. *Canones poenitentiales vim legis non habent, eorum tamen notitia maxime utilis dirigendis conscientiis.*
11. *Canones Apostolorum vim legis non sortiuntur, continent tamen plura utilia.*
12. *Quid sint decretales, exponitur.*
13. *Sunt qui ambigant, an decretales publicam habeant auctoritatem.*
14. *Notitia traditur libri sexti decretalium.*
15. *Quid sint Clementinae, aperitur.*
16. *Quid sint Extravagantes, & quare sic dictae.*
17. *Quid sint Extravagantes communes, & cur hoc nomine appellatae.*
18. *Quaenam partes juris canonici penes nos in usu sint.*
19. *Liber septimus decretalium nec penes nos, nec apud alios vim legis habet.*
20. *Nullibi vim juris nanciscuntur institutiones Lancellotti.*
21. *Concilia generalia, non vero particularia, nisi approbentur a sede Apostolica pro tota Ecclesia, vim juris pontificii obtinent.*
22. *Expenditur, an magnum bullarium auctoritatem juris habeat.*
23. *Inquiritur, an, & cujus auctoritatis sint rubricae titulorum, superinscriptiones, & summaria capitulorum.*
24. *Regula traditur pro antinomiis, quae in jure canonico inveniuntur.*

1. Jus ab Ecclesia institutum ad dirigendos fideles in bonum spirituale, aeternamque salutem variis nominibus donatur. 1.° Enim dicitur jus *canonicum*, quia canones, seu regulas continet: canon enim graece, latine regula appellatur (1). 2.° Jus *ecclesiasticum*, seu sacrum, quia potissimum de personis, & rebus sacris agit. 3.° Jus *pontificium*, quia a summis Pontificibus fuit institutum, vel approbatum. 4.° Jus *divinum*, quia instinctu Spiritus Sancti Ecclesiam suam dirigentis canones constituti sunt (2); non vero ex eo, quod hoc jus a Deo immediate derivetur.

(1) *Can.* 1. *dist.* 3.

(2) *Can. violatores* 5. *caussa* 25. *q.* 1.

2. Jus canonicum, non secus ac jus civile, dividitur, 1.° in *scriptum*, & *non scriptum*. Primum est illud, quod expressa Pontificis voluntate constituitur. Alterum, quod dicitur etiam *consuetudinarium*, quod moribus fidelium introductum est. Huic divisioni favet jus Canonicum: *omne jus* (1) *legibus*, & *moribus constat*. Primum jus, seu scriptum desumptum est, tum ex variis sacrae scripturae textibus, tum ex decretis conciliorum, tum ex constitutionibus, & rescriptis Romanorum Pontificum, tum ex legibus Principum, tum ex testimoniis Ss. Patrum. Se-

cundum vero constat traditionibus, & consuetudinibus ecclesiasticis.

(1) *Can.* 2. *dist.* 1.

Dividitur 2.° jus canonicum in jus *commune*, & *particulare*; illud totam Ecclesiam obstringit, hoc vero solummodo certum locum fidelium: sic nationale totam nationem, provinciale totam provinciam, dioecesanum totam dioecesim obligat, non ultra.

3. Animus non est hic inquirere in varias tum Canonum, tum Decretalium antiquis temporibus factas collectiones, eorumque menda, & errata, quae ex simplicitate, ignorantia, vel perfidia, aliisque similibus vitiis in eas irrepserunt, detegere; hoc enim esset non solum in messem alienam falcem immittere, verum etiam nimium ab instituto nostro nos avocaret. Sufficiet ergo nobis brevem juris canonici, prout in scholis explicatur, notionem tradere.

4. Corpus juris canonici dividitur in sex partes, quarum 1.ª est decretum Gratiani; 2.ª sunt Decretales Gregorii IX.; 3.ª Decretales Bonifacii VIII.; 4.ª Clementinae; 5.ª Extravagantes Joannis XXII.; 6.ª Extravagantes communes. In quibusdam exemplaribus inveniuntur liber septimus Decretalium, tum etiam institutiones juris canonici Joannis Pauli Lancelotti jurisconsulti Perusini.

5. Prima igitur pars continet Decretum Gratiani professione Monachi s. Benedicti, qui privatim anno circiter 1150. Eugenii III. tempore collectionem conscripsit, atque *concordiam discordantium canonum* appellavit, quae deinceps appellata fuit decretum.

6. Hoc Gratiani decretum tribus constat partibus. 1.ª Complectitur 101. distinctiones, & singulae distinctiones divisae sunt in canones, seu capita. Comprehendit 2.ª 36. caussas, quarum singulae continent plures quaestiones, & quaelibet quaestio plures canones, seu capita. Caussae 33. inseritur tractatus de poenitentia in septem distinctiones divisus, & quaelibet distinctio in canones seu capita; 3.ª pars inscripta est de consecratione, & in quinque distinctiones tributa, quarum quaelibet complectitur canones, seu capita. His addi solent 47. canones poenitentiales. Demum ad calcem invenitur codex canonum ita inscriptus: *canones Ss. Apostolorum per Clementem a Petro Apostolo ordinatum Episcopum in unum congesti*.

7. De hoc Gratiani decreto ita scribit Benedictus XIV (1): „ Gratiani „ decretum, quamvis pluries R. Pon„ tificum cura emendatum fuisse non „ ignoretur, vim, ac pondus legis „ non habet; quin immo inter omnes „ receptum est, quidquid in ipso „ continetur tantum auctoritatis ha„ bere, quantum ex se habuisset, si „ nunquam in Gratiani collectionem „ insertum foret.

(1) *De Syn. dioeces. lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 6.

8. Cum igitur Gratiani decretum non fuerit publica auctoritate vulgatum, penes nos vim legis non habet; si tamen quaedam ejus fragmenta consuetudine, vel usu fori fuerint probata, erunt religiose custodienda.

9. Quamvis pluries Ss. Pontifices adlaboraverint emendationi decreti Gratianei, non est tamen ab omni mendo immune; unde quisque in hac re consulere poterit opus a cl. Berardi hujus R. Athenaei quondam professore non multis ab hinc annis editum, cui titulus: *Gratiani canones genuini ab apocriphis discreti, corrupti ad emendatiorum codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati*.

10. Quod pertinet ad canones poenitentiales, quamvis a multis saeculis sint obsoleti, ideoque vim legis amplius non habeant, eorumdem tamen notitia Confessariis multum prodesse poterit, tum ad aliquam proportionem servandam inter diversas peccatorum species, & poenitentiam pro singulis imponendam, tum ad argumentum desumendum, ut aperiant poenitentibus suorum delictorum gravitatem, quae tam longa, atque gravi poena in hac vita ab Ecclesia mulctabantur.

11. Nullam pariter vim legis habent canones, qui dicuntur Apostolorum, quia inter eruditos constat eos esse suppositios; esse tamen non desinunt egregia venerandae antiquitatis monumenta, multaque continent admodum utilia; verum quia plura in his fuere inserta ab haereticis; ideo vim suam, & auctoritatem amiserunt.

12. Secunda pars juris canonici continet Decretales, quae nihil aliud sunt, quam collectio decretalium epistolarum quorumdam summorum Pontificum jussu Gregorii IX. a s. Raymundo de Pennafort ordinis praedicatorum facta. Decretales istae sic dictae sunt, quia maxima ex parte constant epistolis decretalibus, & constitutionibus summorum Pontificum. Divisae sunt in Titulos, Tituli in Capitula.

13. Communiter docent doctores hujusmodi Decretales fuisse a Gregorio IX. approbatas, ideoque publicam habere auctoritatem. Non desunt tamen, qui sentiant approbatas quidem fuisse a Gregorio IX. non in specie, sed in genere, atque non fuisse toti Ecclesiae propositas, sed solum doctoribus, & discipulis universis Bononiae commorantibus; ex quo concludunt publica auctoritate donatas non esse.

14. Tertia pars juris canonici comprehendit librum sextum Decretalium, qui nil aliud quoque est, quam nova collectio jussu Bonifacii VIII. subsequentium Decretalium, quae fuit in concilio Lugdunensi ab eodem Pontifice promulgata. Haec collectio, quia addita fuit quasi supplementum libris quinque Gregorii IX., appellata fuit liber sextus Decretalium. Dividitur pariter in quinque

Digitized by Google

Libros, quorum singuli continent Titulos, Tituli autem Capitula.

15. Quarta pars juris canonici complectitur Clementinas, seu Constitutiones partim editas a Clemente V. in concilio Viennensi, partim ejus jussu collectas, & a Joanne XXII. ejus successore Avenione promulgatas. Dividuntur pariter in quinque Libros, Libri in Titulos, Tituli in Capitula.

16. Quinta pars juris canonici sunt Extravagantes Joannis XXII., quae sunt constitutiones emanatae ab eodem Pontifice, & ejus nomine promulgatae. Distributae fuerunt in 14. Titulos & Tituli in Capitula. Dictae sunt Extravagantes, quod olim extra corpus juris canonici vagarentur.

17. Sexta pars juris canonici sunt Extravagantes communes, constitutiones scilicet, quae post alias editae sunt a diversis Pontificibus. Hae dictae sunt Extravagantes propter jam allatam rationem, & communes, quia non ab uno Pontifice, sicuti Extravagantes Joannis XXII., sed a pluribus emanarunt. Tribuuntur in quinque Libros, Libri in Titulos, Tituli in Capitula. Hujusmodi Extravagantes communes a nullo Pontifice fuerunt expresse approbatae; usus tamen, & consuetudo invaluit, ut habeantur pro jure novo.

18. Apud nos in usu sunt Decretales Gregorii IX., liber sextus Decretalium, Clementinae, tum Extravagantes Joannis XXII., tum Extravagantes communes, nisi contraria lege, aut consuetudine abrogatae demonstrentur.

19. Liber septimus Decretalium, quum a nullo Pontifice fuerit approbatus, nullibi vim legis habet, ideoque constitutiones in iis contentae ad suos auctores sunt reducendae: unde ea auctoritate pollent, quam habent in semetipsis. Ideo autem non fuit approbatus, quia, ut ait Benedictus XIV. (1) „ cum in ipsum „ identidem inserta fuerint Tridenti- „ ni Concilii decreta, sicuti prohi- „ beri non poterant Canonistae, quin „ ea interpretarentur, ita aditus pa- „ tefactus fuisset violandae summi „ Pontificis Pii IV. constitutioni, qua „ vetantur privati homines sacrum „ Tridentinum Concilium commen- „ tari, atque interpretari; cum id „ sacrae Cardinalium Congregationi, „ ejusdem concilii interpreti, priva- „ tive sit reservatum.

(1) *De syn. dioeces. lib.* 13. *cap.* 24. *num.* 2.

20. Nullibi pariter vim juris habent Institutiones Lancellotti, cum auctoritate Apostolica non fuerint confirmatae.

21. Quaeri hic solet, an aliqua, quae extra corpus juris canonici inveniuntur, obtineant auctoritatem juris Pontificii. Et primo sermo instituitur de conciliis, an haec auctoritate gaudeant. Communiter responderi solet Concilia generalia a sede Apostolica approbata jus Pontificium constituere pro tota Ecclesia (1): si tamen hujusmodi Concilia non essent

in quibusdam locis promulgata, obligarent quidem in iisdem locis, quoad dogmata fidei, neutiquam quoad disciplinam ecclesiasticam. Sic Tridentinum, licet a tribus Pontificibus fuerit approbatum, Paulo nempe III., Julio III., & Pio IV., tamen in iis locis, in quibus adhuc promulgatum non est, nullam vim habet quoad reformationis decreta disciplinam ecclesiasticam concernentia. Verum Concilia particularia, nisi approbentur a sede Apostolica, & quidem pro tota Ecclesia, vim juris Pontificii non habent, quum nullus Episcopus, vel Concilium potestate gaudeat totam Ecclesiam obligandi (2). Quaenam autem sint ea Concilia particularia, quae pro universali Ecclesia a sede Apostolica fuerint approbata, alibi tradunt Theologi.

(1) *Can.* 1. *& seqq. dist.* 16.

(2) *Can.* 6. *dist.* 17.

22. Inquirunt 2.° , an magnum bullarium continens constitutiones Pontificias auctoritatem juris habeat; & responderi quoque solet hanc auctoritatem non habere, nisi certo saltem moraliter constet, quod constitutiones rite sint promulgatae, usu receptae, & per omnia respondentes suo originali. Penes nos, ut rite promulgentur istae constitutiones, opus est *Regio-exequatur*, quod definiri solet decretum Regis, ejusque sanctioris consilii, quo vel sinit, vel jubet sedis Apostolicae, vel Romanae curiae, vel cujuscumque superioris Ecclesiastici exteri decreta, decretales, rescripta concessiones, & sententias in suis ditionibus publicari, ac exequi. Verum de promulgatione cap. 7. Inquirunt pariter, an regulae Cancellariae, declarationes sacrarum congregationum, decisiones Rotae vim juris Pontificii quoque nanciscantur; at nos haec omnia inferius expendimus.

23. Si quaeratur, quid, & cujus auctoritatis sint Rubricae Titulorum, superinscriptiones, & summaria capitulorum; hisce verbis respondet (1). Remigius Maschat a s.Erasmo. ℟. ad 1. „ *Rubrica a rubris litteris*, qui„ bus scribebatur dicta, est inscri„ ptio indicans materiam Tituli, ut „ *de summa Trinitate &c.* in libris „ authenticis magnae est auctorita„ tis, cum libri isti una cum Ru„ bricis approbati sint; & ideo *va*„ *let argumentum a rubro ad nigrum*; „ hoc est a Rubrica ad textum Ca„ pituli, dummodo textus non dis„ sonet Rubricae, alioquin inhae„ rendum est nigro, seu textui tam„ quam magis speciali. Porro Ru„ brica continens sensum perfectum, „ & completum allegari potest *dispo*„ *sitive*, seu per modum regulae „ generalis v. g. *de domibus religiosis*, „ *ut Episcopo sint subjectae*; *ne Cle*„ *rici*, *vel Monachi secularibus ne*„ *gotiis se se immisceant*. Si vero „ Rubrica sensum perfectum non con„ tineat, quum nihil disponat prae„ cipiendo, vel prohibendo, non po„ test allegari dispositive, sed tan„ tum *declarative*, si Capitulum sit

Digitized by Google

„ obscurum, & *extensive* ampliando „ textum Capituli, dummodo non „ sequatur correctio juris, vel poe- „ na, vel aliquid iniquum, aut con- „ trarium consuetudini practicae. Hic „ pro allegando affertur illa regula „ *in dubio circa sensum, res, & per-* „ *sonas, id eligendum est, quod est* „ *conformius Rubricis.*

„ Ad 2. *Superscriptiones Capitulorum* „ sunt illa verba, quae indicant, „ unde textus Capituli desumptus, „ vel ad quem directus sit: v. g. „ *cap.* 1. *de rescript.* Alexander III. „ *Senonensi Archiepiscopo*. In libris „ authenticis sunt authenticae, & ex „ illis validum est argumentum, cum „ resectis omnibus superfluis relictae „ sint, & cum capitulis approbatae, „ ut patet ex Bulla praefixa Decre- „ talibus, & sexto. *At summaria*, „ quibus privati doctores Capitula „ summarunt, non habent vim au- „ thenticam, sed tantum sunt doctri- „ nalia ad majorem legentium com- „ moditatem, licet ob auctoritatem „ gravium DD. aestimentur.

(1) *In suis institut. editionis Fer-rariensis pag.* 214. *n.* 118.

24. Quid agendum, quando in jure canonico aliquae occurrunt antinomiae, seu contrarietates legum, & canonum.

℞. In jure canonico, non secus ac in jure civili, varias occurrere antinomias; unde quando apparet aliqua antinomia, in primis tentanda est legum, & canonum conciliatio, quantum fieri poterit (1); quod si haec obtineri non possit, standum erit posteriori legi, vel canoni; *lex enim posterior derogat priori* (2); unde Decreto Gratiani derogatur per Decretales Gregorii IX., his per librum sextum, huic per Clementinas, & his omnibus per Concilium Tridentinum, & constitutiones posteriores a summis Pontificibus emanatas.

(1) *Cap. quum expediat* 29. *de elect. in* 6. *l. un. cod. de inof. dotibus.*

(2) *L. fin. ff. de constit. princ.*

25. Quum in toto corpore juris canonici inveniatur modus, & ratio, quam summi Pontifices, Concilia, sancti Patres, & Ecclesiae doctores servârunt in conscientiae casibus decidendis, quae illis subinde proponebantur, hoc corpus omnes ecclesiastici, & praesertim ii, qui animas dirigendas suscipiunt, apud se habere, ejusque lectioni serio incumbere deberent: quia est fons copiosus, unde summa cum securitate, & sine multo labore hauriri potest doctrina, tum ad propriam, tum ad aliorum salutem necessaria in iis, quae ad fidem, moresque pertinent. Quare Julius Papa (1) ad Episcopos Orientales sic scribit: „ Nolite erra- „ re, fratres mei carissimi, doctri- „ nis variis, & extraneis nolite abdu- „ ci. En instituta Apostolorum, & „ Apostolicorum virorum, canonesque „ habetis: his fruimini, his circum- „ damini, his delectamini, his arma- „ mini, ut his freti circumdati, de- „ lectati, armati contra cuncta ini-

Digitized by Google

„ micorum jacula persistere valeatis.
„ Satis enim indignum est quemquam
„ vel Pontificum, vel ordinum sub-
„ sequentium hanc regulam refutare,
„ quam beati Petri sedem & sequi
„ videat, & docere. Multum enim
„ convenit, ut totum corpus Eccle-
„ siae in hac sibimet observatione
„ concordet, quae inde auctoritatem
„ habet, ubi dominus Ecclesiae to-
„ tius posuit principatum.

(1) *Relatus in can.* 3. *dist.* 11.

ARTICULUS II.

De diviſione legis civilis, ejuſque notione.

SUMMARIA

1. *Legis civilis divisio traditur.*
2. *In pluribus differt jus privatum a quolibet alio.*
3. *Exponitur divisio juris privati.*
4. *Subdividitur jus scriptum in illud, quod in specie tale, & illud, quod praetorium dicitur.*
5. *Notio traditur juris civilis.*
6. *Aliud jus obtinet in insula Sardiniae, aliud in nostris regionibus.*
7. *Quodnam jus in nostris regionibus vim habeat.*
8. *Constitutiones Regiae illaesas voluerunt consuetudines quarumdam provinciarum.*
9. *Edicta sive vetera, sive recentia, sunt quoque observanda.*
10. *Quid requiratur, ut locorum statuta vim legis habeant.*
11. *A decisionibus supremorum Magistratuum non licet appellare sive earum momenta fuerint scripto exarata, sive non.*
12. *Indicatur, ubi inveniantur Senatus decisiones.*
13. *Qua potestate gaudeat Regia Camera.*
14. *Quid possit Magistratus sanitatis.*
15. *Qua donetur facultate Consulatus Magistratus.*
16. *Jus commune penes nos obligat, prout usu receptum est.*
17. *Quaenam juris communis partes penes nos vim legis sortiantur.*
18. *Quid sentiendum de caeteris legibus, quae in quibusdam codicibus inseruntur.*
19. *Nec penes nos, nec penes alios, omnes juris Romani leges vigent.*
20. *Regula assignatur pro contrarietatibus, quae in hoc jure inveniuntur.*
21. *Non satis tuti sunt in conscientia ii Confessarii, qui in resolutione casus conscientiae juris materiam attingente eos solummodo Theologos consulunt, qui jus Romanum, non vero municipale expendunt.*
22. *Casui conscientiae resolvendo satis quandoque non est vel Theologus solus, vel Jurisconsultus solus, sed ambo simul convenire debent.*
23. *Affertur primum exemplum.*
24. *Affertur secundum exemplum.*

1. Lex humana civilis, seu jus civile a Jurisconsultis tribuitur in pu-

Digitized by Google

blicum, & privatum. Publicum illud est, quod directe, & principaliter ob caussam publicam, & universalem constitutum est; tale est jus ex. gr., quo Magistratuum auctoritas definitur. Hinc (1) Justinianus *jus publicum*, ait, *quod ad statum rei Romanae spectat*. Privatum vero illud dicitur; quod ad singulorum civium utilitatem immediate, & principaliter conditum est, tale est jus, quo tutela defertur, testandi modus praescribitur &c. Hoc jus quandoque publicum appellatur, eo quod, non secus, ac publicum, a publica auctoritate originem habeat (2).

(1) §. 4. *Instit. de just.*, *& jure.*

(2) *L.* 3. *ff. qui testamenta facere possunt*.

2. Ex hac definitione colligitur differentia juris privati a quolibet alio jure. Differt in primis a jure naturali, quia hoc cordibus hominum impressum est, & immutabile, non autem illud; differt a jure gentium, quia hoc est fere omnium gentium, illud diversum esse solet pro varietate imperiorum (1); differt demum a jure publico, quod istud primo, & principaliter respiciat publicam utilitatem, ex qua deinde oritur singulorum utilitas; e contra illud primo, & per se singulorum utilitatem pro objecto habeat, ex qua publica dimanat utilitas.

(1) §. 2. *de jure naturali*, *gentium*, *& civili*.

3. Jus privatum, prout collectum est ex naturalibus praeceptis, aut gentium, aut civilibus tribuitur primo in universale, & particulare. Primum extenditur ad universum principatum, vel imperium. Secundum, quod dicitur etiam *statutarium* ad provinciam solum, vel civitatem. Tribuitur 2.º in scriptum, & non scriptum (1). Jus scriptum illud est, quod expressa voluntate Principis, aut Reipublicae promulgatur. Jus non scriptum illud est, quod moribus utentium introducitur, & tacita Principis voluntate approbatur. Jus hoc non scriptum *consuetudo* appellatur, de qua inferius.

(1) §. 3. *Instit. de jure nat. gent.*, *& civ.*

4. Jus civile scriptum aliud in specie tale, aliud praetorium vocatur. Primum sic definiunt jurisconsulti. Jus civile est, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, Principum placitis, Magistratuum edictis, responsis prudentum venit (1). Jus praetorium est, quod Praetores introduxerunt adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia propter utilitatem publicam, quod & honorarium dicitur ad honorem Praetorum sic nominatum (2).

(1) §. 3. *Instit. de jure nat. & gent.*, *& civ. l.* 7. *ff. de just. & jure.*

(2) *L.* 7. §. 1. *ff. de just. & jure.*

5. Ex jure civili, & praetorio coaluit jus civile Romanum, cujus notionem paucis exhibebo. Sub initium populi Romani nullae erant leges, sed omnia mutua voluntate regebantur. Aucto deinde populo necessa-

Digitized by Google

riae fuerunt leges; quare Romulus diviso populo in triginta curias, leges condidit, quibus dirigeretur, quae curiatae dictae sunt, quas Numa Pompilius ampliavit; idque praestiterunt alii quoque Reges. Hae leges curiatae postmodum appellatae sunt leges Regiae, quas in unum volumen tempore Tarquinii Regis Sextus Papyrius redegit, dictumque propterea jus Papyrianum.

Expulsis Regibus, leges quoque Regiae evanuere. Quum autem eo tempore loco Regum duo Consules pro arbitrio Rempublicam administrarent, natae inde sunt plures discordiae, praesertim Patres inter, & plebem; quare delecti sunt tres viri, nempe Spurius Posthumus, Sextus Sulpicius, A.Manlius; atque missi sunt in Graeciam, ut Graecas leges, eas potissimum, quas Solon constituerat, conscriberent, atque Romam adferrent. Statim ac fuere reversi, creati sunt decemviri anno urbis conditae 301., qui tum ex Graecis legibus, tum ex Romanorum institutis leges condiderunt, quae in duodecim tabulis eboreis, vel aereis incisae, & a populo confirmatae, legum modo decemviralium, modo duodecim tabularum nomen sortitae sunt, quarum fragmenta extant tum penes Jacobum Gothofredum, tum penes alios.

Quum crescente Republica duodecim istae tabulae non sufficerent ad omnia definienda, utpotequae breves essent, & obscurae, additae sunt prudentum interpretationes, quae communi nomine jus civile appellabantur (1).

(1) *L. Necessarium* §. 5. *de origine juris*.

Cum populus identidem leges ferret, saepe conquaesta est plebs, quod eo jure non frueretur; unde post multos conatus tandem legum ferendarum potestatem obtinuit, atque ejus leges Patricios primum non obligabant, sed postmodum legibus Horatia, Publia, & Hortensia statutum fuit, ut ejus leges non minus plebem, quam patricios adstringerent. Eae leges appellatae sunt *Plebiscita*, ut distinguerentur a legibus a populo latis. „ Plebs autem a populo eo „ differt, quo species a genere; nam „ appellatione populi universi cives „ significantur connumeratis etiam „ Patriciis, & Senatoribus: plebis „ autem appellatione sine Patriciis, „ & Senatoribus caeteri cives significantur (1).

(1) §. 4. *Instit. de jure nat.*

Quum Consules bellis finitimis alibi avocarentur, neque esset in civitate, qui jus reddere posset: factum est, ut Praetor quoque crearetur (1). Praetores, licet fuerint instituti eo tantum consilio, ut jus dicerent, quia tamen tota penes ipsos jusdicendi potestas residebat, edicta proponebant, quibus aliquando jus civile confirmabant, aliquando emendabant, aliquando supplebant (2), adhibitis tamen quibusdam coloribus, ut jus civile retinere viderentur, veluti cum bonorum possessionem iis con-

cedebant, qui jure civili haereditatis participes esse non poterant. Haec edicta, eo quod nimiam juris civilis asperitatem emendarent, & magis Romanorum indoli, & rerum adjunctis essent convenientia, ex tacita populi voluntate vim legis habuerunt.

(1) *L. Necessarium* §. 27. *de origine juris*.

(2) *L. jus autem* 7. §. 1. *ff. de just. & jur.*

Creati quoque sunt Ædiles, qui curules dicebantur a curia, vel a curru, vel a sella curuli, in qua sedebant. Ædiles isti ita dicti, eo quod in aedibus sacris, atque profanis potissimum occupati essent, sua quoque edicta proponebant.

Postquam Imperatoribus subesse coeperunt Romani, & responsa prudentum, & senatus consulta vim legis obtinuerunt. Enimvero quum Augustus statuisset, ut nemo de jure respondere posset, nisi hanc facultatem ab ipso obtinuisset, & vetuisset, ne Judices a prudentum responsis discederent; hinc factum est, ut responsa prudentum instar legum haberentur; quamvis enim ante Augustum responsa a prudentibus ederentur, vim legis tamen non habebant, nisi essent tacito populi consensu probata.

Tiberius primus fuit, qui, erepta a populo legum ferendarum potestate, eam in Senatum transtulit, eo quidem colore, quod aucto nimium populo difficile admodum esset tantam hominum turbam in unum convenire; re autem vera, ut ipse imperaret; quia facilius ipsi erat Senatores, quam tantam populi multitudinem in suam sententiam pertrahere. Ita (1) coepit Senatus se interponere, &, quidquid constituisset, observabatur: idque jus appellabatur Senatusconsultum.

(1) *L. Necessarium* §. 9. *de origine juris*.

Temporis decursu, quum Imperatores obtinuissent, ut ipsi soli leges ferrent, tam multas ediderunt, ut fere in immensum excreverint; quare Imperator Adrianus, opera, & studio Salvii Juliani, edicta Praetorum collegit, & ex iis conflatum est volumen, quod *edictum perpetuum* nuncupatum est, quod jureconsulti plures Ulpianus, Paulus, Gajus, Scaevola, aliique interpretati sunt.

Imperatorum constitutiones usque ad Constantinum collectae fuere a Gregorio, & Hermogene, & codex dictus est Gregorianus, & Hermogenianus, quorum fragmenta vix adhuc extant.

Theodosius Imperator deinde Constitutiones a Constantino usque ad sua tempora editas in unum codicem redigi curavit, qui dictus est Theodosianus.

Postquam Justinianus imperium est consecutus, de jurisprudentia in novum ordinem, ac formam redigenda curavit, idque perfecit opera, & studio Triboniani, unde anno 529. editus fuit codex Justinianus conflatus

praesertim ex dictis codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano, & ex constitutionibus subinde emanatis tum a Theodosio, tum a semetipso. Aliam curavit deinde collectionem Justinianus ex jurisconsultorum fragmentis, quae nomine legum citantur, & appellata est Digestum ab ordine, & forma, sub qua disposita, & digesta; vel Pandectae, quia universa, quae ad jus pertinent, pandere visa est, quae prodiit anno 533.. Collectio haec continet 50. libros distinctos in titulos, & leges.

Eodem die, quo digestum, lucem aspexerunt Institutiones studio Treboniani, Theophili, & Dorothei compactae ex veteribus Institutionibus Gaii: continent quatuor libros divisos in titulos, & paragraphos.

Quum codex conflatus ex codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano, (quorum duo primi ferme perierunt, Theodosianus adhuc existit, sed eo uti prohibuit Justinianus) & constitutionibus fuisset antiquatus, alterum confici jussit distributum in 12. libros distinctos in titulos, & leges; qui codex repetitae praelectionis, seu secundae editionis vocatur, & vulgatus est anno 534.

Post hunc codicem varias evulgavit constitutiones Justinianus pro rerum contingentium occasione, quae novellae dictae sunt, quod novissime post editum codicem eas condiderit.

Hoc jus Justinianeum vim habebat penes totum imperium, non solum ipso vivente Justiniano, verum etiam multo post; decursu tamen temporis ejus auctoritas extincta est, non tantum penes Orientem, sed & penes Occidentem. Saeculo 12. pristinam dignitatem recuperavit studio, & opera praesertim Irnerii, qui e Graecia juris civilis scientiam in Italiam detulisse dicitur, hic Bononiae jus Justinianeum professus est, cujus exemplum secuti sunt Galli, & Hispani; unde paullatim in tota Europa revixit.

Novellis non a Justiniano, sed ab Irnerio, ut fertur, adjectae fuere Authenticae, & suis titulis in codice insertae.

Codici quoque inserta fuerunt 13. Justiniani Imperatoris edicta, Novellae Leonis Imperatoris, & canones Apostolorum.

Codici demum adjecti fuerunt libri feudorum, qui jura militaria olim vocabantur. Eorum originem alii tribuunt Longobardis, alii Germanis.

Quodnam jus civile in nostro imperio obtineat.

6. Respondeo distinguendam esse insulam Sardiniae a regione, quam inhabitamus. In Sardinia obtinent primo Principum nostrorum edicta pro ea insula constituta, & leges a pro-Regibus identidem promulgatae; quae omnia typis edita sunt. 2.° Lex vetus municipalis constans ex pragmatica, & ex edicto Ducis a s. Joanne; atque nonnulla alia peculiaria statuta. 3.° Jus commune. Hic porro

Digitized by Google

observandum est, edictis vulgo *pregoni* quandoque derogari: sic edicto, quod invenitur tomo 1. tit. 2. ordinatione 3. cap. 4. §. 4. derogatum est edicto emanato a Carolo Emanuele felicis recordationis die 15. januarii 1770. his verbis concepto (1): *perlochè deroghiamo al disposto dal paragrafo* 4. *cap.* 4. *in riguardo a' testamenti detti sacramentali per l' addietro tollerati*.

(1) *Cap.* 1. *n.* 3.

7. In regione hac obtinent 1.° Principum nostrorum constitutiones, 2.° locorum statuta, 3.° decisiones supremorum Magistratuum, 4.° jus commune (1):

(1) *R. Constit. lib.*3. *tit.*22. §. 15.

8. Circa haec nonnulla sunt observanda. Constitutiones Principum nostrorum duobus voluminibus typis mandatae sunt anno 1770., & anno 1772. constitutiones R. Athenaei. Quamvis primae constitutiones generales sint, voluit tamen Rex Carolus Emanuel illaesas servare quasdam consuetudines earum provinciarum, in quibus illae nondum erant promulgatae; modo non essent contrariae bono publico, & fundatae in legitimo titulo, & possessione, quae fuere confirmatae pro ducatu Sabaudiae anno 1773. die 25. novembris, pro ducatu Augustano eodem anno die 13. augusti, & pro dictis provinciis anno 1771. die 27. julii.

9. Praeter has constitutiones a Principibus nostris identidem emanarunt edicta, tum vetera, quorum plura notis illustravit Sola, alia Ab-Ecclesia, & Borellus referunt, tum recentia, quae quoque observanda sunt, non secus ac leges (1).

(1) *L.* 3. *cod. de leg. et constit.*

10. Locorum statuta, ut vim obligandi habeant, debent esse a Principibus nostris probata, & in viridi, ut ajunt, observantia (1).

(1) *Lib.* 3. *R. constit. tit.* 22. §. 15.

11. Decisiones sunt sententiae supremorum Magistratuum, a quibus non licet appellare (1). Nihil autem refert, sive earum momenta scripto fuerint exarata, necne; vis enim legis non rationum momentis, sed decisioni ipsi inhaeret. Secernenda est etiam pars decisiva ab iis, quae decisionis collector interlocutus est: illa, utpote Senatus placitum, vim legis habet: haec vero, utpote privata auctoritate adjecta, legis auctoritate destituta sunt.

(1) *Lib.* 3. *tit.* 22. §. 15.

12. Decisiones Senatus Sabaudi plures inveniuntur penes Fabrum in suo codice. Decisiones Senatus Taurinensis multae reperiuntur penes Osascum, Thesaurum patrem, Thesaurum filium, & plures aliae venduntur a quibusdam Bibliopolis.

13. Inter supremos Magistratus ultra Senatus recensetur 1.° penes nos Regia Camera, quae Camera computorum, & suprema rationalium curia appellari solet; haec gaudet potestate cognoscendi de omnibus caussis ad R. patrimonium pertinentibus

Digitized by Google

(1), a cujus sententiis nec pariter appellare licet (2).

(1) *Lib. 6. tit. 1. cap. 1. R. constit.*

(2) *Lib. 6. tit. 1. cap. 1. §. ult. R. constit.*

14. Recensetur 2.° Magistratus sanitatis facultate donatus ea omnia statuendi, quae necessaria judicaverit, vel utilia ad sanitatem conservandam (1).

(1) *Lib. 2. tit. 2. §. 1. R. constit.*

15. Recensetur 3.° Consulatus Magistratus, cujus officium est ea omnia decernere, quae quoquomodo ad civile commercium fovendum, & propagandum conferre poterunt (1): ab hujusce Consulatus sententiis nec appellare fas est (2).

(1) *Lib. 2. tit. 16. R. constit.*

(2) *Lib. 2. tit. 16. cap. 2. §. 27. R. constit.*

16. Jus demum commune, cujus mentio habetur in regiis constitutionibus (1), constat ex jure ecclesiastico, & Romano. Hoc jus in nostris regionibus, non secus ac in multis aliis obtinet, prout moribus receptum est.

(1) *R. constit. lib. 3. tit. 22. §. 15.*

17. Quod pertinet ad jus Romanum, penes nos publica donantur auctoritate (post R. constit. statuta locorum, & decisiones supremorum Magistratuum, ut jam dictum est) Pandectae, seu digestum, Institutiones, Codex, qui dicitur repetitae praelectionis, Novellae, & demum libri feudorum. Authenticae, cum sint excerptae a novellis, nulla potiuntur auctoritate, si iis non respondeant.

18. At nulla penes nos, sicut penes plerasque gentes, fruuntur auctoritate tredecim Justiniani edicta, Novellae Leonis Imperatoris, canones Apostolorum, & caetera, quae in nonnullis codicibus inserta fuerunt.

19. Quamvis jus Romanum penes nos publica donatum sit auctoritate, non tamen hoc obtinet in omnibus legibus. Neque enim penes nos vigent leges, quae a jure canonico improbatae sunt, utpote jure naturali contrariae. Sic penes nos (1) non viget lex (2) prohibens alimenta dare filiis spuriis, quia improbata a jure canonico (3), nec lex facultatem faciens marito occidendi adulterum turpiter cum uxore agentem (4), nec pariter lex patri facultatem faciens interficiendi filiam in adulterio deprehensam, dummodo tamen una cum ipsa adulterum quoque occidat (5): duae hae leges, utpote adversae quinto decalogi praecepto sunt a jure canonico quoque improbatae (6), plures alias leges a jure canonico rescissas omitto, quia suis locis recurrent.

(1) *Ut docet Thesaurus dec. 211. n. 2. Faber def. 3. cod. lib. 4. tit. 9.*

(2) *Auth. ex complexu codice de incest. nupt.*

(3) *Cap. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*

(4) *L. Marito ad l. Juliam de adult. & l. Gracus eod. tit.*

(5) *L. quod ait, l. Nihil ff. ad l. Juliam de adult.*

(6) *Can. inter haec 33. q. 2.*

Digitized by Google

20. Quoniam jure Romano non omnes leges sibimetipsis sunt consentaneae, sed quaedam aliis sunt contrariae: *in nullo enim aberrare divinae utique solius, non autem mortalis est constantiae* (1); hinc ea regula traditur, ut recentiori, antiquiori omissa, standum sit (2); unde Novellae anteferendae sunt Codici, quo utimur, Codex Institutionibus, & Pandectis; si quid tamen obscurum inveniatur in Institutionibus, illae ex Pandectis, tamquam ex fonte sunt explicandae, exceptis tamen iis, quae ex codice in Institutiones fuere translata; quum ista conditionem codicis sequi debeant. At per Institutiones non corriguntur Pandectae, sed supplentur.

(1) *L.* 3. §. 13. *de vet. jure enucl.*
(2) *L.* 4. *ff. de constit. princ.*

SCHOLION

21. Quum in causis decidendis primum locum tenere debeant R. constitutiones, deinde statuta locorum a Principibus nostris approbata, postmodum decisiones supremorum Magistratuum, & tandem jus commune (1); male sibi, & poenitentibus consulunt ii confessarii, qui in resolutione casuum conscientiae juris materiam concernente, confugiunt ad eos Theologos, qui jus Romanum solum expendunt, uti sunt Lessius, Lugo, Zuares &c. Quum enim saepe contingat, ut jus Romanum adversetur R. constitutionibus, vel statutis locorum, vel supremorum Magistratuum definitionibus, jam evidens esse debet illud esse non posse tutissimam regulam ad obvios quoscumque casus conscientiae resolvendos.

(1) *Lib.* 3. *tit.* 22. §. 15. *R. constit.*

Quid ergo in hisce materiis Confessarius praestabit?

22. Totus in primis erit in cognoscenda facti specie singulari, inspectis omnibus personarum, rerum, temporum, locorum adjunctis; inde inquirere debet, an constitutio Regia, vel statuta locorum, vel decisiones supremorum Magistratuum singulari illi facti speciei accommodari possint, a quibus petenda erit casus conscientiae resolutio. Si comperiat nec R. constitutiones, nec statuta locorum, nec decisiones supremorum Magistratuum in illa facti specie locum habere posse, haec erit exigenda ad jus commune, ut saltem ex eo casus resolutio habeatur. Quod si id per semetipsum praestare non possit, quia scilicet juris prudentiam non didicerit, vel satis non calleat, juris peritos non solum in theoretica, sed etiam in practica jurisprudentia versatos consulere non erubescat. Quandoque enim contingit, ut resolvendo conscientiae casui satis non sit jurisconsultus etiam doctissimus, si Theologiae operam non dederit, vel Theologus, si in jurisprudentia non satis sit versatus.

23. Exemplum sit in eo, qui, ut post biennium liber sit a solutione, salarium non solvit famulo, qui obli-

Digitized by Google

gationis scriptura non munitus illud intra biennium petere non audet, ne domini indignationem incurrat. Si expleto biennio jurisconsultum interroges, qui nec a limine Theologiam salutaverit, respondebit statim nullam solvendi salarii obligationem esse; quum jure Regio (1) cautum sit biennii spatio praescribi actiones famulorum, nisi scriptura obligationis fuerit confecta, vel petitio legitima prius facta demonstretur. At si, dimisso jurisconsulto, Confessarium adeas satis eruditum tum in Theologia, tum in jurisprudentia, contrarium habebis responsum. Animadvertet enim Theologus in foro externo denegari quidem famulo actionem ad vitandas lites; & in hoc legem justam esse; quia tamen oportet, ut qui praescribit *in nulla temporis parte habeat rei alienae conscientiam* (2); quum *nulla antiqua dierum possessio juvet aliquem malae fidei possessorem* (3); & aliunde ad praescribendum tempore ordinario requiratur titulus (4), qui certe in domino non invenitur, in foro conscientiae totam esse solvendi salarii obligationem pronuntiabit.

(1) *Lib.* 5. *tit.* 18. §. 3. *R. constit.*

(2) *Ex concilio Later. cap. ult. de praescript.*

(3) *Cap.* 5. *de praescript.*

(4) *Quum in praescriptione bona fides, & justus titulus exigantur cap.* si diligenti 17. de praescript. cui adde cap. dudum 31. de decimis. L. 24. cod. de rei vindicatione, ubi haec verba habentur: *nullo justo titulo praecedente possidentes, ratio juris quaerere dominium prohibet*. Id quoque habetur in l. ult. cod. de usucapione pro herede.

24. Exemplum etiam sit in eo, qui vendidit fundum, cujus venditio non sit in instrumentum redacta, vel in instrumentum quidem, sed charta non obsignata, vulgo *carta bollata*, in iis provinciis, in quibus promulgata sunt edicta anni 1742. die 16. martii, & anni 1765. die 19. octobris. In hac specie Theologus, cui nota non est constitutio Regia (1), validam; jurisconsultus nullam dicet venditionem; quum clara sint verba constit. R., quibus nulli dicuntur omnes contractus in instrumentum non redacti, vel redacti quidem, sed non scripti in charta obsignata ex edictis jam citatis.

(1) *Lib.* 5. *tit.* 22. *cap.* 4. §. 1. *R. constit.*

ARTICULUS III.

De modo citandi jus canonicum, & civile.

SUMMARIA

1. *Explicantur citationes ex jure canonico.*
2. *Explicantur citationes ex jure civili.*

EX JURE CANONICO.

1. Vidimus decretum Gratiani tribus constare partibus, quarum 1.ª continet 101. distinctiones, 2.ª caussas

BIBLIOTECA ... UNIVERSITÀ DI ROMA

Digitized by Google

36., & caussae trigesimae tertiae adjectum esse tractatum de poenitentia; 3.a quinque distinctiones de consecratione.

Textus autem desumpti ex prima parte decreti sic citantur: can. Erit dist. 4., vel c. 2. d. 4. Idest canone, qui incipit ab hoc verbo Erit distinctione quarta.

Ex secunda parte decreti: can. Ecclesiarum 12. q. 2., idest canone, qui incipit Ecclesiarum causa duodecima quaestione secunda; ubi est notandum, quod numerus praecedens literam q. semper significet caussam.

In citatione caussae trigesimae tertiae quaestionis tertiae, plerumque omittitur numerus caussae, & quaestionis, citato solum canone, & distinctione cum addito de poenitentia, verbi gratia. C. Multi de poenit. d. 2. Idest in caussa trigesima tertia q. 3. de poenitentia distinctione secunda canone incipiente Multi.

Ex tertia parte: C. In sacramento d. 2. de consecr., idest canone, qui incipit in Sacramento distinctione secunda de consecratione.

Ex decretalibus: cap. Ex transmissa de foro competenti; hoc est capite, quod incipit Ex transmissa sub titulo de foro competenti. Olim sic citabatur cap. Ex transmissa extra de foro competenti, non quod textus sit ex constitutionibus extravagantis, sed extra decretum Gratiani. Sed hisce temporibus *to extra* omittitur.

Ex sexto decretalium cap. 2. de pactis in 6.; idest capite secundo sub titulo de pactis in libro sexto decretalium.

Ex Clementinis cap. Abbates Clem. de rescript., hoc est capite, quod incipit Abbates in Clementina constitutione sub titulo de rescriptis.

Ex Extravagantibus: cap. un. Extrav. Execrabilis Joannis XXII. de praebend.; hoc est in Extravagante constitutione Joannis vigesimi secundi incipiente Execrabilis sub titulo de praebendis capite unico; vel cap. vas electionis de haeret. inter comm.; idest capite, quod incipit vas electionis titulo de haereticis in Extravagantibus communibus. Ubi observa, si textus est Joannis XXII. additur nomen hujus Papae; si vero textus est ex Extravagantibus communibus additur, inter communes.

EX JURE CIVILI.

2. Textus desumpti ex Institutionibus sic citantur: Inst. de mand. §. 1. Mandantis; hoc est in Institutionibus sub titulo de mandato paragrapho primo incipiente Mandantis.

Ex digestis, seu Pandectis: L. 7. §. 4. sed cum ff. de pactis; hoc est lege septima paragrapho quarto incipiente: sed cum in digestis, seu Pandectis sub titulo de pactis.

Ex Codice, l. Creditor c. de usuris; idest lege, quae incipit Creditor in Codice sub titulo de usuris.

Ex Novellis, seu Authenticis. Authenticum, seu volumen novellarum constitutionum olim citabatur allega-

Digitized by Google

ta collatione, titulo, & capite, v. gr.: in Auth. de nuptiis col.4. c. 1. duo igitur; hoc est in Authentico, cujus titulus est de nuptiis collatione quarta capite primo incipiente duo igitur; hodie autem brevius allegato numero Novellae, & capite v. gr. Nov. 22. c. 1. idest Novella vigesima secunda capite primo.

Ex libris feudalibus lib. 1. f. tit.7. c. un.; hoc est in libro primo feudorum titulo septimo capite unico.

CAPUT II.

De auctore legum humanarum.

SUMMARIA

1. *Sine legibus pax, & tranquillitas in Republica esse non potest.*
2. *Non a quolibet privato, sed a communitate ipsa, vel ab eo, qui communitati praeest, ferendae sunt leges.*
3. *Melius est leges condi a superiore communitatis, quam omnia judicum arbitrio permittere.*

1. Quum nulla societas, imperium nullum, nulla respublica diutius sine legibus consistere possit (1), consequitur leges humanas necessarias esse ad pacem, & tranquillitatem Reipublicae, non quidem simpliciter, & absolute, sed attenta hominum pervicacia, & pronitate in malum: *Factae sunt*, inquit Isidorus (2), *leges, ut earum metu humana coërceretur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia; & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi libertas*. Et Aristoteles: *homo, si fiat*, (3) inquit, *a lege alienus, & a judiciis, pessimum est omnium animalium*. Et sane *remota justitia*, inquiebat Augustinus, *quid sunt regna, nisi magna latrocinia*? Sublatis ergo legibus omnia vitia grassabuntur homicidia, adulteria, oppressiones in totalem Reipublicae perniciem, & eversionem.

(1) *Proemio Instit. in princ.*

(2) *Lib. 5. ethimol. cap. 20. verba Isidori referuntur in cap. 1. dist. 4.*

(3) *Lib. 1. polit. cap. 2.*

2. Leges humanas non a quolibet privato, sed a communitate ipsa, vel ab eo, qui curam habet communitatis, sanciendas esse res evidens est. Enim vero leges latae esse debent ad bonum publicum, ergo ab eo solo ferri possunt, qui bono publico, & communi prospicere debet; porro communitatis est, vel illius, qui curam habet communitatis, ut bonum publicum procuret.

3. Disputant plures, an melius sit leges universales condi ab eo, qui communitati praeest, an omnia judicum arbitrio permittere; cui quaestioni respondet s. Thomas (1) hisce verbis: „ melius est, *inquit*, omnia „ ordinari lege quam dimittere arbi- „ trio, & hoc propter tria, primo „ quidem quia facilius est invenire „ paucos sapientes, qui sufficiant ad „ rectas leges ponendas, quam mul- „ tos, qui requirerentur ad recte

Digitized by Google

„ judicandum de singulis. Secundo „ quia illi, qui leges ponunt ex multo „ tempore (*idest ex multi temporis* „ *experientia*) considerant, quid le„ ge ferendum sit, sed judicia de „ singularibus factis fiunt ex casibus „ subito exortis. Facilius autem ex „ multis consideratis potest homo vi„ dere, quid rectum sit, quam so„ lum ex aliquo uno facto. Tertio „ quia legislatores judicant in uni„ versali, & de futuris, sed homi„ nes judicio praesidentes judicant „ de praesentibus, ad quae afficiun„ tur amore, vel odio, aut aliqua „ cupiditate, & sic eorum depra„ vatur judicium." Ex quibus s.Doctor concludit necessarium fuisse in quibuscumque fieri potuerit „ lege de„ terminare, quid judicandum sit, „ & paucissima judicantium arbitrio „ committere."

(1) 1. 2. *q.* 95. *art.* 1. *ad* 2.

Quoniam leges humanae in duplici sunt differentia, ut jam observatum est, aliae scilicet ecclesiasticae, civiles aliae; agendum, 1.° de auctore legum ecclesiasticarum, subinde de auctore civilium legum disputaturi, ostendentes praesertim adversus Lutherum (1), & Calvinum (2) inesse hominibus legum ferendarum potestatem.

(1) In libro de captivitate Babylonica: *clamo fidenter Christianis nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt: liberi enim sumus ab omnibus.*

(2) In lib. 4. instit. cap. 10. §.5., & 8., ubi docet Deum esse *unicum legislatorem, nec licere hominibus id honoris sumere.*

ARTICULUS I.

De auctore legum ecclesiasticarum.

SUMMARIA

1. *Inest Superioribus ecclesiasticis potestas ferendi leges.*
2. *Primum argumentum ex Apostolorum agendi ratione.*
3. *Secundum ex Ecclesiae praxi.*
4. *Tertium ex ratione.*
5. *Objectiones proponuntur.*
6. *Respondetur primae objectioni.*
7. *Respondetur secundae.*
8. *Respondetur tertiae.*
9. *Respondetur quartae.*
10. *Gaudent summi Pontifices potestate leges ferendi: primum argumentum ex S. litteris.*
11. *Secundum ex ratione.*
12. *Episcopi leges ferre possunt.*
13. *A quo Episcopi potestatem immediate habeant, an a Christo, an a summo Pontifice. Argumenta eorum, qui eam a Pontifice repetunt.*
14. *Argumenta eorum, qui immediate a Christo eam potestatem manare volunt.*
15. *Non est, cur nostram sententiam aperiamus.*
16. *Non possunt Episcopi, & alii Praelati Papa inferiores leges constituere juri communi contrarias.*

Digitized by Google

17. *Concilia generalia leges condere possunt.*
18. *Concilia pariter nationalia leges condere possunt.*
19. *Competit legatis Pontificiis potestas leges ferendi.*
20. *Competit pariter Abbatibus, si jurisdictionem quasi Episcopalem habeant.*
21. *Capitulum sede vacante gaudet potestate ferendi leges.*
22. *Decreta S. Congregationis ex se vim legis non habent.*
23. *Objectio solvitur.*
24. *Quandonam fides habenda sit decretis Sacrae Congregationis.*
25. *Decreta S. Congregationis vim legis nanciscuntur, si a summo Pontifice approbata publicentur.*
26. *Decisiones Rotae Romanae vim legis non sortiuntur.*
27. *Regulae Cancellariae ubique vim legis non habent.*
28. *Ordines regularium leges ferre possunt pro toto ordine, si hanc a Pontifice potestatem acceperint.*

1. Inesse Superioribus Ecclesiasticis potestatem ferendi leges contra Lutherum, & Calvinum facile ostendi potest; & primo quidem ex constanti totius Ecclesiae agendi ratione. Apostoli enim in concilio Hyerosolimitano, ut narrat scriptura (1), legem ediderunt, qua gentes nuper ad fidem conversae jussae sunt a suffocato, & ab immolatis simulacrorum abstinere, quae lex vere praeceptiva est, non directiva tantum, ut patet ex iis verbis: *visum est Spiritui S., & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria*, ut quid enim imponeretur, ut onus necessarium, si de consilio, non de praecepto ageretur? Hinc ibidem subditur de Paulo, *qui perambulabat.... praecipiens custodire praecepta Apostolorum*; immo (2) non solum aliorum praecepta servanda jubebat, sed legem ipse condidit, qua cavit, ne bigami, & neophiti ad Episcopatum assumerentur. Quare Tridentinum (3) anathema pronuntiat adversus eos, qui docuerint homines justificatos non teneri ad observanda mandata Dei, & Ecclesiae.

(1) *Act.* 15. *v.* 29.
(2) 1. *ad Thimot.* 3. *& ad Titum* 1.
(3) *Ses.* 6. *can.* 20.

3. Eandem potestatem, qua Apostoli usi sunt, semper, & quocumque tempore sibi vindicavit Ecclesia, diversasque leges pro diversis temporum adjunctis condidit, quas venerati sunt omnes fideles, summisque obsequiis exceperunt; sic jejunium quadragesimale indixit, & communionem paschali tempore peragendam poenis adnexis, quibus legis violatores gravissime mulctarentur.

4. Id ipsum ratione pariter evincitur. In omni bene ordinata Republica necessaria est legislativa potestas, qua ea praecipiantur, quae quibusvis temporibus necessaria, vel opportuna publicae utilitati sunt; est autem Ecclesia bene ordinata Respu-

Alasia O

blica; ergo in ea esse debet potestas ferendi leges.

5. Objicies. *Non addetis* (1) *ad verbum, quod loquor vobis, neque minuetis ex eo, custodite mandata domini Dei vestri*; & alio loco (2): *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, vel minuas*; Superiores Ecclesiastici igitur addunt aliquid divino verbo, dum leges ferunt. Hinc Christus (3) conqueritur, quod leges ferrent his verbis: *Sine caussa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum*; unde (4) mandavit Apostolis, ut nonnisi propria mandata docerent: *Ite*, inquit, *in mundum universum ..... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis*; quare nihil mirum, si Jacobus scripserit (5) unum esse legislatorem, & judicem, *qui potest liberare, & perdere*.

(1) *Deut. cap.* 4. *v.* 2.

(2) *Deut. cap.* 12. *v. ultimo*.

(3) *Matth.* 15. *v.* 9.

(4) *Matth.* 28. *v.* 20.

(6) *Cap.* 4. *v.* 12.

6. ℟. Ad primum, Deum praecepisse, ut nihil adderetur suo verbo ex caeremoniis Ægyptiorum, inter quos Hebraei vivebant, ut patet ex his Deuter. verbis antecedentibus: *Quando disperdiderit dominus Deus ante faciem tuam gentes, atque habitatores in terra earum, cave ne imiteris eas, & requiras caeremonias earum dicens: sicut coluerunt gentes istae Deos suos, ita & ego colam, non facies similiter domino Deo tuo; omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis offerentes filios, & filias, & comburentes igni; quod praecipio tibi, hoc tantum facito Domino, ne addas quidquam, vel minuas*. Hinc in libris Judith (1), Esther (2), & Machabeorum (3) plures dies festos ab Hebraeis institutos legimus, qui certe instituti non essent, si praeter divina mandata aliae leges condi non potuissent.

(1) *Cap.* 16.

(2) *Cap.* 9.

(3) *Lib.* 1. *cap.* 4.

7. ℟. Ad secundum, conqueri Christum, quod plures traditiones divinis mandatis contrariae proponerentur, ut patet ex his (1), eodem in loco, qui nobis objicitur, verbis: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras*: excluduntur ergo traditiones falsae, & mandatis Dei contrariae, non vero praecepta ecclesiastica, quae consona sunt legi divinae.

(1) *V.* 6.

8. ℟. Ad tertium, praecepisse Apostolis Christum, ut docerent gentes non sufficere ad salutem obtinendam fidem, & baptismum, sed praeterea observanda esse divina mandata, inter quae illud etiam numeratur, ut qui Ecclesiam non audierit (1) sit habendus, tamquam ethnicus, & publicanus.

(1) *Math.* 18. *v.* 17.

9. ℟. Ad quartum, Jacobum nihil aliud sibi velle, quam unum admit-

Digitized by Google

tendum esse supremum legislatorem, & judicem, qui pro meritis *possit liberare*, & *perdere*, eo ferme modo, quo licet penes Matthaeum (1) dicatur *unus est pater vester & magister vester*, *qui in caelis est*; alii tamen patres, & magistri ab eo principali dependentes non excluduntur; ita licet unus dicatur Legislator & judex; alii tamen Legislatores, & judices principali subordinati, & inferiores non amoventur.

(1) *Cap.* 23. *v.* 9.

Objicies secundo. Christus sufficienter providit Ecclesiae suae, ergo superfluae sunt leges humanae.

℟. Christum pro eo tempore, quo vivebat, satis providisse Ecclesiae suae; verum necessarium erat, ut Ecclesiae relinqueret potestatem ea statuendi, quae utilitati spirituali conservandae essent necessaria; omnibus enim notum est plurima esse, quae pro locorum, aut temporum diversitate mutari, ac aliter constitui debeant.

Vidimus Superioribus Ecclesiasticis potestatem inesse ferendi leges; videndum nunc, in quibusnam Superioribus Ecclesiasticis haec resideat potestas.

An in summis Pontificibus insit potestas ferendi leges.

10. ℟. Affirmative; id constat, 1.° ex sacris litteris: Christus enim (1) ait Petro: *Tu es Petrus*, *& super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, *& tibi dabo claves regni caelorum*, *quodcumque ligaveris super terram*, *erit ligatum & in caelis*, *& quodcumque solveris super terram*, *erit solutum & in caelis*; quemadmodum igitur super fundamentum totum construitur aedificium; ita Petro tamquam Ecclesiae capiti, ejusque successoribus totius Ecclesiae gubernatio commissa est, seu spiritualis jurisdictio, & gubernativa potestas per claves significata; atqui praecipuum regiminis, seu gubernationis vinculum sunt leges, ergo summus Pontifex leges ferre potest. Hinc Adrianus Papa (2) ad illa verba: *Tibi dabo*, scripsit, *ab ipso redemptore mundi B. Petro Apostolo Principatus*, *& potestas data est*, *& per eumdem Apostolum catholica*, *& Apostolica Romana usque hactehus continet principatum*, *& potestatis auctoritatem*: hanc eamdem legislativam potestatem Christus confirmavit Petro, cum ipsi commisit (3), ut oves suas pasceret: *pasce oves meas*; his autem verbis significari potestatem imperandi, & gubernandi constat ex sacra scriptura a simili, quum dominus (4) ait Davidi: *tu pasces populum meum Israël*, quibus verbis significatur in Davide potestas imperandi, & gubernandi populum Israëliticum.

(1) *Matth.* 16. *v.* 18.

(2) *In epistola ad Imperatorem relata in* 7. *Synodo act.* 2.

(3) *Joann. cap.* 21. *v.* 17.

(4) *Secundo Regum cap.* 5. *v.* 2.

11. Id secundo constat ex constanti, & perpetua Ecclesiae traditione;

Digitized by Google

sic saeculo secundo Victor Papa per legem determinavit tempus celebrandi paschatis; nec opus est alia exempla Pontificum leges condentium pro necessitate, vel utilitate Ecclesiarum afferre; quum id a nemine negari possit, qui aliquantisper sit versatus in historia Ecclesiastica.

An Episcopi leges ferre possint.

12. ℟. Olim Episcopi electi, & confirmati, licet nondum consecrati, & licet nondum expeditae fuerint litterae provisionis, poterant actus jurisdictionis exercere; ideoque & leges ferre (1), at postmodum ipsis fuit prohibitum (2); unde etiamsi electi, & confirmati fuerint, non possunt amplius, ullum jurisdictionis actum exercere, nisi litteris Apostolicis expeditis, iisque, quibus de jure, exhibitis; quum sine iis nec recipi, nec admitti possint, ut Episcopi (3). Idque sanxerunt etiam Alexander V., & Julius II. (4).

(1) *Cap. Transmissam* 15. *de electione*.

(2) *Extrav.* 1. *injunctae de electione inter comm.*

(3) *Cap. citato injunctae*.

(4) *Sua constitut.* 21. *julii* 1505.

An Episcopi potestatem jurisdictionis accipiant immediate a Christo, an vero a summo Pontifice.

13. ℟. Dissident inter se Theologi, an potestatem jurisdictionis (potestatem enim ordinis habent Episcopi immediate a Christo domino) accipiant immediate a Christo, an potius a summo Pontifice. Qui affirmant hanc potestatem esse immediate a s. Pontifice, probant auctoritate Gregorii (1), qui inquit: *Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non plenitudinem potestatis*; tum etiam auctoritate s. Leonis magni, qui ad Episcopos Viennensis provinciae (2) *sic scribit*: *hujus muneris sacramentum ita dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet*; tum demum ratione, quia ratio regiminis videtur expostulare, ut tota jurisdictio resideat in ejusdem Ecclesiae visibili capite Romano scilicet Pontifice, & sic ab eo in alios descendat, ut sic firmior, & solidior esset omnium cum illo nexus, & melius conservaretur unitas Ecclesiae. Unde s. Thomas (3) loquens de Christi promissione Petro facta inquit: „ soli promisit: tibi dabo claves „ regni caelorum, ut ostenderetur „ potestas clavium per eum ad alios „ derivanda ad conservandam eccle- „ siae unitatem.

(1) *In can. Decreto caussa* 2. *dist.* 6.

(2) *Epistola in nova editione* 10.

(3) *Lib.* 4. *contra Gentes c.* 76. *num.* 4.

14. Qui autem negant, hoc solido argumento utuntur. Episcopi sunt Apostolorum successores, unde ad Episcopos quoque pertinent haec ver-

Digitized by Google

ba scripturae (1): *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Si Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, cum potestas regendi includat potestatem jurisdictionis, jam haec potestas immediate erit a Spiritu S. concessa.

(1) *Actor.* 20. *v.* 28.

Profecto si adversarii, inquiunt isti, ex his Christi verbis: *tibi dabo claves regni caelorum* (1): *pasce agnos meos* (2) colligunt immediatam a Christo summi Pontificis potestatem; eodem ratiocinio ex his Christi verbis: *Quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis* (3). *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos* (4) immediatam pariter a Christo Episcoporum potestatem colligere debent. Hanc potestatem missis Ss. Patrum testimoniis Pontifices in Episcopis ingenue confessi sunt. Etenim Gregorius III. ita alloquitur Episcopos (5): *Populum vobis a Deo commissum piis admonitionibus edoceatis.* Leo IV. ad Episcopos Britanniae. *Gregem vobis a Domino commissum pascitis*. Demum Gelasius II. ad Galliarum Episcopos scribens (6): *Libenter acquiescimus .... fratrum nostrorum judicio, qui a Deo sunt judices in Ecclesia constituti*.

(1) *Matth.* 16. *v.* 19.
(2) *Joann.* 21. *v.* 15.
(3) *Matth.* 18. *v.* 18. *Joan.* 20. *v.* 23.
(4) *Joan.* 20. *v.* 21.
(5) *Ep.* 4. *ad Episcopos Germaniae.*
(6) *Ep.* 1.

15. Non est cur in hac re nostram aperiamus sententiam. Nam quaestio haec pro praxi parvi momenti est; quia & ii Theologi, qui dicunt Episcopos hanc potestatem immediate habere a Christo, docent etiam eam accipere cum dependentia ad summum Pontificem, qui potest leges ab Episcopis latas justis de caussis abrogare; qui autem sentiunt Episcopos immediate suam potestatem recipere a summo Pontifice, dicunt Episcopos posse ferre leges absque ejus licentia, modo non repugnent legibus pontificiis, & modo leges non ferant in iis, quae sunt reservata summo Pontifici.

16. An Episcopi, & alii Praelati Papa inferiores possint ferre leges juri communi Pontificio contrarias.

℟. Non posse, resistente ipso jure communi (1), & naturali; inferior enim nullam habet jurisdictionem in superiorem; ideoque ejus legem nullo modo infringere potest.

(1) Can. 7. c. 25. q. 2., & cap. 9. de maj., & obed. *dummodo in ipsa synodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obviet institutis.*

An Concilia possint ferre leges.

17. ℟. Primo Concilia generalia leges ferre posse pro toto orbe; nam ex supra probatis inest Ecclesiae rectoribus, seu Ecclesiae potestas ferendi leges; atqui concilia oecumenica, seu generalia repraesentant totam Ecclesiam, ergo &c.

18. ℟. Secundo. Concilia nationalia, sive provincialia, sive dioecesana

Digitized by Google

leges ferre poſſe; ſi enim Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſigillatim ſumpti poſſunt leges ferre; a fortiori poterunt Epiſcopi in unum congregati; unde nationale pro tota natione, provinciale pro provincia, dioeceſanum pro dioeceſi leges ſancire poterit.

Quid, ſi concilium nationale, provinciale, vel dioeceſanum fuerit a ſummo Pontifice approbatum, ejus leges obligabuntne totam Eccleſiam?

℟. Tunc ſolum totam Eccleſiam obligare, quando praedictorum conciliorum decreta fuerint clauſa in corpore juris communis, vel expreſſe Pontifex illa extendat ad totam Eccleſiam (n. 10.); quo in caſu ejuſmodi decreta erunt in univerſa eccleſia promulganda; alioquin nonniſi nationem, vel provinciam, vel dioeceſim obligabunt.

19. An legati Pontificii leges condere poſſint.

℟. Legatos leges ferre poſſe, quae duraturae ſunt uſque dum eae abrogentur, etiamſi Legati juriſdictio fuerit extincta per ejus egreſſum e provincia; & in hac re habetur expreſſa deciſio Gregorii IX. (1), qui ait: *Nemini dubium eſſe volumus, quin Legatorum ſedis Apoſtolicae ſtatuta, édita in provincia ſibi commiſſa durent tamquam perpetua, licet ab eadem poſtmodum ſint egreſſi.*

(1) *In cap. ult. de officio legati.*

20. An Abbatibus competat facultas leges condendi.

℟. Abbatibus hanc facultatem competere pro tota Abbatia, modo juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, quia juriſdictioni poteſtas legiſlativa annexa eſt.

21. An Capitulum poteſtate gaudeat leges inſtituendi.

℟. Capitulum Eccleſiae cathedralis, non collegiatae, mortuo Epiſcopo poſſe leges condere totam obligantes dioeceſim; nam Capitulum ex Tridentino (1) ſuccedit in juriſdictionem Epiſcopi; ergo non ſecus, ac Epiſcopus leges condere poterit; immo etiam revocare, quae a defuncto Epiſcopo latae ſunt, ſicuti Epiſcopus ſucceſſor anteceſſoris ſui leges abrogare poterit.

(1) *Seſ.* 24. *cap.* 16.

Dixi mortuo Epiſcopo, nam eo vivente, quum nullam habeat juriſdictionem, nullas quoque leges ſancire poteſt; poterit tamen ſtatuta quaedam ad ſemetipſum pertinentia condere, quae ſingulos Canonicos obligabunt; id tum ex uſu, tum ex eo, quod capitulum poteſt conſiderari, ut communitas ſatis perfecta, quae legibus ſe poterit gubernare.

22. An decreta ſacrae Congregationis vim legis habeant.

℟. Decreta ſacrae Congregationis proprie non habere vim legis, quum ſint legis jam conditae, & in Eccleſia vigentis interpretationes, magni tamen momenti ſunt, & ſummo in pretio ſunt habenda, &, ſi ſint a ſummo Pontifice confirmata, non tantum jus inter partes facient, ſed generalis legis vim habebunt in ca-

Google

sibus similibus, quum per illa decreta summus Pontifex dubiam legem interpretetur. Ut enim scite ajebat Justinianus (1): „ si Imperialis Majestas caussam cognitionaliter examinaverit, & partibus cominus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino judices, qui sub nostro imperio sunt, sciant, hanc esse legem, non solum illi caussae, pro qua producta est, sed & omnibus similibus. Quid enim majus, quid sanctius Imperiali est Majestate, vel quis tantae superbiae fastigio tumidus est, ut Regalem sensum contemnat. " Si autem non accedat summi Pontificis confirmatio, facient quidem jus inter partes, sed generalis legis vim non habebunt. „ Quae enim ex relationibus, vel suggestionibus judicantium (2), vel consultatione in commune florentissimorum sacri nostri palatii procerum auditorium introducto negotio statuimus, vel quibuslibet, aut legatis, aut provinciae, vel civitati, vel curiae donavimus: nec generalia jura sint, sed leges faciunt his dumtaxat negotiis, atque personis, pro quibus fuerint promulgata, nec ab aliquo retractentur.

(1) *L. ult. cod. de leg. & const.*

(2) *L. 2. cod. eodem tit.*

23. Quod si objicias a Sixto V. (1) Congregationi Cardinalium datam fuisse facultatem Tridentini concilii decreta interpretandi in iis, quae de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & ecclesiasticis judiciis, aliisque hujusmodi statuta sunt, respondetur hoc probare quidem decreta S. Congregationis summo in pretio habenda esse, & jus inter partes facere, neutiquam vero vim legis habere, sicuti judicum supremorum decisiones quibusdam in provinciis jus quidem constituunt inter partes, non vero legis vim sortiuntur, nisi id expresse a Principe statutum fuerit, prout penes nos cautum fuit (2). Quamvis autem laudata decreta magno in pretio sint habenda, si tamen obstarent particularibus locorum consuetudinibus pie, & laudabiliter introductis, non erunt ad praxim redigenda, nec necessario observanda; si enim constitutio Pontificia non censetur derogare iisdem consuetudinibus, nisi id sufficienter exprimat (3); quanto minus decreta S. Congregationis.

(1) *Const. Immensa* 11. *kal. februarii* 1587.

(2) *R. constit. lib.* 3. *tit.* 22. §. 15.

(3) *Cap.* 1. *de const. in* 6.

24. Decretis S. Congregationis fides non erit habenda, nisi proponantur *in forma authentica solito sigillo, & subscriptione eminentissimi Cardinalis Praefecti, ac secretarii ejusdem congregationis pro tempore existentium munita*. Ex decretis Sacrae Congregationis concilii die 11. augusti 1631., & Sacrae Congregationis rituum die 11. augusti 1632. ab Urbano VIII. approbatis. Si tamen hujusmodi decreta afferantur a

Digitized by Google

viris probatae fidei, non est cur fides iis denegetur. Urbanus enim VIII. censetur illa voluisse repudiare decreta, quae vel non inveniuntur penes probatos auctores, vel ex alio capite de eorumdem veritate probabilis ratio dubitandi subest.

25. Quod si decreta Sacrae Congregationis sint extensiva, quae textum ampliant, vel restrictiva, quae generalitatem textus restringunt, vel novum jus condant, si ea summus Pontifex ad examen vocaverit, specialiter approbaverit, & promulgari jusserit, tum legis vim habebunt; in hoc enim casu nihil ad legis essentiam deest. Exemplo in hac re esse possunt decreta de regularibus apostatis, & ejectis, de celebratione missarum, & similia, tum ea decreta, quibus damnatae fuerunt propositiones laxae, quae, postquam fuerunt a Sacra Congregatione examinatae, & damnatae, summus Pontifex eas quoque damnavit, earumque damnationem promulgari jussit ad universae Ecclesiae utilitatem. Quod dictum est de responsis Sacrae Congregationis Concilii, id proportionaliter tenendum est de declarationibus aliarum S. Congregationum, ut Immunitatis, Indicis, super negotiis Episcoporum, & Regg.

26. An decisiones Rotae Romanae, seu summi Tribunalis Apostolici habeant vim legis.

℞. Non habere, quia Rota nulla gaudet a Pontifice potestate leges condendi, vel authentice interpretandi; ejus tamen decisiones magnae sunt auctoritatis, & praeferendae opinionibus aliorum doctorum, & inter partes jus constituunt. Quod si inter se sint contrariae, posterior derogat priori (1).

(1) *Argumento l. Sed & posteriores ff. de legibus, & l. fin. ff. de constit. princ.*

27. An regulae Cancellariae habeant vim legis.

℞. Regulas Cancellariae, sic dictas a Cancellario, qui iis tamquam regulis uti debet, esse certas ordinationes Pontificias potissimum circa caussas beneficiales, & judiciales.

Duo sunt in hisce regulis notanda, primum, quod mortuo Pontifice statim expirent, & novo electo statim obligent ante promulgationem: secundum, quod nisi fiat specialis, & expressa mentio de illis, per clausulas generales iis non derogetur ex reg. 71.

℞. Regulae Cancellariae non ubique, & in omnibus vim legis habent, sed id pendet ex concordatis, vel ex modo, quo fuerunt receptae; quamnam vim penes nos habeant hujusmodi regulae, traditur in tractatu de beneficiis.

28. An ordines regularium leges ferre possint.

℞. Ordines regularium nullas leges facere posse absque concessione summi Pontificis; quum enim ordines regularium habeant summum Pontificem caput suum, non possunt absque eo ullas leges condere; at a summo

Digitized by Google

Pontifice collatam fuiſſe poteſtatem condendi leges ad eorumdem inſtitutum accommodatas patet ex uſu, & conſuetudine. An vero haec poteſtas ſit penes ſupremum Praelatum, vel Capitulum, vel congregationem generalem, definiendum erit ex ſtatutis eorumdem a ſummo Pontifice approbatis.

ARTICULUS II.

De auctore legum civilium.

SUMMARIA

1. *Eſt in principibus ſecularibus poteſtas ferendi leges.*
2. *Objectiones referuntur.*
3. *Reſpondetur primae.*
4. *Reſpondetur ſecundae.*
5. *An Regina vivente marito facultatem habeat condendi leges.*
6. *An obediendum Superioribus dyſcolis, cum diſtinctione reſpondetur.*
7. *Obſervandae ſunt leges Tyranni regnum pacifice poſſidentis.*
8. *Privatus propria auctoritate tyrannum occidere non poteſt.*

1. Vidimus articulo antecedenti ſummam ineſſe Superioribus Eccleſiaſticis poteſtatem condendi leges, rectus nunc ordo poſtulat, ut eamdem poteſtatem in principibus ſecularibus vindicemus. Clara autem ſunt in hac re teſtimonia ſacrae ſcripturae, quae omnem dubitationem tollunt. Petrus (1) inquit: *Subditi eſtote omni creaturae propter Deum, ſive Regi tamquam praecellenti, ſive ducibus tamquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei*; & Paulus (2) ita ſcribit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim poteſtas, niſi a Deo .... itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

(1) *Epiſt.* 1. *cap.* 2.
(2) *Ad Rom.* 13. *v.* 1.

2 Objicies: Apoſtolus (1) ait: *Pretio emti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*; & Chriſtus apud Lucam (2) inquit: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, vos autem non ſic*; ſi vero Principes leges ferre poſſent, jam dominarentur, quumque vera lex ſubditi obedientiam importet, ſervi hominum eſſemus, quod citatis textibus repugnat.

(1) 1. *Ad Corinth. cap.* 7. *v.* 23.
(2) *Cap.* 22. *v.* 25.

3. ℟. Ad primum, Apoſtolum in epiſtola ad Corinth. nihil aliud contendere, quam, ut nos, utpote ſanguine Chriſti redempti, in hominibus fiduciam noſtram non collocemus, neque ita eis pareamus, ut quae Chriſto ſervitutis officia exhibere tenemur, omittamus. Paucis, ut plus Deo, quam hominibus obediamus. Caeterum Apoſtolus ſexcentis in locis inculcat fidelibus, ut principibus obediant: *Obedite praepoſitis veſtris*, inquit, *et ſubjacete eis* (1): *omnis ani-*

ma potestatibus sublimioribus subdita sit (2).

(1) *Ad Heb. cap.* 13. *v.* 17.

(2) *Ad Rom. cap.* 13. *v.* 1.

4. ℟. Ad secundum, Christum iis verbis Apostolos, eorumque successores allocutum fuisse, quibus, quatenus Ecclesiae praesunt, prohibet dominari cum fastu, & potentiae ostentatione, ut facere solent Principes terrae. Quod si contendas etiam de Christianis Principibus intelligenda esse, tunc dicendum, quod non potestas leges ferendi ipsis auferatur, sed ne leges ob proprium tantum commodum, & utilitatem (quemadmodum non paucis ethnicis Regibus in more tunc positum erat), sed ad publicum bonum, felicitatemque promovendam condant.

5. An Regina vivente marito condere leges queat.

℟. Reginam regni haeredem, si jus regni in virum non transtulerit modo legitimo, posse leges condere; sicut enim ipsa praeest regno, ita gaudet potestate leges condendi, quam quidem potestatem non transtulit in maritum per matrimonium (immo juxta plures nec transferre potest absque populi consensu), quum vi ejusdem dotem quidem marito, usum sui corporis, subjectionem in ordine ad domus, & familiae gubernationem, debeat, secus vero regni haereditatem.

6. An obediendum sit Superioribus dyscolis, maxime tyrannis.

℟. Vel isti Superiores sunt Tyranni sola administratione, vel titulo. Ii vero dicuntur Tyranni sola administratione, cum perperam administrant Rempublicam, nec bonum publicum, & commune procurant, sed proprium. Dicuntur autem Tyranni titulo, quum scilicet titulum regnandi non habent; & isti postremi sunt in duplici differentia; vel enim per violentiam regnum sibi usurpare conantur repugnantibus legitimis possessoribus; vel, si jam per violentiam illud usurpaverint, nondum pacifice illo fruuntur.

Si Tyranni sunt administratione, atque ea, quae praecipiunt, non possint praestari absque peccato: *Non solum aliquis iis non tenetur obedire, sed etiam tenetur non obedire: sicut et sancti Martyres mortem passi sunt, ne imperiis Tyrannorum obedirent*. Verba sunt D. Thomae (1). At si hujusmodi leges bonum publicum procurent, tunc omnino ipsis erit parendum; neque enim ex eo quod isti Superiores, & Tyranni leges ferant saepe saepius adversas juri naturali, vel divino, ideoque male regnum administrent, inde sequitur, quod jus amittant ferendi leges. Iste enim error erat Wiclefi damnatus in concilio Constantiensi (2); aliunde vero D. Petrus aperte ait (3): *subditi estote Dominis non tantum bonis, sed etiam dyscolis*.

(1) *In secundum sent. dist.* 44. *q.* 2.

(2) *Sess.* 8.

(3) *Ep.* 1. *cap.* 2. *v.* 18.

Si vero Superiores Tyranni sint

titulo, tunc non est ipsis obediendum, quia vere superiores non sunt, nec ullum habent jus dominandi, vel praecipiendi, sive ex iis sint, qui per violentiam dominatum usurpare conentur, sive jam usurpato per violentiam dominatu, nondum illo pacifice utantur; eo quod superiores vere effecti non sint, vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem Superioris. Haec omnia fluunt ex doctrina D. Thomae (1).

(1) *Cit. loco in secundum sent. dist.* 44. *q.* 2.

7. Quid, si hic Tyrannus pacifice regnum possideat, eruntne ejus leges observandae?

℟. Observandas esse, modo verae leges sint bono publico prospicientes. Respublica enim, pro eo tempore, quo Tyrannus pacifice regno potitur, censetur ei conferre potestatem leges condendi ad vitanda gravissima incommoda, quae inde orirentur; ut enim superius vidimus, sine legibus Respublica consistere non potest. Unde quamvis Respublica per vim consentiat in ejus tyrannidem, quia tamen necessario indiget legibus, quibus dirigatur, vult pro eo tempore, quo Tyrannum expellere non potest, ei conferre potestatem ea omnia peragendi, quae bono publico sunt necessaria.

8. Non erit tamen in potestate cujuslibet privati occidere hunc Tyrannum, *quia privare aliquem vita* (1) *in nullo casu pertinet ad aliquem, nisi ad publicam potestatem, cui committitur procuratio boni communis.* Ille ergo solum hoc casu Tyrannum occidere poterit, qui a legitimo Principe, vel a Republica fuerit constitutus.

(1) *S.Thomas* 2. 2. *q.*65. *art.*1. *ad* 2.

CAPUT III.

De objecto legis humanae.

SUMMARIA

1. *Exponitur series rerum tractandarum.*

1. Caput hoc in quinque articulos dividimus, in quorum primo agemus de natura utriusque potestatis ecclesiasticae, & civilis. In secundo regulas proponemus ad eliminandas quaestiones inter utramque potestatem. In tertio expendemus connexionem, quae necessario existere debet inter unam, & alteram potestatem. In quarto videbimus, quaenam Ecclesiae competat potestas in actus interiores. Demum in quinto investigabimus, an lex humana extendatur ad actus praeteritos; an ad omnes actus futuros.

ARTICULUS I.

De natura utriusque potestatis Ecclesiasticae, & civilis.

SUMMARIA

1. *Duplex est potestas, spiritualis in Ecclesiasticis, temporalis in secularibus Superioribus admittenda.*

Digitized by Google

2. *Principes Ecclesiastici de rebus spiritualibus, seculares de temporalibus solum leges condere possunt.*
3. *Utraque potestas in suo ordine absoluta est, & independens.*
4. *In materia civili civilibus, Ecclesiastica Ecclesiasticis legibus standum.*
5. *Utraque potestas suum proprium gladium habet.*
6. *Principes seculares nullum habent jus in sacra, neque in exteriorem Ecclesiae disciplinam.*
7. *Primum argumentum ex s. litteris.*
8. *Secundum ex summis Pontificibus.*
9. *Tertium ex testimoniis Imperatorum.*
10. *Quartum ex concilio Chalcedonensi.*
11. *Quintum ex Patribus.*
12. *Sextum ex ratione.*
13. *Proponuntur objectiones.*
14. ℟. *In genere primo argumento petito ex veteri testamento.*
15. ℟. *Singulis; & primo argumento ducto ex Melchisedecho.*
16. ℟. *Argumento petito ex sinagoga.*
17. ℟. *Argumento ex Salomone.*
18. ℟. *Argumento ex Abiathare.*
19. ℟. *Argumento ex Ezechia.*
20. ℟. *Argumento ex Josaphato.*
21. *Proponuntur objectiones ex Apostolo Paulo, & Optato Milevitano.*
22. ℟. *Argumento ex Apostolo.*
23. ℟. *Argumento ex Optato Milevitano.*
24. *Proponuntur argumenta ex ratione.*
25. ℟. *Primo argumento.*
26. ℟. *Secundo.*
27. *Proponitur alia objectio, & simul respondetur.*
28. *Proponuntur objectiones adversus secundam partem propositionis; prima autem ducitur ex Justiniano.*
29. ℟. *Huic objectioni.*
30. *Proponitur alia objectio ex Capitularibus Francorum.*
31. ℟. *Huic objectioni.*
32. *Proponitur objectio ex ratione.*
33. ℟ *Huic objectioni.*

1. Quum duplex sit lex. humana, Ecclesiastica nempe, & civilis, hinc duplex erit potestas, temporalis una, spiritualis altera; illa in Principibus seculi, haec in Ecclesiarum Antistitibus residet. *Duo quippe sunt*, ait Gelasius (1), *Imperator Auguste, quibus mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas*; ideoque primae potestatis objectum, & finis erit temporalis hominum felicitas, secundae spiritualis animae salus, seu supernaturalis felicitas; unde Symmachus (2) comparans Imperatorem cum Sacerdote sic concludit: *Postremo tu Imperator humana administras, ille tibi divina dispensat.*

(1) *In epist. ad Anastasium Imperatorem.*

(2) *In apol. adversus Anastasium.*

COROLLARIUM I.

2. Ergo quum objecta utriusque potestatis, Ecclesiasticae nempe, & ci-

vilis sint diversa; disparatae, & diversae erunt utriusque facultates; ita ut sicut Principes seculares non possunt condere leges, nisi de rebus temporalibus ad felicitatem temporalem conducentibus; ita Principes Ecclesiastici nonnisi de rebus spiritualibus, & ad animae salutem tendentibus leges sancire poterunt. *Christus*, inquit Gelasius (1), *memor fragilitatis humanae, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officiis potestatis utriusque* (temporalis, & Ecclesiasticae) *discrevit ....., ut & Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum temporalibus dispositionibus uterentur: quatenus spiritualis actio, a carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minime se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus divinis praesidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus, ut & modestia utriusque ordinis curaretur &c., & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.*

(1) *Testimonium hoc refertur tomo 5. concil. p.368. ex tractatu de anath.*

COROLLARIUM II.

3. Ergo utraque potestas civilis, & Ecclesiastica *in suo ordine* absoluta, & independens ab alia est; adeout sicuti Principes Ecclesiastici in suis legibus, quas condunt, animae salutem respicientibus, nonnisi Deum superiorem habent, nec nisi a Deo puniri possunt, si leges ab iis conditae bonum spirituale non promoveant; ita & Principes seculares in ordine temporali nonnisi Deum superiorem agnoscunt, nec ullus est, qui poenis temporalibus, si leges injustas ferant, praeter Deum eos punire valeat; unde Ambrosius (1) ait: *Rex utique erat, nullis ipse legibus tenebatur: quia liberi sunt Reges a vinculis delictorum, neque ullis ad poenam vocantur legibus, tuti sub imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Et Gregorius Turonensis (2), *si quis*, inquit, *de nobis, o Rex, justitiae tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest: si vero tu excesseris quis te corripiet? loquimur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris quis te condemnabit? nisi is, qui se pronuntiavit esse justitiam.*

(1) *In apol. David cap.* 10.

(2) *Lib.* 5. *hist. Franc. cap.* 19.

Dixi *in suo ordine*: nam Principes seculares, quia Christiani sunt, subsunt legibus Antistitum in iis, quae ad animae salutem pertinent, & vicissim Ecclesiarum Antistites, quatenus cives, obtemperare tenentur principibus secularibus in iis, quae temporalem regni felicitatem, & tranquillitatem respiciunt: *duo sunt*, inquit Gelasius (1), *Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur; auctoritas sacra Pontificum,*

Digitized by Google

& Regalis potestas ..... Nosti enim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen Praesulibus, divinarum devotus colla submittis, atque ab eis caussas tuae salutis expectas, inque sumendis caelestibus Sacramentis, eisque (ut competit) disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse. Nosti itaque inter haec ex illorum te pendere judicio, non illud ad tuam velle redigi voluntatem, Si enim quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae; quo, rogo te, decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?

(1) *Ep.* 8. *ad Anastasium Imper.*

4. Ergo si leges civiles sunt contrariae legibus Ecclesiasticis, in materia civili, civilibus, in materia spirituali, & Ecclesiastica, Ecclesiasticis legibus standum erit. Praeclare D.Thomas (1): *Dicendum quod utraque potestas, tum spiritualis, tum laica descendit a Deo; & ideo in eis, quae ad animae salutem pertinent, standum est potestati spirituali, & in eis, quae bonum civile spectant, standum est potestati civili juxta illud Mat.* 21. *reddite quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo.*

(1) *In* 2. *dist.* 44. *q.* 2. *art.* 4. *ad* 4.

COROLLARIUM III.

5. Ergo utraque potestas, ut homines contineat in officio, suum habebit gladium, civilis nempe materialem, quo poenis corporalibus coërceantur improbi, ac legibus refractarii, de quo loquitur Paulus cum inquit: *Non enim sine caussa* (Princeps) *gladium portat, vindex &c.* Ecclesiastica autem spiritualem, qui in Ecclesiasticis censuris consistit; *sancta Dei Ecclesia*, ita scribebat Nicolaus Papa ad Archiepiscopum Albinum, *gladium non habet, nisi spiritualem*; porro sicuti exercitium gladii spiritualis nonnisi convenit Ecclesiae Antistitibus, ita exercitium gladii materialis proprium esse debet Principum secularium.

6. Ergo sicuti Antistites nullum jus habent in temporalia; ita neque Principes ullum jus habere debent in sacra, & quamvis hoc ex dictis fluat, quia tamen Puffendorfius, & alii protestantes undique corradunt testimonia, & documenta, quibus suo capitali errori fucum faciant; nos etiam tum testimoniis sacrae scripturae, tum documentis errorem hunc conteremus, & demonstrabimus, non solum nihil posse Principes in iis, quae pertinent ad fidem, & ad mores animae salutem tantum inspicientes, ad potestatem ordinis, & jurisdictionis interioris; verum etiam nihil posse in iis, quae pertinent ad jurisdictionem exteriorem, ideoque non

poſse novas leges condere, non contra canones modo, sed neque praeter canones: seu officium principum secularium non eſse externam Eccleſiae disciplinam ordinare.

7. Ut igitur oſtendamus Principi nullum competere jus in ſacra, neque in exteriorem Eccleſiae diſciplinam, primum argumentum deſumimus ex S. litteris. Apoſtolus Paulus (1) inquit: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; ergo Eccleſiae regimen non Principibus ſecularibus, ſed Epiſcopis Spiritus Sanctus conceſsit. Verbum enim *regere*, quo Apoſtolus utitur, nihil aliud ſibi vult, quam conſtituere, ordinare, ac moderari ea omnia, quae ad Eccleſiae tranquillitatem, & pacem judicantur utilia, vel neceſſaria. Unde Chriſtus non Principes, ſed Apoſtolos, eorumque ſucceſſores affatus eſt his verbis: *qui vos audit, me audit* (2); item non Reges, ſed Apoſtoli inquiunt: *viſum eſt Spiritui S., & nobis* (3); ergo Eccleſiae Antiſtites, non vero Principes ſeculares donati ſunt poteſtate condendi leges ad res ſpirituales pertinentes, exterioremque Eccleſiae diſciplinam.

(1) *Act.* 20. *v.* 28.
(2) *Lucae* 10. *v.* 16.
(3) *Act.* 15. *v.* 28.

8. Aliud argumentum petimus ex teſtimonio ſummorum Pontificum. Nicolaus I. Romanus Pontifex ita ſcribit (1) ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum: *Nolite, quae Eccleſiae ſunt, uſurpare: nolite, quae ipſi ſoli commiſſa ſunt, velle ſubripere; ſcientes, quia tantum nimirum a ſacris debet omnis mundanarum rerum adminiſtrator eſſe remotus, quanto quemlibet ex cathalogo Clericorum, & militantium Deo nullis convenit negotiis ſecularibus implicari.*

(1) *Ep.* 8.

Felix ſummus Pontifex ad Zenonem ſcribens: *Certum eſt*, ait, *hoc rebus veſtris eſſe ſalutarem, ut, cum de cauſis Dei agitur, juxta ipſius conſtitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non praeferre, & ſacroſancta per eorum Praeſules diſcere potius, quam docere; Eccleſiae formam ſequi, non huic humanitus ſequenda praeficere, neque ejus ſanctionibus velle dominari.*

Gregorius magnus ſic ſcribit: *quoniam & nobis, & omnibus notum eſt piiſſimos dominos* (Imperatores) *diſciplinam diligere, ordines ſervare, canones venerari, & ſe in cauſſis Sacerdotalibus non miſcere* (1).

(1) *Lib.* 6. *ep.* 25.

9. Tertium argumentum nobis ſuppeditant Imperatores. Baſilius Macedo coram octava ſynodo oecumenica, poſtquam lecti ſunt ſeptem, & viginti canones, ferme omnes ad exteriorem diſciplinam pertinentes, ita allocutus eſt (1) Patres: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui abſolute converſamini, quid*

Digitized by Google

amplius dicam non habeo, quam, quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis caussis sermonem movere; neque penitus resistere integritati Ecclesiae, & universali synodo adversari. Haec enim investigare, & quaerere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi, & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claves, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamentis absolvi egemus ..... quantaecumque enim religionis, & sapientiae laicus existat, donec laicus est, ovis vocari non desinet ..... oportet nos nihil amplius, quam ea, quae sunt nostri ordinis, requirere.

(1) *Tom.* 8. *concil. edit. Parisiensis columm.* 1154.

Honorius Imperator Occidentis ita Arcadium, & Theodosium monet (1): *Cum de caussa religionis inter Antistites ageretur, episcopale oportuisse esse judicium: quoniam ad illos divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.*

(1) *Sua epist. relata in tom.* 1. *epist. Pontificiarum.*

10. Quartum argumentum depromimus ex concilio Chalcedonensi oecumenico in caussa, quae inter Photium Episcopum Tyri, & Eusthachium Episcopum Beryti de Episcopatuum divisione vertebatur, quod verbis Bossueti (1) latine redditis proferimus: *Non solum*, inquit, *in negotiis fidei, sed etiam disciplinae Ecclesiasticae definitio pertinet ad Ecclesiam, penes Principem autem est protectio, defensio, executio canonum, & regularum Ecclesiasticarum. Haec est indoles Christianismi, Ecclesiam regi debere per canones. In concilio Chalcedonensi, cum nata esset quaestio de cujusdam Metropolitani jure, & quoad hoc leges Imperiales non viderentur cum canonibus consentire, judices hoc legum dissidium Patribus indicarunt; isti vero extemplo in communem hanc vocem eruperunt: vincant canones, regulae patrum teneant.*

(1) *In epist. la politique tirée de l'écriture liv.* 7. *art.* 5.

11. Patres quoque in hac quaestione nobis praesto sunt. S. Athanasius (1) refert verba Hosii Cordubensis Episcopi, qui unus fuit ex Nicaenis Patribus sic alloquentis Imperatorem Constantium: *Time judicii diem, ne te rebus misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius eas a nobis disce: tibi Deus imperium commisit, nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit; & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae; ita & tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Et post relata Hosii verba sic Constantium redarguit: *Si illud Episcoporum decretum est, quid illud attinet ad Imperatorem? ..... quandonam Ecclesiae decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est?* *multa ante synodi coacta*

Digitized by Google

sunt, multa prodiere Ecclesiae decreta, sed nunquam Patres res hujusmodi Imperatori suasere, nunquam Imperator Ecclesiastica curiose perquisivit.

(1) *In epist. ad solitariam vitam agentes*..

S.Ambrosius referens rescriptum Valentiniani (1), *In caussa fidei*, inquit, *vel Ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis*; *haec enim verba rescripti sunt*, hoc est, *Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare.* Et alio loco (2) non dubitavit affirmare, *Nihil esse honorificentius, quam ut Imperator Ecclesiae filius esse dicatur*; *Imperatorem enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam esse*. Igitur ex Ambrosio, & Valentiniano tum caussae fidei; tum disciplinae pertinebant ad munus, & jus Sacerdotum, atque Imperator erit intra, non supra Ecclesiam, ut Ecclesiasticarum rerum regulam a Pastoribus suscipiat, non vero ipsis ille eam tradat.

(1) *In epist. 21. secundum editionem Benedictinorum.*

(2) *In sermone contra Auxensium de Basilicis n. 36.*

12. Suffragatur demum ratio; enimvero potestas Principum, tota quanta est, temporalis est, non spiritualis; ergo temporalia, & non spiritualia attingere debebit. Et sane quibusnam regulis utentur Principes in statuendis legibus disciplinam Ecclesiae exteriorem respicientibus; non certe regulis Ecclesiae, quia ex hypothesi leges condunt, vel contra, vel praeter canones; utentur ergo regulis regiminis civilis; at quis ignorat toto caelo distare regimen civile a regimine Ecclesiastico; sicuti toto caelo distant temporalia a spiritualibus. Concludamus ergo, quod sicuti leges de rebus mere civilibus in conciliis promulgatae, nullius sunt roboris, nisi a Principibus laicis confirmentur; ita nec leges de rebus Ecclesiasticis a secularibus Principibus conditae nullius sunt momenti, nisi ab Ecclesia ratae habeantur.

13. Adversarios nunc audiamus. Sic autem primo disputant. Quum lex naturae vigeret, Sacerdotalis, & Regia potestas in uno, eodemque subjecto erant conjuncta, uti Melchisedechi exemplo manifestum est; tempore vero Mosaicae legis, quamquam potestas ministerii Sacerdotibus ex Aaronis stirpe concredita esset, illa tamen, quae jurisdictionis dicitur, apud Reges perduravit. Hinc legimus (1) templum Domino a Salomone erectum, & sacrificiis diebus octo dedicatum, Abiatharem summo privatum sacerdotio: Ab Ezechia (2) excelsa dissipata, contritas statuas, lucos succisos, aeneum serpentem confractum: demum a Josaphato Levitas, ac Sacerdotes constitutos (3), atqui Christus naturalem Mosaicam legem non tollere venit, sed adimplere; si jus ergo in sacra iis vigentibus legibus penes Principes erat, penes eosdem etiam nunc permanere existimandum est.

(1) 3. *Regum cap. 2. v. 27.*

(2) 4. *Regum* 18.

(3) 2. *Paralip.* 19.

14. ℟. Duplici observatione universa labefactatur illiusmodi argumentatio. Quamquam verum esset tempore tum legis naturae, tum Mosaicae morem obtinuisse, ut jus in sacra, & civilia negotia uni, eidemque esset concreditum, non inde deduci potest eumdem morem nunc in viridi esse debere. Christum siquidem aliter observari voluisse manifestant prolata scripturarum testimonia, Patrum dicta, ac religiosissimorum Principum confessiones ingenuae. Non diffitemur Christum utramque legem non sustulisse, quin immo perfecisse; at hoc intelligendum est quoad praecepta in rerum natura fundata, non caeremonialia, non judicialia, ac politica; atqui natura non dictat jus Principi competere sacrum ex. gr. cultum Deo deferendum determinandi, sed tantum cultum tum internum, tum externum summo numini exhibendum esse. Hinc vel ipso mundi exordio videmus Cainum, atque Abelem, licet non Principes, sed sub parentibus adhuc constitutos sacrificia obtulisse. Ergo licet Christus legem naturae, ac Moisis confirmaverit, & utraque vigente lege Principes jus etiam in sacra exercerent, ad eos nova vigente illud transferri non potest.

15. Falsum praeterea est Principes ante Evangelicam legem jure in sacra gavisos fuisse; neque aliter evincunt producta exempla. Non illud, Melchisedechi, quippe si istiusmodi jus exercuit, non qua Rex, sed qua Sacerdos eo functus est; nos autem non diffitemur fieri aliquando potuisse; quin imo & nunc evenire concedimus, ut si unus, idemque, & Regia dignitate, & Sacerdotio sit insignitus, ipsi pariter jus in sacra competere; hoc vero nil adversariis prodest; quaestio quippe est, an Principes, prout Reipublicae capita sunt, possint de sacris rebus auctoritativum judicium ferre, eaque administrare, quod nullo unquam confirmabitur exemplo.

16. Male autem consulunt Regiae potestati adversarii, dum ad Synagogam confugiunt. Vidit id Petrus de Marca (1); unde adfirmavit a veteri Synagoga exemplum depromendum non esse; quippe Reges nec in temporalibus liberam habebant potestatem, sed a magno Synedrio in caussis controversis dependentem. Quod si nec in temporalibus absolutam Haebreorum Reges habebant potestatem, quantominus in sacris.

(1) *Lib.* 2. *de concordia Sacerdotii, & Imperii cap.* 5. §. 4.

17. Quae de Salomone, Ezechia, Josaphato producunt adversarii, nullius plane roboris sunt. Ex eo quod aedificaverit templum Salomon, insulsa res est ei in sacra jurisdictionem assignare. Namque an non pii, divitesque laici viri Deo templa erexerunt stante evangelica lege? ergo ne iis quoque jus in sacra est tribuendum? Sed, inquis, Salomon quo-

Digitized by Google

que dedicavit templum diebus octo: non abnuo, sed etiam cum eo dedicaverunt filii Israël; etenim sic legitur (1): *Rex & omnis Israel cum eo immolabant victimas coram Domino, & dicaverunt templum Domino Rex & filii Israel*: dices ne promiscue cunctos Israelitas jus in sacra habuisse, nihil profecto minus; ergo neque Salomonem quamquam Regem illud habuisse pronunciandum est.

(1) 3. *Regum cap.* 8. *v.* 62. 63.

18. Quod vero attinet ad Abiatharem, quem Salomon summo Sacerdotio privavit, dicimus id ab eo factum, non prout Rex erat, sed prout habuit ad id specialem Dei auctoritatem; etenim illud praestitisse legimus: *Ut impleretur sermo Domini quem locutus est super domum Heli in Silo*(1).

(1) 3. *Regum cap.* 2. *v.* 27.

19. Ex Ezechiae vero praestantissimis gestis, quibus dissipavit excelsa, lucos succendit, statuas contrivit, aeneumque serpentem destruxit, sacrorum jurisdictionem penes Principes fuisse in Mosaica lege multo minus evincitur. Id praestitit Ezechias, quod omnis Princeps religionis protector praestare debet, quod Constantinus, Theodosius, Valentinianus, Clodoveus, aliique Principes, ut idololatriae vestigia delerent, laudabiliter effecerunt; qui tamen aliquam in sacra sibi esse potestatem numquam somniarunt, pluries quin immo sibi eam non esse concreditam affirmarunt.

20. Josaphati demum exemplum aliquid concluderet, si revera ipse Sacerdotes, & Levitas creasset, at id non praestitit piissimus Rex; noverat quippe ad summum Sacerdotem ex legis praescripto Sacerdotum, & Levitarum consecrationem pertinere. Quare Josaphat delegit, & designavit Sacerdotes, & Levitas, qui a summo Sacerdote consecrarentur; ea pari ratione, qua Christiani Principes Episcopos eligunt a summo Pontifice, vel ab aliis ex ipsius auctoritate, & mandato consecrandos. Sane eodem ipso capite, ex quo Josaphati exemplo disputant adversarii, expresse, quae ad Regem pertinent, distinguuntur ab iis, quae summo competunt Sacerdoti; ita enim scriptum extat (1): *Amasias autem Sacerdos, & Pontifex vester in iis, quae ad Deum pertinent, praesidebit*: En in sacra non exercitii solum, sed jurisdictionis potestas summo Sacerdoti tributa. *Porro Zabadias filius Ismael, qui est pax in domo Juda super ea opera erit, quae ad Regis officium pertinent*: En alia Regibus demandata provincia, quae in civilia vitae negotia ad pacem, felicitatem temporalem subditis procurandam versari debet; minime vero in sacra negotia directe destinata, ut subditis aeterna salus procuretur.

(1) *Paralip.* 2. *cap.* 19. *v.* 11.

21. Urgent adversarii. Paulus (1) ad Romanos scribens docet omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse, scilicet imperantibus; ac proinde etiam Evangelistae, Apostoli, Episcopi iis subditi sunt, ut

Digitized by Google

interpretatur Chrysostomus. Sane, ut Optatus Milevitanus aiebat, non Respublica in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est; ergo qui Reipublicae, etiam Ecclesiae dominus est: ergo omnis jurisdictionis potestas solis Principibus competit.

(1) *Cap.* 13. *v.* 1.

22. ℟. Inepte prorsus Apostoli doctrinam, ac optimi ejus interpretis Joannis Chrysostomi in suae sententiae praesidium advocant adversarii. Utique etiam Apostoli, Evangelistae, Pastores imperantibus obedire tenentur, sed in iis, quae publicam temporalem felicitatem, tranquillitatem spectant, civilia nempe negotia, non in iis, quae extra eorumdem limites potestatis sunt. Quemadmodum divinae litterae obedientiam Principibus praescribunt deferendam, ita etiam praestandam Ecclesiae; at hinc sicuti nefas esse ducunt adversarii inde tribuere Ecclesiae jus in temporalia praesertim Regum; ita ex praescripta Principibus deferenda obedientia nefas quoque erit iis in sacra jurisdictionem vindicare.

23. Principium vero Optati Milevitani latius, quam quod senserit, immo contra ejus mentem ab adversariis producitur. Etenim eo usus est Milevitanus Antistes, ut ostenderet fideles, quum membra Reipublicae sint, pro hujus rectoribus orare etiam debere, quod expresse praescribit Apostolus, & ab Ecclesiae incunabulis factum fuisse ex Justino, aliisque colligimus, etiam pro impiis, & dyscolis; minime vero innuere ille voluit, qui Reipublicae, etiam Ecclesiae dominum esse. Miserat Constantinus Imperator Paulum, & Macarium in Affricam, non ut Donatistas vexaret, sed ut pauperibus pecuniam largiretur; quum ad haec exclamasset Donatus: *quid Imperatori cum Ecclesia*, quasi ob id Imperatori succensens; respondit Optatus non esse Principibus succensendum, sed, etsi gentiliter viverent, pro iis orandum; quippe Ecclesia in Republica est, quia scilicet, licet Ecclesiae membra fideles sint, sunt quoque membra Reipublicae, cujus tranquillitati, & paci Princeps incumbit. In pravum itaque sensum Optati verba contorquent adversarii.

24. Demum, inquiunt, Christus nullum instituit imperium, alioquin cum hoc esset in Republica, haec membrum biceps esset, & status in statu admittendus foret, quod repugnat; Ecclesiae suae consulit quidem ei tradendo quamdam potestatem; at ea nonnisi docendi est, hinc Paulus, si quae praecepta dedit, ea protulit, non ut Legislator, ac auctoritatem habens, sed ut doctor; nec mirum; nam summorum Principum potestate nulla major est; nulli ergo, ac proinde nec Ecclesiae in quavis re ipsi subduntur.

25. ℟. Neque haec caeteris graviora: si imperium intelligant militibus defendendum, custodiendum arcibus, non instituisse Christum damus adversariis; nam scimus evangelica

historia edocti in montem fugisse, ut se se regno eriperet, ad quod turbae evehere illum volebant; scimus etiam suis dixisse discipulis: *Reges gentium dominantur, eorum ..... vos autem non sic*; si vero intelligant Sacrum Principatum ad animarum salutem destinatum, quo insigniti erga fideles se se gerant, non tamquam dominantes, sed forma facti gregis ex animo prorsus negamus iis argumentis nixi, quae superius adducta sunt.

Ea etiam ostendunt falsum esse Ecclesiae nullam a Christo, quam docendi, fuisse concreditam potestatem. Ad Corinthios scribit Paulus (1) sibi inesse jus poenis in inobedientes animadvertendi, inquit siquidem *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*; At inobedientiam ulcisci, licet non corporalibus poenis, ut laici Principes, sed censuris, & excommunicatione praecipue, aliquid aliud est, quam potestatem docendi exercere. Expressius adhuc Apostolus in eadem Epistola sibi jurisdictionis potestatem spiritualem in fideles vindicat: en quomodo sane loquatur (2): *Ecce venio ad vos in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum..... praedixi, & praedico ut praesens & nunc absens iis, qui ante peccaverunt, & caeteris omnibus, quoniam si venero, iterum non parcam; ideo absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus in aedificationem, non in destructionem*. Haec ne Doctoris sunt, an non jurisdictionis potestatem habentis?

(1) 2. *ad Corinth.* 10. *v.* 6.

(2) *Cap.* 13. *v.* 1.

Neque ex potestate Ecclesiae, seu Ecclesiasticorum pastorum in sacra sequitur Rempublicam biceps monstrum esse, vel statum in statu admittendum. Hujus difficultatis solutio a minime suspecto scriptore audiatur: *Qui absurdum putant jus circa sacra separatum ab Imperio civili esse, quasi Respublica in Republica fingatur, judicium omnino praecipitant, nec absurditatem demonstrare valent. Sane in Republica Hebraeorum jus circa sacra penes Pontificem maximum erat. Imperium civile penes Regem, & uterque jus suum habebat pleno jure, & independenter ab alio: & ecquis dixerit hoc fuisse absurdum, etiamsi seponas, quod fuerit divinum?* huc usque Wolfius (1): *Duae potestates*, recte Bochartus (2), *cum vel habeant diversa objecta, vel circa eadem objecta aliter, atque aliter versentur; quamdiu manent intra praescriptos limites, non sibi mutuo magis officiunt, quam planetae duo, quibus diversum caelum est assignatum*. Itaque nec Respublica monstrum biceps est, nec in statu alius status est admittendus, etiamsi jus in sacra non Reipublicae, sed Ecclesiae capitibus adsignemus; nam admittimus quidem duas summas potestates independentes, sed non in eodem ordine; neque ut in eumdem finem contendentes; ita ut relate ad idem objectum, quod una praecipit,

Digitized by Google

possit altera prohibere, sed duas potestates independentes quidem, sed quae se mutuo foveant, tueantur; unaque alteri inserviat ad procurandam civibus temporalem, ac aeternam felicitatem.

(1) *Apud Rieger inst. juris Eccl. part.* 1. §. 180.

(2) *Tom.* 1. *op. edit.* 4. *pag.* 992.

26. Quod postremo denique objectum est, binis verbis diluitur; ultro damus civili potestati nullam esse majorem, at in suo genere. Hinc supremi Principes in temporalibus nemini subduntur; at licet quoad haec nemini subjiciantur, non inde consequens est in iis, quae ad eorumdem spectant salutem, Ecclesiae pastoribus non esse subjectos; neminem Christus excepit, non divitem, non Principem, non Imperatorem, generaliter inquit (1): *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus.* Summa sit itaque Principum potestas; in sacris talis, immo nulla; quippe non iis, sed Apostolis, eorumque in officio successoribus a Christo domino demandata.

(1) *Matth.* 18. *v.* 17.

27. Inquiunt insuper. Principes seculares, etiamsi detur non habere potestatem enucleandi doctrinam fidei contentam in sacris litteris, habent tamen potestatem declarandi doctrinam morum contentam in jure naturae. At, inquio ego: doctrina morum dirigitur ad animae salutem aeternam; ergo non erit objectum potestatis secularis, sed Ecclesiasticae. Regerunt: doctrina morum in jure naturae contenta non invenitur in sacris litteris; neque enim invenire est in iisdem naturam horum, vel illorum contractuum, & negotiorum, ergo quum potestas ecclesiastica in declarandis controversiis se extendat solum ad ea, quae in sacris litteris continentur, doctrinae morum declaratio pertinebit ad Principes seculares, non vero ad Ecclesiam. Regero ego: doctrina morum tota non consistit in contractibus, & negotiis; sic in sacris litteris damnantur furta, homicidia, fornicationes, adulteria, detractiones, fraudes &c.; quae aliunde jure naturae sunt prohibita; immo in iisdem scripturis plures contractus reprobantur; sic reprobantur usurae, venditiones rerum, quae sunt Deo consecratae &c.; & si aliquorum contractuum, & negotiorum damnatio expressa in sacris litteris non habeatur, in iisdem tamen inveniuntur semina damnationis, ex quibus Ecclesiae praesules facile colligere possunt jure naturae contractus illos esse reprobatos.

28. Objiciunt primo ii, qui contendunt Principes jus habere in exteriorem ecclesiae disciplinam. Justinianus facultatem sibi tribuit (1) augendi canones Ecclesiae *in melius*; sic enim loquitur: *Semper nostrae Serenitati cura fuit servandae vetustatis maxime disciplinae, numquam quam contempsimus, nisi & in melius augeremus, praesertim cum de Ecclesia-*

Digitized by Google

sticis negotiis contingit quaestio. Unde (2) sanxit neminem ad Episcopatum assumi posse, cui liberi essent, aut nepotes: decrevit quoque (3) neminem ordinandum esse in Subdiaconum, qui 25. annis minor esset. Ergo si non in rebus fidei, & morum, saltem quoad externam Ecclesiae disciplinam multum possunt Principes seculares.

(1) *In rescrip. ad Dacianum Metropolitam penes Baronium ad annum Christi* 541. *n.* 11. *& seq.*

(2) *L.* 42. §. 1. *cod. de Episcopis, & Clericis.*

(3) *Novel.* 123. *cap.* 13.

29. Respondeo Leonem Sapientem Imperatorem duo haec Justiniani decreta abrogasse: primum in sua Novella constitutione secunda; secundum in sua constitutione 16.ª: si autem quaeras, qua ratione motus fuerit Leo sapiens ad ea abroganda decreta, eam invenies in eadem constitutione 16.ª hisce verbis conceptam: *Vetus verbum, quod de rebus suis dicenti aures esse aperiendas monet.... dignum itaque sacram legem de rebus suis praecipientem audire Imperatoria nostra Majestas rata, & in eamdem cum illa sententiam descendit, & statuit*; ergo sicuti in rebus temporalibus audiendi sunt Principes seculares; ita in rebus Ecclesiasticis audiendi erunt Ecclesiae Antistites; quia *vetus verbum*, seu naturae testimonium dictat *de rebus suis dicenti*, *non alteri aures esse aperiendas*.

30. Objiciunt secundo. Capitularia Francorum a Principibus condita sunt, & plura continent, quae sunt praeter, & ultra canones, quaeque respiciunt exteriorem Ecclesiae disciplinam; ergo Principes in exteriorem Ecclesiae disciplinam summo potiuntur jure.

31. ℟. Institutum nostrum non pati, ut singula Francorum Capitularia expendamus. Breviter igitur dicimus Capitularia Francorum, quae de rebus Ecclesiasticis edita sunt, ab Episcopis, & viris Ecclesiasticis prodiisse; idque ex quibusdam monumentis colligo. Mos erat penes Francos, ut in eorum generalibus comitiis duae vel tres fierent turmae, & unaquaeque de rebus suis tractaret: *Convenit nobis* (1) *de nostro communi collegio. Clericorum, seu laicorum* (ajunt Patres Concilii Mogontini) *tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima autem turma consederunt Episcopi..... diligenti studio perquirentes, quibus modis statum Ecclesiae Dei, & Christianae plebis profectum ..... perficere, & conservare potuissent. In alia vero turma consederunt Abbates, ac probati Monachi ..... tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem statum..... perducere potuissent. In tertia denique turma sederunt comites, & judices in mundanis legibus decertantes.*

(1) *Sic in praefat. conc. Mogontini habiti anno* 813. *jussu Caroli magni.*

Id ipsum tradunt Annales Lambe-

ciani de synodo Aquisgranensi habita anno 802. jussu Caroli magni, ubi distinctis duabus turmis Episcoporum nempe, et Abbatum, sic de tertia loquuntur: *Sed & ipse Imperator interim, quod ipsa synodus facta est, congregavit Duces, Comites, & fecit omnes leges in regno suo legi.*

Duas tantum recenset, synodus alia Mogontina (1): *Habita est synodus ex voluntate, atque praecepto Principis in civitate Mogontia Metropoli Germaniae, praesidente Hrabano ejusdem urbis Archiepiscopo, cum omnibus Episcopis, atque Abbatibus orientalis Franciae, Bajoariae, & Saxoniae. Et illi quidem de absolvendis quaestionibus ecclesiastice tractatum habebant; Rex vero cum Principibus, & Praefectis provinciarum publicis caussis, litibusque componendis insistens.*

(1) *In Annalibus Francorum Fuldensibus.*

Non nego quandoque Capitularia Francorum edita fuisse ab Ecclesiasticis una cum Rege, & Status Primoribus, praesertim in synodis regiis; at sicuti ex his colligere non licet aliquod jus habuisse ecclesiasticos in temporalia negotia, quae ibi a Rege una cum ecclesiasticis tractabantur; ita nec ullam in canones, regulasque ecclesiasticas Regi, ejusque primoribus facultatem competere dicendum est.

Si addas Capitularia Francorum quandoque canones, & regulas ecclesiasticas continentia edita fuisse a solis Principibus, id pariter non diffiteor; at hujusmodi capitularia non erant, ni excerpta ex canonibus conciliorum. Referre juvat Regem Harlomanum Ludovici filium ita de suo tertio capitulari anni 884. scribentem (1): *Quum ad palatium vernis convenissemus, & pars fidelium nostrorum nobiscum, placuit, ut quaedam statuta sacrorum canonum, nec non quaedam capitula antecessorum nostrorum renovarentur.*

(1) *In tomo altero Baluziano pag. 283.*

32. Objiciunt demum. Lex aliquid statuens circa exteriorem Ecclesiae disciplinam talis esse potest, ut graviter noceat bono publico Reipublicae; ergo saltem in hoc casu Principum erit aliter exteriorem Ecclesiae disciplinam ordinare.

33. ℞. Legem Ecclesiasticam, si vera lex sit bonum religionis promovens, esse non posse infestam bono publico reipublicae; neque enim bonum religionis Christianae adversari potest bono publico Imperii; immo potius primum maxime secundum fovet, & promovet.

ARTICULUS II.

Proponuntur regulae ad finiendas quaestiones potestatem ecclesiasticam inter, et civilem.

SUMMARIA

1. *Ex factis & exemplis difficile admodum, & fere impossibile definire utriusque potestatis ecclesiasticae scilicet, & civilis jura.*

Digitized by Google

2. *In quaestionibus inter unam, & alteram potestatem standum est concordatis.*
3. *Si concordata desint, vel quaestioni definiendae non sufficiant, standum est immemoriali possessioni.*
4. *Si consuetudo immemorialis noceat bono publico Ecclesiae, vel regni, ab una ad alteram potestatem fieri debet recursus.*
5. *Si de immemoriali possessione non constet, mutuis consultationibus, atque compositionibus res erit transigenda.*
6. *Ad finiendas quaestiones inter unam, & alteram potestatem, regula non erit petenda ab iis, quae fiunt in hoc, vel illo regno.*

1. Solent institui plures quaestiones a Canonistis de finibus utriusque potestatis ecclesiasticae scilicet, & civilis, a quibus libentissime supersedeo. Ut quid enim tempus teram in evolvendis, et expendendis collectionibus omnibus canonum tum antiquis, tum medii aevi, codicibus Theodosiano, & Justinianeo, voluminibus Basilicorum, legibus Longobardorum Wisigothorum &c.? qui enim in definiendis utriusque potestatis juribus factis, exemplis, & legibus nititur, viae omnino incertae se committit.

Primo, quia facta pro hominum genio, voluntate, cupiditate, potentia sunt varia.

Secundo, quia facta, & exempla respicientia fines utriusque potestatis nec semper durarunt, toleratis uno seculo, quae altero abrogata sunt, nec fuere apud omnes, nec semper utriusque potestatis assensum obtinuere, nec semper cum suis omnibus circumstantiis ab historicis relata. Porro quis ignoret illius, vel alterius circumstantiae mutationem, vel omissionem totam saepe rei naturam invertere.

Tertio, quia (1) *Concilia persaepe in suis canonibus reticent, a quo teneant auctoritatem . . . utrum a Christo, an vero a Principibus eam potestatem acceperint? par in Principum legibus silentium circa res mere ecclesiasticas .... perraro dicunt se ideo statuere, ut procurent executionem legum Ecclesiae.*

(1) *Gibert. tom. 1. proleg. sect. 2. tit. 8. pag. 19. editionis Lugdunensis.*

Quarto, quia in tanto temporum intervallo, temporumque vicissitudinibus plura interiere monumenta, ex quibus non modicum lumen legibus tum civilibus, tum ecclesiasticis, factis, & exemplis afferri posset.

Immo siquis vellet factis, legibus, & exemplis metiri jura utriusque potestatis, ipse potius Ecclesiae, quam Imperio favebit, prout animadvertit auctor tractatus de l'autorité des Rois touchant l'administration de l'Eglise, qui lucem aspexit sub nomine Talonii jurisconsulti Galli.

Concludamus ergo non esse semper (1) *pro vero, innatoque Ecclesiae jure reputandum id, quod ea egerit, habuerit, decreverit tacentibus Regi-*

Digitized by Google

bus; quod itidem usu venit in eccleſiaſticis rebus, quas ſaepe videmus Regibus attributas. Et in expanſa (2) *illa ſeculorum ſerie varia occurrere exempla hinc inde uſurpatae juriſdictionis, quae ancipitem animum ad deſperationem inveniendae veritatis adigunt.*

(1) *Boſſuet in defenſion. declarat. Gallic. lib.* 4. *cap.* 5.

(2) *De Marca in praefat. ad lib. de concor. Sacerd. & Imperii n.* 2.

Juverit potius regulam praeſcribere, qua finiri poſſint quaeſtiones, quae verti ſolent inter utramque poteſtatem.

2. Qua igitur regula utendum erit in quaeſtionibus inter unam, & alteram poteſtatem?

℟. In hiſce quaeſtionibus ſtandum eſſe concordatis, quae in noſtris regionibus vigent, & religioſiſſime obſervantur.

Quid vero, ſi quaeſtio inſtituatur de re in concordatis non comprehenſa?

3. In hac re habendam eſſe prae oculis conſuetudinem immemorialem, eique adhaerendum. Si enim quaeſtiones, quae oriuntur Principes inter, & Principes, familias inter, & familias privatas via conſuetudinis immemorialis, & praeſcriptionis ſaepe ſaepius finiuntur; cur non etiam ſic terminandae ſacerdotium inter, & imperium; & ſicut Eccleſia non adimit Principibus ea, quibus ii ex ſola illius indulgentia, & conceſſione a multo jam tempore potiuntur; ipſique aegre ferrent ab hac poſſeſſione turbari; ita ſi quo jure mere temporali potiatur Eccleſia in regna aliena, non erit ab ea poſſeſſione quoque deturbanda. *Jus enim quaeſitum* (1) *& tam longa conſuetudine confirmatum tollere non debent Principes, nec reipublicae tranquillitatem, quae his moribus fovetur, laedere, ut eleganter docet Couarrius,* qui clericorum immunitatem non refert ad jus divinum, *ſed ad principum privilegia, quae hodie immutari non poſſunt.*

(1) *De Marca in interpr. can. clericus* 3. *q.* 4.

Juvat hic etiam referre verba Natalis Alexandri (1), qui ſic ſcribit: *Sed ſi quae ſint negotiorum ſpecies, in quibus clerici conſpirante legum, & canonum ſententia exempti ſint a ſeculari foro, in jus divinum peccare fateor, quicumque illa privilegia violaverit, quia jure divino prohibetur, ne cuipiam jus legitime quaeſitum auferatur.* Similia ſcribit Dualius (2): additque immunitatem eſſe *veluti juris gentium, quod a nemine poteſt immutari, ne dum abrogari.*

(1) *In hiſt. Eccl. ſec.* 15. *cap.* 7. *in ſcol.* 3. *ad artic.* 2.

(2) *In lib. de Pontific. poteſt. p.* 3. *q.* 3.

Ex his colligitur, in iis ditionibus, in quibus nulla ſunt concordata, pro regula dirimendi quaeſtiones inter unam, & alteram poteſtatem habendam eſſe conſuetudinem immemorialem.

Digitized by Google

4. Quid facto opus sit, si consuetudo immemorialis noceat bono publico Ecclesiae, vel regni?

℟. Æquum esse, ut fiat recursus a potestate laicali ad ecclesiasticam, si immemorialis consuetudo noceat imperio. Idque apud nos religiosissime semper est servatum. Hinc quum ex immunitate locali magnam hisce temporibus ansam arriperent ad crimina patranda viri improbi, Principes nostri pluries recursum habuere ad summum Pontificem, qui semper eorum votis annuit, prout videre est in Brevibus obtentis a Clem. XIII., Clem. XIV., & Pio VI. Vicissim si immemorialis possessio damnum Ecclesiae afferat, cura erit Praesulum Ecclesiae recurrere ad Principes, eosque exorare, ut latam consensu Ecclesiae tacito, vel expresso legem abrogent, vel Ecclesiae permittant, ut amplius consuetudini immemoriali non insistat, totamque in ea re Ecclesiae libertatem relinquant.

5. Quid, si quaestio definiri non possit ex possessione immemoriali, pertinebit ne ad potestatem ecclesiasticam, an ad laicalem judicium?

℟. In hac re mutuis consultationibus, ac aequis compositionibus controversiam esse finiendam; sicuti enim inter Principes, & Principes, & inter privatas familias istiusmodi quaestiones sic saepe terminantur, cur non pariter sacerdotium inter, & imperium?

6. Ex his consequitur non debere Praesules Ecclesiarum eam vindicare immunitatem sibi debitam, quae immemoriali tempore penes Magistratus seculares existit, etiamsi in alia ditione Praesulum Ecclesiae sit propria; nec pariter debere Magistratus seculares usurpare ea jura, & privilegia sibi competentia, quae immemoriali possessione sunt penes Praesules Ecclesiarum, nec propria jura metiri ex juribus Magistratuum in aliis ditionibus; quum enim in diversis regnis diversae sint possessiones, praescriptiones, & consuetudines, diversa quoque debent esse jura.

ARTICULUS III.

De connexione ecclesiasticam inter, & civilem potestatem.

SUMMARIA

1. *Maxima esse debet inter unam, & alteram potestatem unio.*
2. *Fovetur haec unio, si leges ecclesiasticae a superioribus secularibus, civiles ab ecclesiasticis probentur.*
3. *Superiores ecclesiastici bonum imperii, seculares bonum religionis promovere quammaxime debent.*
4. *Quousque protendatur protectio, quam Principes Ecclesiae debent, explicatur.*

1 Quoniam *neque conditur* (1), inquit Augustinus, *neque custoditur optima civitas nisi fundamento, & vinculo fidei, firmaque concordia est, cum bonum commune diligitur, quod summum, ac verissimum Deus est; & res*

(2) *humanae aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent, & regia, & sacerdotalis defendat auctoritas*. Hinc quisque colligere potest maximam esse debere ecclesiasticam inter, & civilem potestatem connexionem; adeo ut una sine altera vix consistere, & sustineri queat: *sicuti duobus oculis*, inquit Gregorius VII. (3), *humanum corpus temporali lumine regitur; ita his duabus dignitatibus in pura religione concordantibus, corpus Ecclesiae spirituali lumine regi, & illuminari probatur*. *Dignitas ergo*, ait Arnulfus Lexoviensis Episcopus, *ecclesiastica regiam provehit potius, quam adimit dignitatem, & regalis dignitas ecclesiasticam conservare potius consuevit, quam tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam invicem sibi complexibus dignitas ecclesiastica, & regalis occurrunt. Quum nec Regis salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur*.

(1) *Epist.* 3.

(2) *Can.* 21. *c.* 23. *q.* 5.

(3) *Epist.* 19. *lib.* 1.

2. Haec ecclesiasticam inter, & civilem potestatem connexio quammaxime fovetur, tum cum Principes leges ab Ecclesia latas probant, & vicissim Ecclesia leges a Principibus conditas calculo suo confirmat. *Sancimus*, ita Justinianus (1), *igitur vicem legum obtinere sanctas, ecclesiasticas regulas, quae a sanctis quatuor conciliis expositae sunt, aut firmatae* (Nicaeno scilicet, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi; idem dicatur de aliis) *praedictarum quatuor synodorum dogmata, sicut sanctas scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus*. Idem statuit jus canonicum de legibus civilibus (2): *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur*. Et alio loco (3): *Sancta Ecclesia legum secularium non respuit famulatum, quae aequitatis, & justitiae vestigia imitantur*. Quare *Judex Ecclesiasticus*, ajebat Benedictus XIV. (4), *sententiam prolaturus de quaestione super re mere temporali, de qua nihil a jure canonico reperiatur decisum, non solum possit, sed debeat juri civili se conformare. Unde Gregorius Magnus in suis ex regesto decretis saepe numero praecipit, ut secundum leges, & canones ecclesiastica judicia terminentur*. Huc usque Benedictus XIV.

(1) *Novella* 131. *de Ecclesia cap. sancimus* 1.

(2) *Cap.* 1. *de novi operis nuntiat.*

(3) *Cap. super specula* 28. *de privil.*

(4) *Lib.* 9. *de syn. dioec. cap.* 14.

3. Ex his consequitur, quod Ecclesiastici superiores non solum nihil decernere possint bono civium temporali contrarium, sed etiam maximopere inspirare debent subditis amorem, & debitam obedientiam erga Reges, & Principes. " Isti nimirum „ (1) ad publicam incolumitatem tuen-

Digitized by Google

„ dam, ac homines in juris aequi-
„ tate continendos in altissimo gra-
„ du prae caeteris sunt constituti.
„ Ministri enim Dei sunt in bonum,
„ nec sine causa gladium portant,
„ vindices in iram ei, qui malum
„ agit .... Sic optime et civium
„ tranquillitati, & ecclesiae utilitati,
„ quae inter se disjunctae esse non
„ possunt, consulent. " Et vicissim superiores laici, *quos*, ut inquit Tridentinum (2), *sanctae fidei, Ecclesiaeque protectores esse voluit*, non solum nihil debent praecipere, quod bono spirituali adversetur; sed etiam curare debent, ut vera fidei, morumque pietas custodiatur, canones Ecclesiae serventur, & subditi in spiritualibus erudiantur. *In hoc*, inquit, Augustinus (3), *Reges, sicut eis divinitus praecipitur, Deo serviunt, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam quae pertinent ad divinam religionem*. Et S. Leo ad Leonem Imperatorem scribens ita eum monet (4): *Debes incunctanter advertere Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut abusus nefarios comprimendo, & quae bene sunt statuta defendas: et veram pacem iis, quae sunt turbata, restituas.* Idem traditur in Concilio Mogontino sub Stephano Papa de Regis officio: *Meminerit*, inquit Concilium, *se prae omnibus, ita sanctae Matris Ecclesiae esse filium, ut ejus paci & tranquillitati per universum mundum suum prodesse faciat imperium.*

(1) *Clemens XIV. Encyclica ad omnes Episcopos die* 12. *decemb.* 1769.

(2) *Sess.* 25. *cap.* 20.

(3) *Lib.* 3. *contra Cresconium cap.* 51.

(4) *Ep.* 75.

4. Quousque protendatur protectio, seu tuitio, quam Principes Ecclesiae impendere debent, declarat ipsum tutoris nomen: *Nam quemadmodum*, ait Talonius (1), *tutores, ac curatores pupillis damus, ut eos adjuvent in illis, quae praestare a se ipsis non valent; ita Dei filius suae Ecclesiae, quam in terris quasi infantem pupillum posuit, Reges dedit quasi tutores, ut eam protegerent, eique praesto essent in omnibus illis, ubi suis se viribus sustinere ipsa non posset. Hinc administratores secularium dignitatum* (2), *qui ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum, & viduarum protectionem, rapaciumque refrenationem constituti esse procul dubio debent; quoties ab Episcopis, & Ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum quaerimonias attentius audire, & secundum quod necessitas expetierit, absque negligentia examinare, & diligenti studio corrigere tenentur.* Quare non solum fures bonorum Ecclesiasticorum comprimere, perversos homines Ecclesiarum jura invadentes coërcere; verum etiam conciliorum convocationem adjuvare, eorumdem celebrationi libertatem conservare, & decreta ab iis edita, ut ab omnibus observentur, quammaxime curare poenis etiam

Digitized by Google

latis in eos, qui iis decretis nullo modo obtemperare voluerint. Exemplo in hac re esse possunt tum Constantinus Magnus, tum Marcianus, quorum prior curavit, ut synodus Nicaena convocaretur, eique, dum celebrabatur, libertatem conservavit, & poenas exilii, carceris &c. tulit in eos, quos cognovit Synodi decretis obsistentes. Alter vero triplici edicto sanxit, ut Synodus Chalcedonensis executioni mandaretur, poenasque non leves tum in clericos, tum in laicos contumaces constituit. Unde in eodem concilio de illo sic scribitur (3): *Ecclesiasticorum canonum voluit esse executor, non conditor, non exactor. Tuitio autem canonum sententiam* (4) *aliquo pacto egredi non debet, alioquin irritum est, & inane quodcumque Principis edictum adversus canones in rebus ecclesiasticis latos. Unde Magistratus*, scribebat Joannes Petrus Gibert (5), *usurparent auctoritatem, quae sibi non competit si appellationes tamquam ab abusu admitterent, quum sententia, de qua appellans conqueritur, non est evidenter contraria legibus Ecclesiae, quia in hoc casu agitur de interpretatione canonum, quae non competit Principi: legis interpretatio pendet ab eo, qui ejus ferendae auctoritatem habet.*

(1) *Tractatu de l'autorité des Rois touchant l'administration de l'Eglise.*
(2) *Can.* 26. *causa* 23. *q.* 5.
(3) *Act.* 4.
(3) *De Marca cap.* 1. *n.* 296.
(5) *Tit.* 3. *sec.* 8. *primae partis.. Prolegom. ad jus can.*

ARTICULUS IV.

Quaenam Ecclesiae potestas competat in actus interiores.

SUMMARIA

1. *Lex civilis actus tantum exteriores, Ecclesiastica interiores quoque comprehendit.*
2. *Variis modis considerari possunt actus interni.*
3. *Duplici modo praecipi, vel prohiberi possunt actus interni.*
4. *Lex duplex est, alia mere directiva, alia coactiva.*
5. *Lex Ecclesiae coactiva non extenditur ad actus mere internos.*
6. *Proponitur objectio.*
7. *Objectioni respondetur.*
8. *Ecclesia praecipere potest actus internos per se conjunctos cum externis.*
9. *Ecclesia praecipere potest actus internos per accidens conjunctos cum externis.*
10. *Ecclesia lege directiva praecipere potest actus mere internos, idque ostenditur ex sacris litteris.*
11. *Id ipsum ratione evincitur.*
12. *Objectio proponitur.*
13. *Objectioni respondetur.*

1. Quum objectum, & finis legis civilis sit felicitas subditorum temporalis; ecclesiasticae autem felicitas supernaturalis, ut supradictum est,

Digitized by Google

lex civilis non poterit praecipere, vel prohibere actus internos, qui ad felicitatem temporalem nil conferunt, sed tantum exteriores; unde qui mala intentione ea, quae legis sunt, facit, puta tributa solvit, non peccat in legem humanam, nec a Magistratibus punitur (1). Praeclare S. Thomas (2): *Legis humanae finis*, inquit, *est temporalis tranquillitas civitatis, ad quem finem pervenit lex cohibendo exteriores actus, quantum ad illa mala, quae possunt perturbare pacificum statum civitatis*. At cum actus interni, et externi maxime conducant, immo et sint necessarii ad felicitatem supernaturalem consequendam, hinc lex ecclesiastica non solum exteriores, verumetiam interiores praecipere, vel prohibere potest. Magna tamen quaestio est inter Theologos, num actus internos lex ecclesiastica directe, vel indirecte attingere possit, pro qua enucleanda aliqua sunt praemittenda.

(1) *L.* 18. *de poenis*, *l.* 225. *de verb. signif.*

(2) 1. 2. *q.* 98. *art.* 1.

2. Praemittendum est primo actus internos posse considerari dupliciter, uno modo prout sunt sejuncti ab externis, ut oratio pure mentalis: secundo modo prout sunt cum externis conjuncti. Conjuncti autem esse quoque possunt dupliciter per se, & per accidens; per se, quatenus vel sunt causa actus externi in specie morali constituti, sic efficax stipem erogandi voluntas est causa per se eleemosynae, vel quatenus sunt conditio necessario requisita, ut actus exterior in specie morali constituatur: sic attentio interna in horarum recitatione, & dolor internus in confessione sunt conditio necessario requisita, ut recitatio horarum sit oratio, & confessio sit sacramentalis. Per accidens autem conjunguntur, quando interni actus non sunt necessarii ad moralitatem actus exterioris; ita ut actus externus ab interno sejunctus non desinat esse moralis. Sic finis avertendae publicae calamitatis per accidens se habet in oratione, vel jejunio; oratio enim, & jejunium eo sublato fine, & intentione non desinunt esse actus moralis.

3. Praetermittendum secundo actus internos praecipi, vel prohiberi posse directe, vel indirecte: directe scilicet, quando praecipiuntur, vel prohibentur seorsim ab externis: indirecte vero, quando praecipiuntur, vel prohibentur una cum externis.

4. Praemittendum tertio legem aliam esse mere directivam, quae aliquid praecipit, vel prohibet, sed nullam imponit transgressoribus poenam, aliam directivam simul, et coactivam, quae non solum praecipiens est, vel prohibens, sed ulterius poenam comminatur, vel infligit. His positis.

5. Dico primo Ecclesiam lege coactiva non posse praecipere actus mere internos sejunctos nempe ab externis. Id constat primo ex S. Thoma, qui (1) inquit: *De his potest homo legem facere, de quibus potest*

Digitized by Google

judicate. Judicium autem hominis non potest esse de interioribus actibus qui latent, sed solum de exterioribus motibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in utrisque actibus homo rectus existat; et ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus. ubi attendendum illud *to sufficienter*, quasi diceret lex humana non potest cohibere, et ordinare interiores actus sufficienter, quia eos cohibere, & ordinare non potest per poenam. Quamvis enim praeceptum possit ordinare interiores actus, eos tamen cohibere sufficienter non potest, nisi accesserit & poena. Hinc in jure canonico (2) dicitur: *cogitationis poenam nemo patitur*. Constat secundo ex consuetudine, & praxi Ecclesiae, quae numquam censuras, et poenas inflixit in actus mere internos.

(1) 1. 2. *q.* 91. *art.* 4.

(2) *Can.* 14. *de poenit. dist.* 1.

6. Dices: Ecclesia nullum judicium instituere potest de actibus externis omnino occultis, & tamen in eos poenam infligit; ergo poterit quoque in actus mere internos poenam decernere.

℟. Actus externos occultos esse per se, & natura sua manifestos, & per accidens occultos defectu scilicet testium. Ergo, quum lex non respiciat id, quod est per accidens, sed id, quod est per se, poterit praecipere, vel prohibere actus externos occultos, qui per se, & natura sua sunt manifesti. At actus mere interni per se, & natura sua occulti sunt; unde nil mirum, si lex eos attingere non possit per legem coactivam.

8. Dico secundo Ecclesiam posse praecipere actus internos, qui sunt per se conjuncti cum actibus externis. Enimvero Ecclesia habet jus praecipiendi actus exteriores, quia id maxime conducit ad rectam gubernationem, commune religionis bonum, & Dei cultum; ergo habet jus praecipiendi quoque actus internos, qui per se conjunguntur cum externis, quia sine his actus externi nihil conferrent ad rectam gubernationem, & religionis bonum, & Dei cultum, sic sine voluntate efficaci stipem erogandi, vel jejunandi, eleemosynae, vel jejunii actus exterior non esset vera eleemosyna, vel jejunium; sic sine dolore interno confessio non esset veri nominis confessio, nec sine attentione interna recitatio horarum esset veri nominis oratio; ideoque isti actus exteriores sine internis nil conferrent ad rectam gubernationem, bonum religionis, & Dei cultum; hinc Alexander VII. hanc damnavit propositionem: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae*: & Innocentius XI. hanc aliam: *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

9. Dico tertio Ecclesiam praecipere posse actus internos, qui per accidens conjunguntur cum externis. Etenim Ecclesia habet jus praecipiendi, ut fideles orationes fundant, vel jejunent ob finem avertendae publi-

Digitized by Google

cae calamitatis, vel pacis inter Principes conciliandae; haec enim potestas Ecclesiae maxime necessaria est ad bonum publicum, tum religionis, tum reipublicae promovendum; atqui finis avertendae publicae calamitatis, vel pacis inter Principes conciliandae est actus internus, qui per accidens solum conjunctus est cum externo, quia sine eo fine consistit vera oratio, jejunium, &c. Ergo &c. Deinde Ecclesia prohibere potest actum internum, qui per accidens tantum conjungitur cum externo: sic (1) Ecclesia prohibet sub poena excommunicationis Monacho, ne se conferat ad curiam absque Praelati licentia animo Praelatum accusandi; & (2) prohibet quoque inquisitoribus, ne odio, vel amore, & cupiditate lucri omittant contra reum procedere. Atqui animus accusandi Praelatum, & odium, vel amor lucri per accidens tantum conjunguntur cum actu externo; potest enim Monachus accedere ad curiam sine animo accusandi, & inquisitor omittere inquisitionem sine odio, vel amore lucri; ergo praecipere quoque poterit actum internum, qui per accidens conjungitur cum externo.

(1) *Clem.* 1. *de statu Monach.* §. *quia vero*.

(2) *Clem.* 2. *de haereticis.*

10. Dico quarto: Ecclesiam praecipere quoque posse lege mere directiva actus mere internos. Haec propositio, in qua maxime dissentiunt Theologi, sic ostenditur: verba haec: *Qui vos audit* (1) *me audit*: tum haec alia: *Obedite* (2) *praepositis vestris*, generalia sunt. Ergo, quum ratio non appareat, quae contrarium evincat, erunt ad actus, tum externos, tum mere internos extendenda. Sane potestas solvendi, ligandique Ecclesiae concessa (3) juxta omnes ad actus mere internos extenditur, cur non & potestas praecipiendi?

(1) *Lucae* 10. *v.* 16.

(2) *Hebraeorum* 13. *v.* 17.

(3) *Math.* 16. *v.* 19.

11. Idipsum quoque ratione ostenditur. Ecclesia potestate instructa est ea praescribendi, quae maxime conducunt ad salutem aeternam consequendam; atqui actus mere interni sunt potissima media, quibus ea comparari potest. Ergo, nisi dicas futilem esse hanc potestatem, fatearis necesse est hanc Ecclesiae inesse potestatem. Deinde Ecclesiae potestas potissimum spiritualis est in animarum salutem. Ergo attingere poterit actus mere internos, a quibus praecipue pendet animarum salus.

12. Objicies. *De his*, inquit S. Thomas (1), *potest homo legem facere*, *de quibus potest judicare*; atqui, inquies, Ecclesia judicare non potest *de interioribus actibus* (2), et occultis (3); sed solum de manifestis (4). Ergo de interioribus actibus non poterit leges ferre.

(1) 1. 2. *q.* 91. *art.* 4.

(2) *S. Thomas ibid.*

(3) *Cap.* 33. *de simonia.*

(4) *Ibid. cap.* 34.

Google

13. Respondeo S. Thomam, sicuti & nobis objecta capitula intelligenda esse de judicio forensi, & coactivo; ita ut Ecclesia non possit testes citare &c., ut puniat delinquentem, ipsam tamen posse expendere actus mere internos, an boni, vel mali sint; ideoque an sint per legem praecipiendi, vel prohibendi; alioquin inde sequeretur, quod sicut Ecclesia actus exteriores occultos non potest judicare; ita neque de his legem sancire poterit, quod non concedunt adversarii.

ARTICULUS V.

An lex humana extendatur ad praeterita negotia, an ad omnes actus futuros.

SUMMARIA

1. *Lex non extenditur ad praeterita quoad culpam, & poenam proprie dictam.*
2. *Lex non extenditur ad praeterita quoad eorum rescissionem.*
3. *Haec regula unicam patitur exceptionem.*
4. *Alii varias exceptiones tradunt, & primo in lege; qua illegitimi declarati sunt irregulares, sed perperam.*
5. *Secundo in lege anteriores leges civium improbitate, aut injuria neglectas renovante; sed non placet.*
6. *Tertio in lege veterem declarante, sed non arridet.*
7. *Lex praescribens novam formam personis institutis comprehendit personas ante illam legem institutas.*
8. *Ex his aliqua inferuntur.*
9. *Lex futura negotia, non pendentia respicit, nisi id in lege exprimatur.*
10. *Lex humana prohibere non potest omnia vitia.*
11. *Peccant ii, qui Magistratus carpunt aliqua mala in Republica tolerantes.*
12. *Lex humana omnes virtutes praecipere non potest.*
13. *Lex humana per se praecipere, vel prohibere non potest actus indifferentes.*

1. Dum inquiritur, an lex humana ad praeterita negotia extendatur, illud in primis exploratum esse debet eam extendi non posse quoad culpam, ea scilicet culpabilia reddendo; enim vero actus praeteritus praecipi, non potest, quia nequit praecipi, ut fiat id, quod jam factum est, sed quod est faciendum; unde nullâ extante lege quoad actus praeteritos, nulla poterit esse culpa, ideoque nulla poena proprie dicta, quae in vindictam culpae infligitur. Dixi poena proprie dicta: quia inhabilitas aliqua, & irregularitas, quae non in vindictam culpae, sed alia de caussa indicitur, etiam ob actus inculpabiles imponi potest. Sic irregularitas ad ordines, et beneficia illegitimis imposita (1) comprehendit etiam eos, qui ante legem erant illegittimi.

(1) *Cap. 1. & ult. de filiis Presbyterorum.*

Digitized by Google

2. Illud secundo exploratum quoque esse debet legem non extendi quoad eorum rescissionem ad praeterita negotia, qualia sunt contractus jam initi, vel revocationem, ut sunt jura jam quaesita. Idque constat ex jure ecclesiastico (1), civili (2), & regio (3); et ratio suffragatur. Nam magna oriretur in Republica confusio, si actus, qui secundum legem veterem sunt gesti, per novam everterentur. Ex quo consequens est prae oculis habendas esse leges, quae vigebant, dum contractus initi sunt, vel jura quaesita, non vero vigentes tempore motae litis (4).

(1) Leges, & constitutiones dare formam futuris, non ad praeterita facta trahi *cap. ultim. de constit.*

(2) Leges, & constitutiones certum est futuris formam dare negotiis, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim, & de praeterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum sit, *l. 7. cod. de leg.*

(3) Non si intenderà derogato con queste (*costituzioni*) alla validità degli atti, che si troveranno pendenti nel tempo, che le medesime dovranno avere la loro osservanza. *R. Constit. §. 7. in proemio.*

(4) *L. 29. cod. de testamentis.*

3. Tradita nunc regula hanc unicam patitur exceptionem, scilicet nisi nominatim caveatur de praeteritis negotiis, quo in casu etiam ad ea extenditur. Exemplum nobis suppeditat pactum commissorium in pignoribus, quod Constantinus (1) etiam quoad tempus praeteritum reprobavit *jubendo creditores re amissa recuperare debere quod dederunt.* Caeterum legislator non debet actus jam gestos rescindere, nisi iniquitatem contineant, uti erat pactum supradictum commissorium; vel bonum publicum postulet, ut rescindantur; *Quid enim,* bene Justinianus (2), *peccavit antiquitas, quae praesentis legis inscia pristinam secuta est observationem?*

(1) *L. ult. cod. de pactis pignorum.*

(2) *L. 29. cod. de testamentis.*

4. Non desunt jurisconsulti, qui alias tradunt exceptiones. Et primo exemplum ponunt in lege, qua illegitimi declarati sunt irregulares (1), ajentes hanc legem extendi ad praeterita, quia eos etiam comprehendit, qui ante legem erant illegitimi. At si lex haec, ut & aliae similes, extendantur ad praeterita, etiam lex, qua ex. gr. vetatur armorum gestatio, praeterita respiciet; quia scilicet comprehendit non solum nascituros, sed & natos ante eam legem.

(1) *Cap. 1. & ult. de filiis Presbyterorum.*

5. Exemplum aliud ponunt in lege anteriores leges civium improbitate, aut injuria neglectas renovante (1); sed nec haec lex ad praeterita extenditur, sed solum declarat consuetudinem contra legem esse corruptelam; ideoque anteriorem legem semper in suo robore mansisse, semper-

que obligasse; licet ejus obligatio fuerit neglecta.

(1) *L. penult.*, & *ult. cod. de incest. nupt. cap.* 19., & 40. *de Simonia*.

6. Tertium exemplum constituunt in lege veterem declarante (1). Verum in hoc casu lex vetus non extenditur ad praeterita, sed solum per legem novam declaratur aliquos actus legem veterem subsequentes in ea comprehendi; & aliunde lex declaratoria, quatenus talis est, non est proprie lex; quia de ratione legis est esse regulam agendi: at declaratio non dirigit operationem, sed solum manifestat legem dirigentem, manifestat scilicet id, quod absconditum, & abstrusum est; sicuti qui granum sub aristis latens de spica excuteret (2).

(1) *L.* 11. *cod. de nat. liberis cap.* 31. *de rescriptis, cap.* 32. *de praebend. in* 6.

(2) *L. Adeo* §. *ut videtur ff. de aquir. rerum domin.*

7. An lex praescribens novam formam personis institutis, vel vocatis ad fideicommissum comprehendat personas institutas, vel vocatas ante eam legem.

℟. Comprehendere, modo nondum evenerit vocationis casus, nec successio aperta fuerit. In hoc enim casu lex praeterita non dirigit, sed solum actus futuros. Hinc sacerdotes habentes fratres seculares non succedunt fideicommisso, etiamsi ad illud vocati fuissent ante R. Constitutionem his verbis conceptam (1): *Alle primogeniture, e fidecommissi non si intenderanno chiamati quelli, che non saranno per il riguardo del proprio stato, nel caso di tramandare anche i beni a' discendenti, secondo il loro grado rispettivamente*.

(1) *Lib.* 5. *tit.* 2. §. 6. *R. Const.*

8. Ex his consequitur statutum, ne filia dotata succedat, comprehendere filias dotatas ante statutum, nondum successione aperta: & statutum, ne foeminae succedant stantibus masculis, ad jam natas extendi: & statutum, ut vir lucretur dimidiam partem dotis uxoris comprehendere uxorem nuptam ante statutum, & mortuam post statutum.

9. An lex non tantum futura, sed etiam pendentia negotia respiciat.

℟. Non respicere, nisi de pendentibus caveatur. Idque constat etiam ex jure civili (1), et Regio (2). At in hoc casu ea, quae judicis sententia decisa sunt, vel partium conventione transacta, non comprenduntur (3).

(1) *L.* 7. *cod. de leg.*

(2) §. 7. *in praefat. jam citat. R. constit.*

(3) *L.* 17. *cod. de fide instrum.*, *l. ult. cod. de legitimis haered. Nov.* 19. *in praefat.*

10. An lex humana prohibere possit omnia vitia.

℟. Non posse; non quod, ut ajunt plerique, vitare omnia vitia sit solum perfectorum; tenemur enim omnes, & singuli omnia vitia vitare; quia omnes, & singuli id absolute possumus; sed quia, quum legislator

praevideat hanc legem a plerisque violandam fore: experientia enim constat majorem hominum partem vitiis esse addictam; hinc hujusmodi lex non tenderet certe ad bonum commune, quod legis finis esse debet, sed potius exitialis, & perniciosa foret majori hominum parti; proprium ergo esse debet legis humanae ea prohibere vitia, quae grave scandalum, vel nocumentum communitati afferre possunt; puta, quae Reipublicae ordinem, & pacem labefactant, ut proditiones, homicidia, furta, & caetera, quae mutuam civium cum civibus communicationem avertunt, minora autem dissimulare, & tolerare. Hinc prudens legislator in lege ferenda attendere debebit ad locorum, temporum conditionem, morum varietatem &c.; ne ex minoris mali coërcitione graviora inde mala, & scandala suboriantur.

11. Quare male se gerunt ii, qui in Magistratus invehunt, eo quod aliqua mala lata lege non prohibeant, sed potius tolerent; tum etiam ii, qui, cum videant aliqua publice tolerari, inde concludunt id licitum esse, atque honestum. Enimvero, sapienter scribit s. Augustinus (1): „ legem istam, quae regendis civitatibus fertur, recte multa concedere, atque impunita relinquere, quae per divinam omnipotentiam vindicantur. "

(1) *Lib. 1. de lib. arb. cap. 5.*

An lex humana possit praecipere, vel prohibere actus indifferentes.

13. ℟. Non posse per se loquendo; nam objectum legis humanae sunt actus humani, prout conducunt ad bonum commune, vel ab eo avertunt; sed actus secundum se indifferentes, & in indifferentiae specie sistentes, nec conducunt ad bonum commune, nec ab eo avertunt; quum homines nec bonos, nec malos efficiant; ergo non possunt esse objectum legis.

Dixi per se loquendo; nam actus per se indifferentes in quibusdam circumstantiis possunt revera ad bonum commune conducere, vel ab eo avertere; sic ex. gr. armorum gestatio secundum se est aliquid indifferens; tamen attenta regionum qualitate, & civium indole potest revera avertere a bono communi; & ideo potest per legem humanam prohiberi.

CAPUT IV.

De legis subjecto.

Hujus capitis quatuor erunt articuli, in quorum primo sermo instituetur de Principibus, infidelibus, pueris, & amentibus. In secundo de Regularibus, an, & in quibus Episcopis subjaceant. In tertio de Clericis, num scilicet legibus civilibus subjiciantur. In quarto de peregrinis, vagis, & advenis.

Google

ARTICULUS I.

An Princeps suis legibus teneatur.

SUMMARIA

1. *Omnes in territorio existentes legibus territorii subjiciuntur.*
2. *Justus humanis legibus obligatur.*
3. *Princeps non absolutus legibus a se latis tenetur quoad vim directivam, & coactivam.*
4. *Princeps nullo modo obligatur legibus sibi non convenientibus.*
5. *Princeps absolutus propriis legibus obstringitur quoad vim directivam, non vero quoad vim coactivam; atque prima pars ostenditur jure canonico.*
6. *Probatur deinde ex jure civili.*
7. *Tertio ostenditur ex ratione.*
8. *Obligatio, qua Princeps tenetur suas leges servare, oritur a lege naturali, non vero a lege humana.*
9. *Peccat Princeps pro ratione materiae, si suas leges non impleat.*
10. *Secunda pars ostenditur.*
11. *Princeps tenetur legibus regni fundamentalibus.*
12. *An, & quomodo Generales ordinum regularium legibus teneantur, pendet ex eorumdem ordinum constitutionibus.*
13. *Infideles Ecclesiae legibus non subjiciuntur, bene vero divinis.*
14. *Haeretici Ecclesiae legibus ligantur.*
15. *Pueri nondum rationis capaces legibus subjecti non sunt.*
16. *Pueri usu rationis pollentes obligantur legibus eorum aetati congruentibus.*
17. *Pueri nondum septennes, licet usu rationis polleant, legibus humanis non ligantur.*
18. *Amentes naturali, neutiquam humanae legi subjiciuntur.*

1. Dum inquiritur, quinam legibus humanis sint subjecti, communiter responderi solet omnes in territorio, in quo lex lata est, existentes (1), quacumque fulgeant dignitate (2), nisi privilegio aliquo eximantur, legibus obnoxios esse; quia tamen speciales occurrunt difficultates circa eos omnes, qui in territorio existunt; ideo has examinandas suscipimus.

(1) *Argumento leg. ult. ff. de jurisdict. cap. 2. de const. in 6.*

(2) *L. 10. cod. de leg.*

2. An justus legibus humanis obligetur.

℟. Non defuerunt plures, qui vel Christianos omnes, vel saltem justos a quavis lege humana liberos esse docuerunt; at turpiter errarunt. Quid enim sibi voluit Apostolus cum scripsit ad Romanos (1): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: vel ad Titum (2): *admone illos Principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire. Si omnis anima*, ergo non solum infidelis, sed Christianus omnis, ideoque etiam justus potestatibus sublimioribus, earumque propterea legibus obtemperare debet. Et si ex

Apostoli praecepto monendi erant a Tito fideles, ut Principibus, & potestatibus essent subditi, jam evidens est justos quoque legibus Principum teneri obtemperare, quia eo tempore major fidelium pars justitiam sectabatur.

(1) *Cap.* 13. *v.* 1.

(2) *Cap.* 3. *v.* 1.

Neque dicas justos teneri quidem legibus quoad vim directivam, non vero quoad vim coactivam. Nam primo testimonia divi Pauli generalia sunt, ergo intelligi debent non solum de vi directiva, sed etiam coactiva. Deinde illi subjiciuntur legibus humanis quoad vim coactivam, qui deficere possunt. Siquidem qui deficere possunt, a legislatore possunt, & quandoque debent puniri; atqui homines etiam justi deficere possunt: ergo quoad vim coactivam etiam humanis legibus subjiciuntur.

Quando ergo scripsit Apostolus (1): *Lex justo non est posita*, nil aliud voluit innuere, quam justum non agere ex timore legis, sed ex amore justitiae, justus enim quatenus justus non invitus, & quasi coactus poenarum metu, sed potius voluntarie amore virtutis, & justitiae ad servandam legem inducitur.

(1) 1. *ad Timoth. cap.* 1. *v.* 9.

Similiter quando idem Apostolus scripsit (1): *Non estis sub lege, sed sub gratia* non exemit fideles a quavis lege, sed solum a lege Mosaica.

(1) *Ad Rom* 6. *v.* 14.

An legislator propriis legibus teneatur.

3. ℟. Primo, in statu Aristocratico, in quo summa potestas est penes Optimates, vel Democratico, in quo est penes populum, Legislatorem teneri legibus, tum quoad vim directivam, tum quoad vim coactivam: quum enim in hoc casu legislator non habeat absolutam potestatem, leges, quas inde condit, latae, vel probatae censentur ab ipsa communitate. Porro communitas superior est singulis ejusdem partibus eam constituentibus. Et in hoc conveniunt Theologi.

4. ℟. Secundo, conveniunt pariter Theologi, Legislatorem neque quoad vim directivam, neque quoad vim coactivam teneri legibus, quarum materia ipsi non convenit. Hinc si prohibuerit venationem, aut gladii gestationem, Princeps ab hisce legibus immunis erit propter ejus dignitatem.

5. ℟. Tertio, in statu Monarchico, in quo summa potestas est penes unum, Legislatorem, seu Principem absolutum propriis obstringi legibus quoad vim directivam, non vero quoad vim coacticam. Prima pars constat tum jure Canonico, tum jure Civili, tum ratione. Ex jure Canonico (1): *Quum igitur, quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo, & sapientis dicat auctoritas: Patere legem, quam ipse tuleris, mandamus &c.*. Quare s. Ambrosius (2) Imperatorem Valentinianum sic affa-

Google

tur: *Quodcumque praescripsisti aliis, praescripsisti tibi; leges enim Imperator fert, quas etiam primus ipse custodiat.*

(1) *Cap. 6. extra de constit.*

(2) *Ep. 32.*

6. Ex jure civili. Theodosius, & Valentinianus professi sunt se velle legibus obtemperare: *Digna*, ajunt (1), *vox est majestate regnantis legibus se alligatum profiteri ....., & oraculo praesentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus.* Quare declararunt se nunquam recepturos haereditatem sibi relictam, si aliqua defuisset conditio jure Civili praescripta (2); nec integra velle legata, quin ab eis detraheretur Falcidia (3); quia tamen Principis dignitas exigit, ut quibusdam gaudeat privilegiis supra subditos, hinc varia sibi servarunt privilegia, ut videre est in pluribus legibus (4).

(1) *L. 4. cod. de leg.*

(2) *§. ult. instit. quibus modis testam. infirm.*

(3) *L. 4. cod. ad legem Falcidiam.*

(4) *L. 34. cod. de donat. l. 56. ff. de legat. 2. l. 2. cod. in quibus causis pignus. L. Fiscus 6. de jure fisci.*

7. Ratione demum, quia aequitas naturalis postulat, ut consentiat caput cum suis membris. Si enim *turpis est*, ut ait Augustinus (1), *omnis pars suo universo non congruens*; quanto magis ipsum caput. Deinde si quilibet civis tenetur per legum observantiam bonum commune procurare; quanto magis ipse Princeps.

(1) *Lib. 3. confes. cap. 8.*

8. Ex hac ratione quisque colligere potest obligationem, qua Princeps obstringitur ad suas leges implendas, ortum non ducere a lege humana; quia nemo sibi superior, & inferior esse potest, sed dumtaxat a lege naturali, supposita tamen lege humana.

9. Hinc graviter peccat Princeps, qui etiam secluso scandalo, sine tamen justa caussa leges proprias, in materia gravi non servat; agit enim contra aequitatem naturalem, bonum commune, & proprium officium. Unde graviter peccaret summus Pontifex, si jejunium aliis praescriptum non servaret, & Episcopus, si die festo a se instituto Missam non audiat.

10 Secunda pars etiam evidens est. A quo enim cogeretur ad suas leges implendas Legislator absolutus, non a se ipso; quia nemo respectu sui ipsius potest esse volens, & repugnans; non ab alio, quia superiorem non agnoscit. Haec quoque ratio ostendit Principem non teneri legibus sui antecessoris. His adde, quod par in parem nullam habet potestatem (1).

(1) *L. penult. de receptis l. 13. §. 4. ad Sen. cons. Trebellianum cap. 20. de elect.*

11. An Princeps regni legibus teneatur, ut ajunt, fundamentalibus.

℟. Teneri. Neque enim in potestate Principis esse debet jura totius regni evertere; hinc in R. constit. (1) cautum est hisce verbis. *Rinnovando la disposizione degli editti de' nostri Predecessori stabiliamo in forza*

di legge universale, e perpetua, che non si possa da noi, nè da' nostri successori donare, concedere, o in qualsivoglia modo alienare a qualunque persona, niuna esclusa, nè riservata alcuna cosa del Demanio, e patrimonio nostro, o di detti nostri successori sì antico, che nuovo in piccola, o grande quantità, e ciò non solamente per donazione gratuita, o rimuneratoria, ma nemmeno per contratto oneroso.

(1) *Lib. 6. tit. 2. §. 1.*

12. An Generales Ordinum Regularium teneantur legibus congregationum generalium.

℟. Ex dictis facile colligi Generales Ordinum teneri legibus congregationum generalium quoad vim directivam. Si enim quoad hanc vim Principes tenentur suis legibus, cur non Generales legibus congregationum generalium? An vero teneantur quoad vim coactivam, id pendet ex constitutionibus cujuscumque ordinis; in quibusdam enim subjiciuntur Capitulo, seu congregationi generali, non autem in aliis.

13. An infideles Ecclesiae legibus subjaceant.

℟. Primo infideles non baptizatos non esse subjectos legibus Ecclesiae. Nam infideles extra Ecclesiam sunt, quum nemo eam ingrediatur, nisi per baptismum; ergo legibus Ecclesiae soluti sunt (1); scribente Apostolo (2): *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* quare non peccat infidelis carnes diebus ab Ecclesia vetitis comedendo, nec peccat fidelis eas subministrando, modo infidelis in contemptum Ecclesiae non petat. At aliter disserendum de legibus evangelicis. Voluit enim Christus, ut suum evangelium omnibus gentibus promulgaretur, & proinde omnes baptizarentur (3), & evangelicam legem susciperent (4).

(1) *Cap. 8. de divortiis.*

(2) 1. *Corinth. cap. 5. v. 12.*

(3) *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Matth. 28. v. 19.

(4) *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui non crediderit condemnabitur.* Matth. 16.

14. ℟. Secundo infideles baptizatos, haereticos scilicet legibus Ecclesiae ligari. Etenim haeretici per baptismum subditi Ecclesiae facti sunt; ergo ejus legibus subjecti; & sicuti ex Apostolo (1): Quilibet homo se circumcidens *debitor* evadebat *universae legis* Mosaicae; ita quilibet baptizatus totius legis Ecclesiasticae debitorem se constituit.

(1) *Ad Gal. cap. 5. v. 3.*

An pueri legibus humanis sint obnoxii.

15. Certum est primo pueros, qui nondum ad rationis usum pervenerunt, legibus humanis subjectos non esse.

16. Certum est secundo pueros completo septennio, si jam potiantur rationis usu, ligari legibus, quarum materia eorum aetati congruit. Unde tenentur diebus festis Missam audire, a carnibus abstinere, non tamen je-

junare propter necessitatem alimenti ad incrementum, nec communicare propter reverentiam huic sacramentò debitam, quae maturiorem exigit aetatem, & perfectius judicium.

17. An vero, si ante septennium pueri polleant rationis usu, legibus humanis ligentur, non una est Theologorum sententia. Communior, & probabilior est ea, quae docet eos non teneri. Primo quia lex respicit id, quod communiter contingit, communiter autem contingit, ut pueris solum circa septennium usus rationis illucescat. Secundo quia alioquin via scrupulis & continuis perplexitatibus aperiretur; quum admodum difficile sit cognoscere, num puer usum rationis attigerit, nec ne; tertio quia jam consuetudo invaluit, ut pueri ante septennium ad legum humanarum observantiam non adigantur.

An amentes legibus humanis sint subjecti.

18. ℞. Distinguunt plures inter perpetuo amentes, & amentes ad tempus; & hos, non autem illos, legibus subjectos volunt, quos parvulis comparant. Alii vero utrosque legibus subjiciunt, atque discrimen a pueris assignant, quod pueri suapte natura directionis incapaces sint; at perpetuo amentes adulti natura sua usu rationis potiuntur, & ex quodam solo accidenti eo privantur; unde non secus ac legem invincibiliter ignorantes legibus ligatos asserunt. Haec ratio non satis suadet, quare eorum arridet sententia, qui sentiunt amentes sive in perpetuum, sive ad tempus legibus non obstringi. Nam primo amentes quicumque pro tempore amentiae directionis incapaces sunt. Secundo quia Ecclesia leges condit ad spiritualem fidelium salutem; at amentes nullam ex legum observatione spiritualem utilitatem recipere possunt; unde mens Ecclesiae ea esse non videtur, ut eos obliget ad legum observantiam. Poterunt ergo amentes diebus vetitis carnes manducare, & sine peccato ab aliis subministrari. Aliter tamen sentiendum de ebriis, quia, quum ebrietas ferme semper sit voluntaria, aequum non est, ut ex ea commodum recipiant. Caeterum si ebrietas esset omnino involuntaria, non auderem peccati arguere eum, qui istis carnes subministraret, si cibo indigerent; quia Ecclesia leges suas intendit dirigere ad eos, qui ex his profectum spiritualem capere possunt.

Ergo, inquies, non peccabit qui carnes subministraret ei, qui legem jejunii ignoraret invincibiliter. Falleris; nam ignorans invincibiliter legem usu rationis pollet; unde alter debet potius ignorantem monere de lege jejunii, quam carnes subminiſtrare.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

An, & in quo subsint Episcopis Regulares.

SUMMARIA

1. *Regulares subsunt Episcopo quoad Sacramentorum administrationem, & primo quoad Baptismum.*
2. *Quoad Confirmationem.*
3. *Quoad Eucharistiam.*
4. *Quoad Poenitentiam.*
5. *Quoad Extremam unctionem.*
6. *Quoad Ordinem.*
7. *Quoad Matrimonium.*
8. *Quoad verbi Dei praedicationem.*
9. *Quoad publicationem indulgentiarum, appositionem insolitarum imaginum in Ecclesiis, expositionem novarum reliquiarum, & publicationem novorum miraculorum.*
10. *Quoad cantilenas, & laudes idiomate italico in eorum Ecclesiis.*
11. *Quoad observationem dierum festorum ab Episcopo indictorum.*
12. *Quoad erectionem Baldachini in accessu Episcopi ad eorum Ecclesias.*
13. *Quoad censurarum ab Episcopo inflictarum publicationem in suis Ecclesiis, earumdemque observationem.*
14. *Quoad caussas fidei.*
15. *Quoad nullitatem professionis.*
16. *Quoad erectionem confraternitatum.*
17. *Quoad processiones.*
18. *Quoad Eleemosynas.*
19. *Quoad Moniales.*
20. *Quoad delicta.*

1. Ut aliquo cum ordine procedamus, a Sacramentorum administratione initium sumimus. Et primo Regulares non possunt extra casum necessitatis administrare baptismum absque Episcopi, vel Parochi licentia; &, si id fecerint animo usurpandi, & acquirendi hoc jus suae Ecclesiae, incurrunt excommunicationem summo Pontifici reservatam (1).

(1) *Ex Trident. sess. 22. cap. 11.*

2. Secundo, etiamsi ex Regularibus unus sit Episcopus, non potest tamen etiam in propria Ecclesia administrare Sacramentum Confirmationis, absque venia Episcopi Dioecesani (1); e contra ipse Episcopus tam in visitatione, quam extra poterit idem Sacramentum conferre in Ecclesiis Regularium etiam non parochialibus ipsis invitis (2); & in contravenientes potest procedere per censuras, & poenas Ecclesiasticas (3).

(1) *Sess. 6. cap. 5. de reform. ex Tridentino.*

(2) *Clem. 2.* Archiep. *de privileg., qua derogatum est Canoni relato c. 18. q. 2. id etiam constat ex constit. Benedicti XIV. incipiente* Firmandis §. 6.

(3) *Ex decreto S. Congreg. Ep. & Reg., confirmato a Clemente VIII. penes Fagnanum lib. decret. cap. 7.* Quia nos *de auctoritate, & usu palii n. 19.*

3. Tertio, quamvis possint Regulares Sacramentum Eucharistiae administrare in suis Ecclesiis, tamen plures sunt casus, in quibus Regulares subsunt Episcopis quoad obser-

vanda, & vitanda in celebratione Missae (1). Unde non possunt Eucharistiam ministrare in suis Ecclesiis primo Resurrectionis die sine licentia Episcopi, vel Parochi; & si secus fecerint, excommunicationem ipso facto incurrunt Papae reservatam (2).

(1) *Ex Trident. sess. 22. de Sacrif. Missae; & ex decreto S. Congregr. 21. mart. 1643.*

(2) *Ex Decretali Clement. V. incipiente* Religiosi.

Immo Regulares non possunt benedicere sacra paramenta, & vasa pro Ecclesiis alienis; & si secus fecerint, potest Episcopus censuris in eos animadvertere (1).

(1) *Ex decret. S. Congr. die 27. septemb. 1659., & 20. julii 1660. confirmatis ab Alexandro VII.*

Circa Eucharistiae custodiam servanda est a Regularibus Decretalis Innocentii III. (1), qua statutum est, ut in cunctis Ecclesiis Sacrario, adhibitis clavibus honorifice, & fideliter conservaretur. *Et Regulares delinquentes contra Decretalem Innocentii III. non solum a suo Superiore Regulari, sed etiam ab Episcopo, cui tanti Sacramenti cura debet potissimum incumbere, corrigi, & puniri possunt, sicuti approbante Innocentio XIII. die 8. januarii 1724. rescriptum fuit a S. Congregatione Episc. & Reg.* (2).

(1) *Cap. 1. de custodia Eucharistiae.*

(2) *Verba sunt Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 9. cap. 15. n. 4.*

Regulares subsunt Episcopo quoad retentionem lampadis accensae ante altare, in quo asservatur Sanctissimum Sacramentum (1), nec illam possunt accensam retinere in choro (2); & duae saltem retineri debent ad hoc altare lampades accensae, si in alio una ardeat. Quare Archiepiscopus Rorà ita cavit (3): *Che ove vi ardano lampane a qualche Altare laterale, siavi sempre distinzione di numero maggiore di lumi accesi all' altare, ove è riposto il Santissimo Sacramento.*

(1) *Ex Trid. in decreto de evitandis in celebrat. Missae.*

(2) *Ex decreto S. Congr. 21. augusti 1699.*

(3) *In suis litteris datis 16. octob. 1768. pag. 24. n. 2.*

Episcopus Regularibus prohibere potest etiam per censuras, ne in suis Ecclesiis permittant Sacerdotibus exteris Missam celebrare, nisi prius ii ab eodem Episcopo, visis eorumdem litteris commendatitiis, admissi fuerint (1).

(1) *Ex decr. S. Cong. relatis a Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 9. cap. 15. n. 5.*

Nostra autem in Dioecesi in quibuscumque Ecclesiis etiam *Regularibus* ab Archiepiscopo Rorà felicis recordationis circa Missae celebrationem ab exteris ita cautum est (1): *Nulla exteris, ignotis, & vagis sacrum faciendi sit facultas, nisi Antistitis sui testimonium nobis jam probatum Ecclesiae Praefecto exhibeant; neque iter facientes admittantur; nisi*

Digitized by Google

proprii Episcopi litteras Vicario Foraneo, aut Parocho proferant. Haec autem Ecclesiae cujuscumque rectoribus praecipimus sub poena suspensionis.

(1) *Die* 14. *novemb.* 1768.

Non licet Regularibus *etiam in eorum propriis Ecclesiis Ss.Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex caussa publica, quae probata sit ab Ordinario: Ex caussa autem privata posse, dummodo Ss.Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, & sit velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit*. Verba sunt S. Congr. (1).

(1) *Penes Benedict. XIV. de syn. Dioec. lib.* 9. *cap.* 15. *n.* 4.

Non possuut Regulares absque Episcopi, vel Parochi venia laicis secularibus infirmis in eorum conventu hospitantibus Viaticum ministrare, &, si id fecerint, possunt ab Episcopo excommunicari (1).

(1) *Ex decret. S.Congr.* 19. *septemb.* 1631., *&* 3. *febr.* 1652.

Regulares nequeunt construere oratoria, vel cappellas in locis non exemptis sine licentia Episcopi, & Missas celebrare in iisdem (1).

(1) *Cap.* 4. *de privil. in* 6.

Non possunt pariter erigere altare portatile in domo privatorum, ut ut ibi celebrent, & contra facientes possunt ab Episcopis puniri; sicut nec possunt Viaticum deferre ad domos privatorum, vel etiam ad Regularem infirmum extra claustra degentem absque Episcopi, vel Parochi facultate (1).

(1) *S. Congr. Conc. in Messanensi* 28. *septemb.* 1698.

Regulares puniri possunt ab Episcopo, si Missam celebraverint in Oratoriis privatis domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die unam jam celebraverint a Pontifice ipsi concessam (1).

(1) *Ex decreto Clement.XI. de Orat. priv.* 15. *decemb.* 1703.

4. Quarto, quoad Sacramentum Poenitentiae in pluribus subduntur Episcopo; unde non possunt absque ejus approbatione confessiones secularium etiam in eorum conventibus hospitantium audire. Si vero fuerint approbati ad audiendas confessiones, non inde poterunt vi suorum privilegiorum absolvere a reservatis eidem Episcopo, & Episcopus potest ex informata conscientia eos suspendere ab audiendis confessionibus, licet indefinite approbatos a se ipso ex causa superveniente confessiones respiciente, quin teneatur eam ipsis Regularibus manifestare (1).

(1) *Ex const.Clem.X., cujus init.* Superna 21. *jun.* 1670.,*& ex const.Bened. XIV. incip.* Apostolicum ministerium 30. *maji* 1753.

Animadvertere quoque potest Episcopus in Regulares sigillum sacramentale violantes, vel paenitentes sollicitantes in confessione, vel docentes illos non teneri ad Confessarios sollicitantes denuntiandos (1).

(1) *Ex const.Greg. XV. incip.*Univ.

5. Quinto, Regulares non solum nequeunt, nulla petita ab Episcopo,

Google

vel Parocho venia, Sacramentum Extremae unctionis ministrare; verum etiam si id faciunt, praeter gravis culpae reatum, in excommunicationem incidunt sedi Apostolicae reservatam (1), sive illud ministrent extra conventum, sive in conventu secularibus ibi hospitantibus. Si tamen absente Parocho illud ministraverint aegroto constituto in mortis articulo non peccarent, neque praedictam poenam incurrerent, ut docet Benedictus XIV. (2). Quod dicimus de hoc Sacramento in casu necessitatis, illud extendendum erit ad Viaticum. Si enim in casu necessitatis administrari potest Unctio extrema, cur non & Viaticum; cum neutrum simpliciter necessarium sit ad salutem. Caeterum si Regulares Extremam unctionem administrarent extra casum necessitatis bona fide, vel ignorantia crassa, non autem affectata censuram non incurrerent, cum ea afficiat tantum praesumentes illam administrare sine licentia Parochi.

(1) *Clem. I. de privil.*

(2) *De syn. Dioec. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 7.

6. Quod ad Ordinis Sacramentum pertinet, Regulares non possunt ordinari nisi ab Episcopo Dioecesano, nisi forte hic absens sit, vel ordinationem non sit habiturus (1); quo in casu dimissoriae Superiorum Regularium nullius sunt valoris, & momenti, nisi illis adjecta fuerit authentica attestatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Segretarii ejusdem Episcopi Dioecesani, ex qua constet vel ipsum a Dioecesi abesse, vel Clericorum Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto (2).

(1) *Ex decr. S. Congr. sub Clem. VIII.*, *& ex Trident. sess.* 23. *cap.* 8. 11. 12. *&* 14.

(2) *Ex constit. Bened. XIV. incip.* Impositi nobis *edita die* 27. *feb.* 1747.

Quamvis Regulares juxta P. Gaudentium a janua vigore suorum privilegiorum absque novo indulto Apostolico possint ordinari extra tempora, non adstringitur tamen Dioecesanus Episcopus ad eosdem ordinandos extra tempora; neque ex hoc, quod eos nolit ordinare extra tempora, possunt Regulares alium Episcopum adire pro suscipiendis ordinibus, ut statuit Benedictus XIV. (1).

(1) *Citata constit.* Impositi nobis.

7. Demum ad Matrimonium, quod spectat, Regulares nec licite, nec valide absque Episcopi, vel Parochi licentia Matrimonio assistere possunt, & si id attentare praesumerent, suspensionem incurrerent ipso facto tamdiu duraturam, quamdiu videbitur Ordinario illius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat (1).

(1) *Ex Trident. sess.* 24. *cap.* 1.

Quid, si Regularis esset Parochus, subdetur ne Episcopo?

℟. Non subdi, si animarum curam exerceat in Monasterio, seu loco, ubi Abbates Generales, aut capita ordinum habent ordinariam, & principalem sedem (1), illud autem Mo-

Digitized by Google

nasterium tantum dicitur ordinariam, & principalem sedem habere, quod vel a constitutionibus Ordinis, vel a consuetudine ut tale praefinitur. Si vero neque constitutionibus, neque a consuetudine praefinitum sit, tunc dici debet illud quod Superior Generalis pro sua stabili residentia initio sui generalatus elegerit. Quod si facta semel electione variare praesumpserit, neque monasterium initio electum, neque alterum, ad quod etiam cum curia se transtulerit, gaudet privilegio ordinario, & principalis sedis (2).

(1) *Trident. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 11.

(2) *Benedictus XIV. in sua constit. incipiente* Firmandis.

Si autem in monasterio Superior Generalis ordinariam, & principalem sedem non habeat, subdetur Episcopo Parochus Regularis in pluribus. Et primo quidem, ut admittatur, & constituatur Parochus, Ordinarii consensus requiritur, & post admissionem in Parochum poterit Episcopus ipsum removere ab animarum cura, absque eo, quod Superiori Regulari teneatur aperire caussas judicii sui; vel, si eum removere nolit, poterit in Parochum Regularem decreta pronuntiare, poenasque statuere in iis omnibus, quae Sacramentorum administrationem concernunt, si delinquentem invenerit, vel in aliis, quae ad animarum curam pertinent; tum etiam in iis, quae ad populi aedificationem conferre, vel obesse possunt, non vero in iis, quae pertinent ad disciplinae regularis observantiam (1)..

(1) *Bened. XIV. in laudata constit.*

Subditur etiam Parochus Regularis Episcopo quoad visitationem Ecclesiae Parochialis; unde poterit visitare altare, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, ejusque tabernaculum: fontem baptisterii: confessionale Parochi: pulpitum, in quo Parochus concionem habet: sacram suppellectilem, & locum, ubi illa asservatur pro administrandis Sacramentis tam intra, quam extra Ecclesiam: omnia vasa sacra tam pro servandis particulis consecratis, quam pro oleis sacris: aquam baptisterii, vel aliam rite benedictam, sepulchrum, sepulturas, & coemeterium Parochiale: turrim campanariam, si adsint campanae, Parochiae: sacrarium (1).

(1) *Idem Benedictus in laud. const.*

Quoad animarum curam, & Sacramentorum administrationem Episcopi jurisdictioni subsunt Ecclesiae Parochiales etiam fratrum militum s. Joannis Hierosolymitani (1).

Ex constit. s. Pii V. incipiente: Exposcit 22. *septemb.* 1571.

8. Subsunt insuper Regulares Episcopo quoad verbi Dei praedicationem; unde in propriis Ecclesiis praedicare non possunt sine Episcopi benedictione; in alienis vero praeter suorum Superiorum licentiam sine ejusdem Episcopi approbatione (1); quam tamen approbationem, & li-

Digitized by Google

centiam ob rationabiles caussas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere possunt Episcopi (2). Possunt insuper Episcopi prohibere, ne Regulares conciones habeant etiam in propriis Ecclesiis, ea hora, qua ipsi per se ipsos praedicant, vel coram se praedicare faciunt, convocatis Clero, & populo (3). Eadem prohibitio fieri iisdem potest etiam extra relatos casus, si judicarent in aliquo loco propter bonum publicum expedire, ne praedicarent eadem hora, qua in alia Ecclesia habetur concio (4).

(1) *Ex Trid. ses. 5. cap. 2. & ses. 24. cap. 4. de reform.*

(2) *Ex const. Clem. X.* Superna *21. jun. 1670.*

(3) *S. Cong. pluries, & praesertim die 10. mart. 1645.*

(4) *S. Cong. die 14. mart. 1773., & Bened. XIV. const.* Etsi minime §. Praeterea.

9. Regulares indulgentias publicare nequeunt absque consensu, & licentia Episcopi (1).

(1) *Sess. 21. de reform. cap. 9. ex Trident., & ex decr. S. Congr. 10. novemb. 1640.*

Non possunt pariter Regulares insolitas imagines in suis Ecclesiis apponere, novas reliquias exponere, ac novorum miraculorum publicationem sine Episcopi approbatione facere (1).

(1) *Ex Trid. in decr. de invoc. &c. ses. 25.*

10. Episcopus Regularibus prohibere potest, ne in eorum Ecclesiis canantur cantilenae, & laudes idiomate italico (1).

(1) *Ex decr. S. Congr. in Hispalensi 24. nov. 1696.*

11. Regulares tenentur observare dies festos ab Episcopo Dioecesano indictos (1), non tamen tenentur servare jejunium ab Episcopo indictum, ut docet Benedictus XIV. (2), quum in ordine ad jejunia a Tridentino, & summis Pontificibus Regulares non fuerint suppositi jurisdictioni Ordinarii.

(1) *Ex Trid. sess. 25. cap. 12.*

(2) *De synod. Dioec. lib. 13. cap. 4. n. 6. & 7.*

12. Episcopo accedenti ad Ecclesias Regularium tenentur Regulares baldachinum erigere, eique debita obsequia praestare; quod si non fecerint, poterit Episcopus absque alia monitione eorum Ecclesiam interdicere (1).

(1) *Ex decr. S. Congr. in Venafrana 26. januar. 1697.*

13. Regulares tenentur ex mandato Episcopi censuras publicare in suis Ecclesiis; & tenentur interdicta observare, quae Episcopus promulgavit (1), etiamsi milites Hierosolymitani sint (2).

(1) *Ex Trid. ses. 25. cap. 12., & Clem. I. de sent. exc.*

(2) *Ex decr. S. Congr. in Genensi mense novemb. 1584., & Ventimiliensi mense decemb. 1586.*

14. Subjiciuntur Episcopo Regulares quoad caussas fidei (1).

(1) Ex *Trid. sess. 5. cap. 2. de reform., ex const. Pauli V.* Romanus Pontifex *1. septemb. 1606.*

Digitized by Google

15. Episcopus judicium ferre potest super praetensa nullitate professionis, una cum eorum Superiore locali tamquam conjudice; & si agatur de Monialibus una cum Superiore monasterii, cui universum illius regimen commissum est ex decreto Tridentini (1); quod decretum teste Fagnano (2) sacra Congregatio declaravit locum habere, sive professus nullitatem alleget, sive religio velit illum expellere tamquam nulliter professum.

(1) *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus*, *& const. Bened. XIV.* si datam 4. *mart.* 1748.

(2) *In cap.* 19. Grave gerimus *de offic. Ordin. n.* 72.

16. Non possunt Regulares confraternitates erigere in suis Ecclesiis absque consensu Ordinarii (1); &, si erectae fuerint de Ordinarii consensu in eorum Ecclesiis, poterit idem Ordinarius altaria, in quibus erectae sunt, visitare, & cogere administratores bonorum earumdem ad reddendam rationem, &, si invenerit culpabiles, eos punire (2).

(1) *Ex const. Clem. VIII.* Quaecumque 7. *decemb.* 1604.

(2) *Ex Trid. ses.* 22. *cap.* 8. *&* 9. *de reform.*, *& ex decr. sacra Congr. relato a Fagnano in cap.* Tua nobis *num.* 19.

Quoad reddendam rationem administrationis bonorum confraternitatum &c. Sic cautum est in instruct. Benedictina (1): *E circa il rendimento de' conti, che deve farsi dagli amministratori tanto Ecclesiastici, quanto laici ogni anno al Vescovo, sua Santità dichiara, che ritrovandosene qualcheduno poco atto, o poco fedele nell' amministrazione, debba l' Ordinario poterlo licenziare, deputando anche a suo piacimento chiunque del luogo pio egli credesse a proposito.*

(1) §. 5.

17. Episcopi possunt *poenis sibi visis compellere quoscumque Regulares recusantes etiam Monachos, & quomodolibet exemptos ad infrascriptas processiones accedere, atque iis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, & monasteriis ultra medium milliare a civitate distantibus: nempe in die festo Sanctissimi Corporis Christi, in litaniis majoribus, in Rogationibus, ac in quibuscumque aliis publicis, & consuetis, vel pro bono, caussa, aut honore publico ab Episcopis in dictis processionibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus; privilegiis tantum Apostolicis S. Concilio Trident. posterioribus contrarium desuper disponentibus minime sublatis* (1).

(1) *S. Congr. jussu Urbani VIII. habita* 27. *jul.* 1628.

Quaenam autem publicae dici possint processiones, id quoque habemus ex decr. S. Congr. (1) his verbis: *S. Congr. censuit publicas processiones, de quibus Concilium* (2) *loquitur, intelligi solitas, & consue-*

tas, necnon eas, quae indictae fuerint pro bono publico, publicoque honore.

(1) *Ut in thesauro resolut. ejusdem Congr. tom.* 3. *pag.* 85.

(2) *Ses.* 25. *cap.* 13. *de Regularib.*

Regulares tamen non possunt a Processionibus indictis ab Episcopo se excusare vi privilegii etiam post Tridentinum concessi, nisi hoc iis fuerit concessum specialiter, non vi generalis communicationis privilegiorum (1).

(1) *Rota in Militensi Processionis* 24. *jan.* 1757.

Possuntne Regulares ob praescriptionem se eximere ab accessu ad publicas processiones?

Respondet Mazzei in Romana curia advocatus praescriptionem non aliter posse opponi, quam si Regulares vocati per tempus legitimum non intervenerint in publicis processionibus. Caeterum Regulares non vocati, tametsi per diuturnum tempus non intervenerint in publicis processionibus, praescriptionem opponere nequeunt, idque quia, ubi quaestio est de praescriptione juris negativi, cum iis, qui ante interpellationem nulla tenentur obligatione, ea non incipit nisi a die, qua interpellati contradixerint, & sic possidere ceperint.

Quod pertinet ad processiones a Regularibus faciendas, eae ab iis fieri non possunt per Parochias absque Episcopi, vel Parochi consensu, aut legitimo privilegio. Sic ex privilegio a Gregorio XIII. concesso absque ulla Ordinariorum vel Parochorum licentia fieri possunt processiones tam a Clero seculari, quam Regulari etiam extra eorum claustra in die octava Sanctissimi Corporis Christi, & in aliis diebus ejusdem festivitatis (1); quamvis horae, in quibus fieri possint, sint ab Episcopo praescribendae (2). Similiter Fratribus Praedicatoribus indultum est a Benedicto XIII. (3), ut prima dominica mensis octobris facere possint processiones Ss. Rosarii, cum ingressu limitum cujuscumque Parochiae absque Ordinarii licentia, & absque assistentia Parochi. Exceptis processionibus Ss. Sacramenti & Rosarii, de quibus supra, Regulares alias processiones extra claustra peragere non possunt absque licentia Episcopi, vel Parochi, ut declaravit S. Congregatio (4).

(1) *Ex constit. Gregor. XIII.* 2. *mar.* 1757.

(2) *Ex decr. S. Congr. rituum* 10. *febr.* 1685.

(3) *Ex litteris Bened. XIII. edit. in forma Brevis sub die* 10. *apr.* 1725.

(4) *In Aquen.* 6. *jun.* 1708.

De processionibus faciendis a Regularibus, & Confraternitatibus in Ecclesiis Regularium sic cautum est in syn. Gattinarae (1): *Regularibus, & Confraternitatibus in Ecclesiis Regularium, non licet processiones facere extra eorum Ecclesiae claustrum, et si Ecclesiae claustro careant, licet tantummodo intra earumdem Ecclesiarum ambitum, hoc est prope muros*

Digitized by Google

Ecclesiae, & intrando per aliam, sive per eamdem januam, & semper prope muros Ecclesiae, & non extra dictum ambitum, nisi aliter de facultate nostra, vel de licentia, & consensu, & cum cruce Parochi. Salvis tantummodo, & in suo robore permanentibus privilegiis post sac. Conc. Trid. a S. Sede Apostolica eisdem concessis.

(1) *De process. tit. 26. pag.* 88. *in fin.*

18. Non possunt Regulares extra Dioecesim, in qua erecta sunt Monasteria, eleemosynas quaerere absque Ordinarii consensu (1); Et quamvis in Dioecesi per se, & non per alios eorum nomine eas quaerere possint, *quum in erectione Monasteriorum eis licentia tacite ab Ordinariis impertita censeatur* (2); id tamen eis non est permissum *extra locum*, *ubi sita sunt Monasteria* absque eo quod suorum Superiorum licentia Ordinario exhibeatur, & per hunc recognoscatur (3); imo in loco, in quo degunt, ab Ordinario prohiberi possunt ne eleemosynas quaerant, si prudenter judicet dictis eleemosynis non indigere; hoc enim fieret in fraudem pauperum, quos tueri, & defendere debet (4), atque delinquentes generatim circa quaestuationem punire potest (5).

(1) *S. Congr.* 28. *nov.* 1602.

(2) *Eadem Cong.* 6. *octob.* 1596.

(3) *Eadem Cong. anno* 1621.

(4) *Can.* 1. & 2. *dist.* 88.

(5) *Clem. cap.* 2. *de Poenit. & remiss.*

19. Regulares subsunt etiam Episcopis quoad Moniales sibi subjectas. Et inprimis administratores bonorum Monasteriorum Monialium Regularibus subjectarum cogi, & compelli possunt ab Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus ad reddendam singulis annis rationem administrationis, eosque ex rationabili caussa amoveri, si Superiores prius de caussa moniti, id facere detrectaverint ex const. Gregorii XV. (1) & ex decreto S.Congr. (2).

(1) *Incipiente* Inscrutabili 5. *febr.* 1622. §. 5.

(2) 28. *septemb.* 1754. *in Ferariensi.*

Ex decreto ejusdem Congregationis approbato ab Urbano VIII. Confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii, etiam Superiores nequeunt audire primo confessiones Monialium sui ordinis sine approbatione Episcopi sub poena nullitatis confessionum. Si opponatur Constitutio Benedicti XIII. incipiens *Pastoralis officii* data die 27. martii 1726., quae facultatem facit Generalibus, & Provincialibus *cujusvis Ordinis regularis, ut Confessiones Monialium sibi tamen subjectarum absque speciali approbatione Episcopi Dioecesani audire licite, & valide possint*, respondet Censor Ferraris (1) eam, fatente quoque ipso Ferraris, pro Regnis Hispaniarum latam tantum esse, ideoque concludit ubique locum non habere. Secundo approbatio generalis data Regularibus pro audiendis confessionibus non sufficit ad audiendas illas Monialium. Tertio nec data pro uno

monasterio valet pro alio. Quarto Confessarii extraordinarii indigent nova approbatione toties, quoties deputantur ad audiendas earumdem Monialium confessiones. Quinto Episcopus revocans earum confessarios, & administratores bonorum, non tenetur caussam significare Superioribus Regularibus. Sexto haec constitutio locum habet in omnibus delictis, & non in notoriis tantum, & cum populi scandalo.

(1) *In nuper. addition. ad Bibliot. Ferrar. v.* Approbatio *art.*3. *n.*15.

Benedictus XIV. in sua constitutione (1) haec statuit. Primo ut si Superior negligat deputare Monialibus sibi subjectis Confessarium extraordinarium, Ordinarius illum supplere debeat.

Secundo, ut extraordinarius denegari nequeat Monialibus peculiaribus in casu gravis infirmitatis etiam post alteram, aut tertiam deputationem, ut supra factam universo monasterio. Et si Superior Regularis pro Monialibus sibi subjectis id denegaverit, deputari poterit ab Ordinario loci.

Tertio, ut item denegari nequeat in casu, quo monialis aliqua firmiter recuset ordinario Confessario confiteri. In casu vero, quod ob spiritualem dumtaxat consolationem, & profectum extraordinarium optet, suadet Pontifex, ut tam Ordinarius, quam Superior Regularis faciles se exhibeant in hujusmodi concessione.

Quarto, ut pro Monialibus Regularibus subjectis deputari possit extraordinarius tam e clero seculari, quam ex altero ordine Regulari, immo etiam deputari debeat saltem semel in anno; quem si Superior Regularis, deputare detrectaverit, deputari possit ab Ordinario.

(1) *Incip.* Pastoralis 5. *aug.* 1748.

Subduntur adhuc Episcopis Regulares in sequentibus casibus. Quoad ingressum Superiorum intra clausuram Monialium iisdem subjectarum absque necessitate, & hac interveniente si ingressi fuerint sine praesentia Episcopi, vel alterius Ecclesiasticae personae ab eo ad hoc specialiter delegatae (1). Ita in hoc casu Ubaldus Giraldi; sicut & fere in sequentibus in expositione juris Pontificii.

(1) *Ex const. Greg. XIII.* Dubiis 23. *decemb.* 1581., & *Alexand. VII.* Felici 13. *kal. novemb.* 1664.

Quoad dictum ingressum plusquam semel in anno ex caussa visitationis: sicut & quoad introductionem occasione hujusmodi ingressus plurium sociorum sui ordinis, quam duorum, si agatur de Superiore Generali; & plusquam unius si agatur de Superiore alio a Generali. Item quoad sumptionem refectionis intra eamdem clausuram, quae interdicta est tam Superiori visitanti, quam ejus sociis (1).

(1) *Ex cit. Alex. const.* Felici.

Quoad electionem Abbatissae Monialium, iisdem Regularibus subjectarum, cui Episcopus interesse po-

Digitized by Google

test vel per se, vel per alium si velit (1).

(1) *Ex const. Greg. XV.* Inscrutabili 5. *febr.* 1622.

Quoad punitionem etiam sub poena excommunicationis, privationisque vocis activae, & passivae, ferendae sententiae etiam contra Equites Hierosolymitanos propter accessum, & locutionem eis interdictam sub mortali culpa, licet per quodcumque modicum temporis spatium, & ob quamcumque honestam caussam cum quibuscumque Monialibus, aliisque intra earum monasteria degentibus sine legitima licentia (1).

(1) *Ex decr. Congr. Ep., & Reg. jussu Sixti V. edit. non. maii* 1590. *& Urban. VIII.* 12. *kal. dec.* 1623., *ac congr. Conc. cum approbat. Clem. IX. sub die* 11. *maii*, *&* 16. *nov.* 1669., *atque in Spoletana, Accessus ad Monast.* 26. *maji* 1672., *ac in Bergom.* 21. *maii* 1678.

Quoad pernoctationem Confessarii Monialium in domo, quae per parietes, & tecta, non sit penitus distincta, & separata ab earum monasteriis (1).

(1) *Ex cit. const. Alex. VII.*

Quoad explorationem voluntatis puellae tam ante habitus susceptionem, quam ante professionem sub poena suspensionis Abbatissae Monialium eis subjectarum, arbitrio Episcopi infligendae si ante mensem de futura professione eum certiorem non fecerit (1).

(1) *Ex cap.* 17. *&* 18. *ses.* 25. *de Regul.*, *& ex decr. congr. Conc. in Limana* 19. *nov.* 1625. *in Burgen.* 4. *dec.* 1621. *in Derton.* 16. *dec.* 1645.

Quoad invaliditatem renunciationis, vel obligationis novitiorum etiam in favorem caussae piae ante duos proximos professioni menses sine Episcopi licentia exaratae: ac etiam quoad compulsionem per censuras ecclesiasticas, tam ne quid de novitii, novitiaeve bonis detur monasterio ante illius professionem, quam ut si quid datum fuerit eis ad seculum redeuntibus, restituatur (1).

(1) *Ex cap.* 16. *ejusd. ses.*

10. Demum in ordine ad delicta Episcopo subjecti sunt Regulares quoad punitionem, si vagentur extra claustra sine suorum Superiorum mandato in scriptis obtento: ac si missi ad universitates studiorum caussa non habitent in conventibus: quemadmodum si scandalose extra claustra delinquentes, instante Episcopo puniti non fuerint a suis Superioribus intra terminum ab eodem Episcopo praefigendum, de qua punitione certiorari debet (1).

(1) *Ex cap.* 4. *&* 14. *ses.* 25. *de Regul.*

Quoad judicium subeundum, si degunt extra monasteria ratione delicti, contractus, & rei de qua agitur; item quoad cognitionem caussarum civilium mercedum, & miserabilium personarum, sed quoad delictum excipiuntur, si certum ab Apostolica sede judicem obtinuerint (1).

(1) *Trid. cap.* 14. *ses.* 7. *& cap.* 1. Volentes *de priv. in* 6.

Digitized by Google

Quoad punitionem propter Miſſae celebrationem ex Trid. (1), & exceptionem confeſſionis Sacramentalis, antequam promoti fuerint ad ſacrum presbyteratus Ordinem (2).

(1) *Seſ.* 22. *de obſervan.*, *& evit. in celebr. Miſſae.*

(2) *Ex conſt. Urban. VIII.* Apoſtolatus 23. *mart.* 1623., *& Bened.XIV.* Sacerdos in aeternum 20. *apr.*1744.

Porro Benedictus XIV. (1) recitatis Tridentini verbis ſeſſionis 22. ſupradictae inquit: „ ex quibus verbis „ aperte conficitur amplam, atque „ indefinitam auctoritatem datam eſſe „ Epiſcopis compellendi Regulares „ quoſcumque ad plenam, & exactam obſervationem non tantum „ eorum, quae in praefato decreto „ continentur, verum etiam aliorum, „ quae ipſimet Epiſcopi ad majorem „ illius ineffabilis Myſterii decorem „ & cultum duxerint praecipienda.

(1) *De ſyn. Dioec. lib.*9. *cap.*15. *n.*5.

Quoad punitionem (& quidem privative quoad ipſos Superiores) propter tonſionem, aut falſificationem, aut adulterationem monetarum: Nec non propter falſificationem, & alterationem cedularum Montis pietatis, & menſae nummariae S. Spiritus: Sicuti & ſi has ſic falſificatas, & alteratas expenderint (1).

(1) *Ex conſt. Urban.VIII.* Superna 13. *nov.* 1627., *& Bened. XIV.* Ad curam noſtram 31. *octob.* 1756.

Quoad munus exorcizandi, ſive in eorum, ſive in aliena Eccleſia, ſive extra, ſive intra conventum abſque Epiſcopi licentia ſub poenis ab eodem infligendis (1).

(1) *Ex decr. Cong.Ep.* 12. *feb.*1625. *& conſt. Bened. XIV.* Magno cum animi noſtri §. 34. 2. *jun.* 1751.

Quoad poenam ſubeundam, ſi die Sabathi majoris hebdomadae pulſaverint in eorum Eccleſiis campanas, antequam pulſaverint campanae cathedralis, vel majoris Eccleſiae (1).

(1) *Ex conſt. Leon.X.* Dum intra 19. *dec.* 1516. §. 14.

Quoad omnimodam juriſdictionem, & ſubjectionem Apoſtatarum, & etiam legitime ejectorum (1).

(1) *Ex conſt. Urban. VIII.* Sacra Congregatio 21. *ſept.* 1624.

Quoad offenſionem ipſi Epiſcopo a Regularibus etiam s. Joannis Hieroſolymitani illatam, & quoad impedimentum juriſdictionis Praelatorum, ne munus ſuum exequantur (1).

(1) *Ex decr. S. Cong. approbato a Greg. XIII. relato a Fagnano in cap.* Grave *de offic. Ordin. n.*79.

Quoad laeſionem miniſtrorum, & officialium curiae Epiſcopalis (1).

(1) *Ex decr. S.Congr. Ep. & Reg.* 27. *mart.* 1692.

Ita etiam carcerari poſſunt, ſi comprehenſi in delicto timeatur de fuga (1), & recta mittendi ſunt ad ſuos Superiores, una cum probationibus, etiam non compilato proceſſu (2). Item puniri poſſunt, ſi inceſſerint ſine ſocio, vel de nocte, aut indecenter veſtiti, ac etiam publice deferentes arma (3).

(1) *Juxta cap.*8. *ejuſdem ſeſ.*

Digitized by Google

(2) *Ex decr. Congr. Conc. relato a Fagnano in cap.* 18. Grave gerimus *de offic. ordin. n.* 69.

(3) *Juxta declarat. Congr. Ep. & Regul. in Adrien.* 15. *decemb.* 1584. *& in Ruvenaten.* 12. *septemb.* 1594. *ac congr. Conc. in Turrit.* 3. *febr.* 1635.

Pari modo puniri possunt (1) si deliquerint in propria Ecclesia januis apertis, ut scandalo fuerint populo.

(1) *Juxta cit. cap.* 14. *Trident. ex declarat. ejusd. Congr. ad dubium in posit.* 142. *ad d. cap.* 14.

Huc usuque dicta intelligenda sunt de Regularibus quomodocumque exemptis; si enim sermo instituatur de Conventibus intra Italiam, & Insulas adjacentes erectis ante decretum Urbani VIII. ante diem nempe 21. junii 1625., in quibus actu non alantur sex Religiosi probatae vitae, quorum quatuor sint Sacerdotes 40. annorum completorum, & duo Conversi; vel de Conventibus post dictam diem erectis, in quibus degant Regulares in minori numero quam 12., isti omnes subjiciuntur visitationi, correctioni, ac omnimodae jurisdictioni Ordinarii loci ex dicti Urbani, & Innocentii X. decreto (1) confirmato, & innovato una cum altero Gregorii XV. ab Innocentio XII. (2).

(1) Ut in parvis 10. *feb.* 1654.

(2) *Const.* Nuper. 23. *dec.* 1697.

Sacra autem Congregatio approbante Alexandro VII. (1) declaravit Episcopum in supradictis Conventibus, primo posse ex rationabili causa amovere Religiosos, monito prius eorum Superiore, ut alio eos transferat.

Secundo, adigere eosdem Religiosos ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis.

Tertio, se ingerere in his, quae regularem disciplinam concernunt.

Quarto, visitare Ecclesias dictorum conventuum, & capellas Grangiarum, sive ibi degant Conversi, sive non.

Quinto, prosequi causam in qua contra aliquem Religiosum praevenit, & eum, si amotus fuerit a Superiore suo, etiam invocato brachio saeculari cujuscumque loci, in quo idem Religiosus reperitur, revocare.

Sexto, has facultates competere etiam Vicario generali Episcopi, ac Abbatibus, aliisque Superioribus Praelatis proprium territorium ac jurisdictionem quasi episcopalem habentibus.

(1) 27. *Jul.* 1655.

Haec sunt praecipua capita, in quibus Regulares Episcopis, vel Ordinariis locorum subsunt, alia minoris momenti omittimus, quae videri poterunt penes auctores a Benedicto XIV. citatos (1); quaeque suis locis recurrent, si Deo dante universae Theologiae morali manum admovebimus.

(1) *Lib.* 9. *cap.* 15.

ARTICULUS III.
An Clerici legibus civilibus subdantur.

SUMMARIA

1. *Clerici legibus civilibus ligantur salvis eorum privilegiis, idque probatur, primo ex scriptura.*
2. *Ex testimonio summorum Pontificum.*
3. *Ex Patribus.*
4. *Ex ratione.*

1. Quamvis facile colligi possit ex dictis in articulo secundo, Clericos legibus civilibus subjectos esse; juverit tamen id ulterius probare: *Omnis anima*, inquit Apostolus (1), *potestatibus sublimioribus subdita sit*, in quem locum scribit s. Joannes Chrisosthomus: *Potestatibus ex debito obedire jubet ostendens, quod ista imperantur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, non solum secularibus, id quod statim in ipso exordio declarat, cum dixit omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiam si Apostolus sit, si Evangelistae, si Prophetae, sive quisque tandem fuerit. Neque enim potestatem subvertit ista subjectio, & non simpliciter dicit obediat, sed subdita sit.* Eundem locum ita quoque exponit Theodoretus: *Et Sacerdos, & Antistes, & Monasticam vitam professus iis debent parere, quibus demandati sunt Principatus.*

(1) *Ad Rom.* 13. *v.* 1.

Eumdem Apostoli locum prae oculis habuit Canon *Satagendum* (1): *Satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostrae legibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse S. Scripturae praecipiunt.*

(1) *Canon cit.* 10. *c.* 25. *q.* 1.

2. Id ipsum docent summi Pontifices, & Patres, praeter Gelasium, & Nicolaum I. summos Pontifices, cujus testimonia jam supra retulimus, laudo adhuc Pelagium I., & s. Gregorium magnum, quorum primus ait (1): *quibus* (Regibus) *nos etiam subditos esse sacrae litterae praecipiunt*: Alter vero (2) scribit: *Potestas supra omnes homines Dominorum meorum pietati coelitus data est ..... ego quidem jussioni subjectus, utrobique, quod debui exsolvi, & Imperatori obedientiam praebui.*

(1) *Ad Childeb.*
(2) *Lib.* 2. *ep.* 62.

3. Ex Patribus unum laudare sufficiat s.Gregorium Nazianzenum: *Subjecti*, inquit (1), *simus tum invicem alii aliis, tum his, qui cum imperio nobis in terra praesunt Magistratibus propter ordinis conservationem, etiam haec in legum nostrarum numero est; ut quemadmodum heri servis, uxores maritis, Ecclesia Domino, discipuli pastoribus obtemperant; ita nos cunctis potestatibus supereminentibus subjecti simus non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui tributo pendendo simus obnoxii, lex Christi vos quoque, & me tum imperio, tum solio subjicit.*

(1) *Orat. ad Presb. & pop.*

Digitized by Google

4. Id ipsum ratio ipsa suadet. Nam Clerici non desinunt esse partes, & membra Reipublicae, ejusque commodis fruuntur; ergo aequum est, ut iisdem, quibus alii cives, legibus vivant, alioquin magna inde confusio, & perturbatio esset in Republica, si Clerici his, reliqui cives, aliis legibus uterentur.

Dixi salva eorum immunitate, quam Clericis competere legibus tum civilibus, tum Ecclesiasticis apud omnes in confesso est, de qua hic agere opportunum duximus.

APPENDIX

De immunitate.

Quatuor erunt hujus appendicis articuli, in quorum primo sermonem habebimus de immunitate in genere. In altero de immunitate personarum. In tertio de reali. In quarto de locali.

SUMMARIA

1. *Traditur definitio immunitatis quoad nomen, & quoad rem.*
2. *Definitur primo immunitas personalis.*
3. *Secundo realis.*
4. *Tertio localis.*

ARTICULUS I.

De immunitate in genere.

Disputaturi de immunitate animus non est ea omnia perscrutari, de quibus fuso calamo scribunt tum Canonistae, tum Theologi, sed ea solum, quae sunt moribus nostris consentanea, & praxim potissimum respiciunt.

1. Immunitas dicta est a verbo munus, cujus remissio, vel liberatio immunitatem praestat (1). (Quamvis enim quandoque munus sumatur pro dono, vel officio, proprie tamen significat onus sine honore (2)). Unde immunitas nil aliud est, quam oneris, seu muneris vacatio, vel exemptio ab onere, vel obligatione secundum vim verborum. Quare immunitas Ecclesiastica sic communiter definitur, jus, quo loca, res, vel personae Ecclesiasticae a communi onere, seu obligatione exemptae sunt.

(1) *L.18. de verb. sign. & l.1. ff. de jur. immun.*

(2) *L.214. ff. de verb. sign. ibi*: Munus proprie est, quod necessario obimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem.

Triplex est immunitas personalis, realis, & localis.

2. Prima est exemptio personae Ecclesiasticae ab oneribus personalibus, quae corpore geruntur (1).

(1) *Cap. 1. & 4. h. t., & l.1. cum seq. cod. de Ep. & Cler.*

3. Altera est exemptio bonorum Ecclesiae, & Clericorum a tributis, oneribusque aliis localibus (2).

(2) Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum, *cap. 51. de reg. jur. in 6.*

4. Tertia est exemtio seu privilegium Ecclesiae, vel loco sacro con-

Digitized by Google

cessum, ut ibi existentes tuti sint a laica potestate (3).

(3) *Argum. cap. 6. de immun. Ecclesiarum.*

Ex hisce definitionibus colligitur immunitatem realem, & localem immediate, & primario concedi rei, vel loco sacro, secundario vero personis.

ARTICULUS II.

De personali Clericorum immunitate.

Hunc articulum in duos partimur paragraphos, quorum primus erit de caussis Clericorum, secundus de conditionibus in Clerico requisitis, ut fori privilegio gaudeat.

PARAGRAPHUS I.

De causis Clericorum.

SUMMARIA

1. *Clerici in causis criminalibus non subjiciuntur Magistratibus secularibus.*
2. *Judices laici, quando periculum est in mora, possunt Clericos carceribus mancipare.*
3. *Clerici in quibusdam causis civilibus subjecti sunt Magistratibus secularibus, & hae caussae referuntur.*
4. *Clerici in aliis causis civilibus, si sint actores, nulla gaudent immunitate.*
5. *Clerici si fuerint rei, exceptis materiis Ecclesiasticis, quoad actionem realem, non vero quoad personalem conveniri possunt penes judicem secularem.*
6. *Explicatur quibus in rebus locum habeat actio realis, ut ejus vi penes judicem secularem conveniri possint Clerici.*
7. *Penes nos in materiis Ecclesiasticis Clerici in judicio petitorio conveniendi sunt coram judice Ecclesiastico, in judicio possessorio retinendae, & reintegrandae datur locus praeventioni.*
8. *Causae omnes Ecclesiasticae, in quibus forum laicale se immiscere potest, agitari tantum possunt coram supremis Magistratibus.*
9. *Referuntur caussae Ecclesiasticae, in quibus potestas secularis se immiscere non potest.*
10. *Clerici immunes sunt ab oneribus personalibus.*
11. *Ad personalia onera refertur quoque capitatio civium.*
12. *Clerici exempti sunt a metato.*
13. *Explicatur, quo in foro conveniri debeat laicus ob res Ecclesiasticas.*

Inter immunitatem personarum potissimum locum obtinet privilegium fori in eo consistens, ut Clerici sive in caussis civilibus, sive in causis criminalibus in foro Ecclesiastico conveniantur. Unde

Quaeritur primo, an Clerici in caussis sive criminalibus, sive civilibus sint subjecti Magistratibus secularibus.

℟. Primo Clericos in caussis cri-

Digitized by Google

minalibus nullo modo subjectos esse ex variis juris canonici sanctionibus (1) Magistratibus secularibus. Atque hoc ipsum consentaneum est instructioni Pontificiae (2), cujus haec sunt verba: *S. Santità resta accertata, che i Tribunali laici non prendono veruna ingerenza nelle cause criminali contro le persone Ecclesiastiche, che sanno essere pienamente sottoposte alla giurisdizione de' loro Ordinarj; Epperò commettendosi da qualche persona Ecclesiastica contrabbando, o fraude in pregiudizio del real Fisco, non potrà essere la persona Ecclesiastica arrestata, o carcerata dalla podestà laicale. S' incarica bensì al Vescovo d' invigilare con ogni maggior diligenza, ed attenzione, acciò dalle persone Ecclesiastiche simili eccessi troppo disdicevoli al loro carattere non siano commessi, e commessi, che siano, non restino senza il dovuto castigo, acciò la podestà laica non abbia da lamentarsi della connivenza del Giudice Ecclesiastico.* Hinc cum curia Romana conquesta esset, quod Clerici in causis criminalibus carceribus manciparentur, & in exilium pellerentur a Magistratibus secularibus: responsum est hisce verbis (3): *Non è vero, che i Magistrati s' intromettano nelle cause criminali degli Ecclesiastici; e se si fossero individuati i casi delle supposte carcerazioni, relegazioni, ed esilj, si sarebbero in prova di quanto sopra dati i necessarj chiarimenti.* Et sane quum multi libelli accusationum ab Episcopis delati essent Constantino magno in synodo Nicaena, jussit eos comburi, inquiens: *Vos dii estis a vero Deo constituti, ite, & inter vos caussas vestras discutite, quia dignum non est, ut judicemus Deos* (4).

(1) *Cap. etsi Clerici* 4. *cap. Cler.* 8. *cap. qualiter, & quando* 17. *de foro compet.*

(2) §. 7. *Instruct. Bened. v. ult.*

(3) Relazione istorica delle vertenze tra la corte di Roma, e quella del Re di Sardegna, *pag.* 31. §. 4.

(4) *Euseb. de vita Constant. lib.* 3. *c.* 10.

Potestne Clericus aliquando capi a judice laico?

2. Respondet Remigius Maschat a s. Erasmo (1) his verbis: *Judex laicus ex permissione, & consensu Ecclesiae potest Clericum in certis casibus capere, & incarcerare, non ut ille ipsum judicet, aut puniat, sed at eum tradat judici Ecclesiastico. Quod tunc procedit, quum subito haberi nequit potestas Ecclesiastica, & alias periculum est in mora; ut si Clericus velit sibi, aut aliis grave damnum inferre, si deprehendatur in flagranti crimine, si arma gestet loco, & tempore vetito, si in fraudem creditorum abitum paret: denique si moliatur quodcumque grave malum, cui hic, & nunc aliter mederi non potest, nisi per capturam Clerici: nam in his, & similibus casibus judex laicus non tam via jurisdictionis, quam defensionis procedit.*

(1) *In instit. canonicis Romae typis editis de foro comp. lib.* 2 *tit.* 2 §. 3 *q.* 4.

3. ℟. Secundo in quibusdam causis civilibus Clericum subjectum esse foro laicali. Et primo quidem in causis feudalibus (1). Secundo ratione cepti judicii, unde si quis nondum Clericus in foro laicali litem inchoavit, & ea nondum finita ordinibus initietur, in eodem foro eam persequi debebit (2). Idem dicendum si Clericus sit haeres defuncti, cum quo lis est incepta, vel conveniatur nomine alieno, ut procuratorio, vel tutorio; quia tunc sequitur forum sui principalis, vel in casu emtionis, dum emptor laudat auctorem, seu venditorem Clericum; nam ubi ceptum est judicium, ibi & finem accipere debet (3). Tertio ratione reconventionis, quando scilicet Clericus actor ad secularem forum aliquem traxerit, hic eundem Clericum in eodem foro reconvenire poterit; quare si Clericus petat in foro laicali pecuniam alteri mutuatam, poterit hic laicus suum aes, quod illi crediderit, in eodem foro reposcere (4); si tamen Clericus nomine Ecclesiae laicum in forum seculare vocaverit, non poterit a laico pro suis rationibus reconveniri.

(1) *Cap. 6. 7. de foro compet.*, & *cap. un.* §. Verum *de statu Reg. in 6.*

(2) *Cap. 19. de foro compet. l. 7. ff. de judiciis*, & *l. 19. ff. de jurisd. omn. judic.*

(3) *L. 30. ff. de judic.*, *Faber in cod. lib. 3. tit. 12. de jurisdic. omnium jud. def. 39.*, & *Ab-Ecclesia observat. 188. n. 12.*

(4) *Cap. 1. & 2. de mutuis petition.*

4. ℟. Tertio, in caussis civilibus pro nostris regionibus distinguendum esse, vel enim uterque litigans est Ecclesiasticus, vel alteruter. Si alteruter, & reus fuerit persona laica, tunc Clericus actor nullo gaudet privilegio fori, sed tenetur juxta receptum juris principium sequi forum rei, illumque coram judice proprio, idest laicali convenire (1).

(1) *Cap. 3. de foro compet.*

Si vero uterque litigans, aut alteruter quidem, sed Ecclesiasticus fuerit reus, tum exceptis materiis ecclesiasticis, vel sermo instituitur de actione personali, vel de reali: si de personali, Clericus erit conveniendus coram judice Ecclesiastico, non vero seculari. Ratio evidens est, quia judex secularis nullam in Clerici personam jurisdictionem habet. At quum judex secularis totam in rem jurisdictionem exerceat, poterit Clericus hoc in casu non solum coram judice Ecclesiastico, verum etiam seculari conveniri; (judicis secularis nomine penes nos veniunt tantum supremi Magistratus, ut ex edicto Caroli Emanuelis primi apud Borellum pag. 428. n. 3.). Nam licet instituta reali actione conveniatur etiam persona, non tamen propter se, sed propter rem possessam convenitur. Atque hic usus conveniendi Clericum quoad actionem realem penes Magistratum secularem obtinebat multo ante concordatum tempore, uti vi-

Digitized by Google

dere est penes Ab-Ecclesia (1) Thesaurum (2), & Osascum (3).

(1) *Observ.* 188. *n.* 2.

(2) *Decis.* 82. *& quaest. For. lib.* 2. *quaest.* 15. *n.* 6.

(3) *Decis.* 116. *n.* 1.

6. Ergo quum actio realis non solum oriatur ex dominio sive directo, sive utili, & servitute, sed etiam ex pignore, & possessione, conveniri etiam poterit Clericus penes judicem secularem in iis omnibus, in quibus adest jus pignoris, & hypothecae, vel clausula constituti possessorii, quae operatur translationem possessionis bonorum promittentis, vel constituentis in constitutarium, qui vi illius clausulae petere potest manuteneri, vel reintegrari in possessione horum bonorum, ex quibus fructus percipiat; donec sibi sit integre a constituente satisfactum. Ex vi hujus clausulae agere potest constitutarius non solum contra constituentem, verum etiam contra tertium possessorem eorumdem bonorum, quae constituens ante, vel post contractam obligationem possidebat. Haec clausula constituti, uti hypotheca generalis bonorum subintelligitur in omnibus scripturis etiam privatis, si non fuerit apposita (1).

(1) *Lib.* 5. *R. Const. tit.* 16. §. 8.

7. Dixi exceptis materiis ecclesiasticis, nam in hisce materiis distinguendum est judicium petitorium a possessorio. Dicitur petitorium, cum de rei proprietate est quaestio (1), dicitur autem possessorium, cum de sola possessione est controversia (2). Si igitur restitui petatur res, dicitur intentatum petitorium, si autem petatur in possessionem mitti, vel manuteneri, vel restitui, & reintegrari dicitur intentatum possessorium. Itaque si judicium sit petitorium, erit conveniendus Clericus penes judicem Ecclesiasticum, si autem judicium sit possessorium, permittitur laicali potestati se ingerere in possessoriis *retinendae*, *& reintegrandae*, nisi petitorium ita clarum sit, ut absorbeat possessorium, sed talis, ut ita dicam, ingerentia, seu immixtio non debet esse privativa, sed cumulativa cum potestate Ecclesiastica, ita ut locus sit praeventioni. Ita ex instruct. Benedictina (3). Si antiquitatem percurramus inveniemus pluries Senatum Pedemontanum judicasse in possessoriis rerum Ecclesiasticarum (4).

(1) *L.* Is qui destinavit 24. *& l.* Qui petitor. 36. *ff. de rei vindic.*

(2) *L.* 24. *de rei vindic.*, *& l.* Si duo 3. §. *ult. ff. ut possidetis & toto tit. de caussa possess.*, *& propriet.*

(3) §. 2. *v.* 1. *&* 2.

(4) *Videri poterit*. Risposta al discorso legale dello scrittore di Roma sovra l' aggiustamento fatto dal Papa Benedetto XIII. col Re di Sardegna pag. 89., *ubi plura referuntur hujusmodi Senatusconsulta*.

8. Notandum hic est caussas omnes Ecclesiasticas, puta beneficiorum, & decimarum, in quibus locus est praeventioni, agitari tantum posse co-

Digitized by Google

ram supremis Magistratibus, in quacumque demum quantitate res controversa versetur, sublata quibuscumque judicibus laicis subalternis judicandi potestate (1). Quare quoad hujusmodi causas, quidquid earum quantitas, aut valor sit, locum non habebit Regia dispositio, quae praescribit Senatum non posse in prima instantia recipere caussas non excedentes summam bis mille libellarum nostratum (2).

(1) §. 8. *Proemii R. Const.*: Continueranno anche i nostri Magistrati supremi ad esercitare la loro autorità, e giurisdizione in ciò, che concerne gli affari Ecclesiastici e stranieri, secondo che l'uso, o la ragione richiede.

(2) *Lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 11. *R. Const.*: Non riceverà il Senato in prima instanza verun' altra causa, salvo che ecceda la somma, ed il valore di lire due mila.

℟. 4. Si immunitatis nomen latius accipere velimus, ejus nomine venit etiam exemtio caussarum Ecclesiasticarum a potestate seculari; itaut nec petitorium, nec possessorium judicium ad eam pertineat. Causae hae in instructione Benedictina hisce verbis describuntur: „ Saranno (1) „ di privativa cognizione della sola „ podestà Ecclesiastica le materie di „ fede, i delitti di eresia, se qualche laico avrà la sacrilega temerità di celebrare la santa Messa, „ od esercitare altre funzioni all' „ ordine sacro appartenenti, o d' „ ascoltare le sacramentali confessioni; dovendo in questi casi essere privativamente processati, e „ puniti dalla sola podestà Ecclesiastica. Accadendo il furto di qualche sacra pisside colle particole „ consacrate, o qualche delitto di „ bestemmia, se dal processo risulterà, che il reo laico sia sospetto „ di eresia, dovrà il Giudice laico „ rimetterlo al Giudice Ecclesiastico, *ut procedat super haeresi*, e „ proferitasi dal Vescovo la sentenza, o assolutoria *ab haeresi*, o „ condannatoria, dovrà poi colla solita protesta del cap. *Praelatis de homicidiis in 6.* consegnarsi il reo „ al Giudice laico, *ut procedat ad ulteriora*.

(1) §. 7. *Instruct. Bened. v.* 2.

„ La cognizione (1), e punizione „ del delitto di poligamia parimente apparterrà alla sola podestà „ Ecclesiastica.

(1) §. 7. *v.* 3.

„ Spetteranno parimente (1) ai soli „ Giudici Ecclesiastici privativamente le cause matrimoniali, nelle „ quali si tratti sopra la validità, „ o invalidità del matrimonio, come degli sponsali.

(1) §. 7. *v.* 4.

Non solum caussae de validitate matrimonii, aut sponsalium (1), verum etiam de divortio & separatione conjugum ad Episcopum spectant (2); imo quum ex regula juris judex, qui in principali judicat, jus etiam dicat in accessorio (3),

Digitized by Google

posset etiam judex Ecclesiasticus de dote, de donationibus nuptialibus, de praestandis alimentis cognoscere (4); verum nostris in regionibus usus invaluit, ut hujusmodi quaestiones judici laico definiendae reserventur. *Hinc Senatus* (5) *prospexit petitioni uxoris tamquam judex competens in caussa alimentorum; & condemnavit maritum ad praestanda alimenta uxori pendente caussa divortii coram judice Ecclesiastico.*

(1) *Tot. tit. de sponsal.*, *& matrim.*, *Trident. sess.* 24. *de reform. can.* 12. *ubi asserentes causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos anathemate feriuntur hisce verbis*: Si quis dixerit caussas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.

(2) *Cap.* 1., *&* 2. *de divort.*

(3) *L.* 1. *cod. de ordin. judic.*, *& l.* 3. *cod. de judic.*

(4) *Cap.* 15. *de foro compet.*

(5) *Verba sunt decisionis* 6. *nov.* 1668. *jugalium D. Bertrandi*, *ref. D. Garetti.*

„ Così pure (1) saranno di privativa giurisdizione Ecclesiastica le cause decimali, e beneficiali, quando si deve assumer disputa sovra il titolo giusta ciò, che di sopra si è detto; e quanto alle beneficiali ancor quelle, nelle quali si tratta di jus Patronato, purchè però non si tratti di jus Patronati Regj, o feudali, e che oltreciò la loro decisione principalmente dipenda dal vedere se il patronato sia annesso, o no al feudo, o *de universitate bonorum* in patronati laicali.

(1) §. 7. *v.* 5.

„ Apparterrà (1) pure alla sola podesrà Ecclesiastica il giudicare de' sacri riti, e delle precedenze nelle funzioni Ecclesiastiche, come di sopra si è detto; e quanto all' osservanza delle feste potranno i Vescovi procedere contro i trasgressori colle dovute pene, quando ad essi per giusta, e legitima causa non avessero conceduta licenza di poter fare ne' dì di festa alcune opere servili, avvertendoli di concedere le dette licenze non per fievoli ma rilevanti motivi, e senza esigere verun pagamento, e di non inquietarsi, o muover querela, se il tribunale laico castighi i trasgressori delle sopraddette feste di precetto.

(1) §. 7. *v.* 6.

„ Saranno (1) finalmente di privativa cognizione della podestà Ecclesiastica le cause anche civili, quando saranno tra le persone Ecclesiastiche, e quando la persona Ecclesiastica sarà rea.

(1) §. 7. *v.* 7.

Hic versiculus intelligendus est conformiter ad ea, quae superius dicta sunt de actionibus personalibus; itaut causae omnes civiles, quae Clerici personam respiciunt, non vero rem, unice pertineant ad potestatem Ecclesiasticam. Sane si in caussis beneficiorum, & decimarum judex lai-

Digitized by Google

cus possessorio jure cognoscit ex instruct. Benedictina (1), quanto magis in caussis civilibus rem profanam respicientibus.

(1) §. 2. *v.* 1. & 2.

„ Non dovrà (1) porsi impedimento alcuno alla podestà Ecclesiastica di procedere contro i laici secondo la disciplina della Chiesa, e le regole canoniche con sole pene spirituali, anche di censure contra de' peccatori pubblici, e scandalosi, e precise contro de' sacrileghi, degli adulteri, de' concubinarj, degli usuraj, de' bestemmiatori, e consimili.

(1) §. 7. v. 8.

10. ℟. 5. Clericos exemptos esse ab oneribus, seu muneribus personalibus, quae personis, iisdemque subditis tantum sine ordine ad patrimonii bona imponuntur. Personalia munera alia sordida sunt, ut calcis coquendae, pistini, & stabuli obsequia &c. Alia sunt honorifica, ut pecuniarum civitatis publicarum administratio, exactio annonarum. Prima munera recensentur in codice Theodosio tributo (1). Secunda enumerat Jacobus Gottofredus in suo codice Theodosiano tit. 1. de decurionibus. Ab hisce muneribus Clericos exemit Constantinus, *ne sacrilego livore quorumdam a divinis obsequiis avocentur* (2).

(1) *L.* 15. *de extraord., sive sord. mun.*

(2) *L.* 1. *cod. Theodos. de Episc.*, *& Cler.*

11. Ad personalia quoque munera referri potest census capitum, sive capitatio civium, idest certa exactio a personis, sive a capitibus singulis sine ordine ad bona patrimonii (1). Ab hisce muneribus exemtos esse Clericos, unicuique manifestum fit legenti binas Constantii Imperatoris leges in cod Theod. (2).

(1) *L.* 1. *cod. de civ. capitat.*

(2) *L.* 10., & 13. *de Episc.*, & *Cler.*

12. Ad personalia pariter munera pertinere potest exemtio a *metato*, seu ab onere hospitii, & alimentorum militibus iter agentibus praebendorum. Ab hisce muneribus exemtos voluit Clericos, Constantinus (1). Hasce immunitates nostris in regionibus vigere hoc tempore, experientia teste nemo dubitat, sicut & immunitatem a gabellis carnis, vini, &c. quae omnia referre non vacat, cum omnibus innotescant.

(1) *L.* 8. *cod. Theod. de metat.*

Quo in foro debeat conveniri laicus ob res Ecclesiasticas ad Ecclesiam, vel confraternitatem, vel alium pium locum pertinentem.

13. ℟. Si antiquitatem consulamus jure aeque civili, ac canonico non solum Episcopi tenebantur curare, ut piae fidelium dispositiones executioni mandarentur, verum etiam fideles etiam laicos ad easdem implendas adigere poterant (1). At subsecutis temporibus, si actio personalis contra laicum instituatur, plurimi senserunt in foro laicali esse

conveniendum, quia laicus seculari Magistratui obnoxius est. Si vero realis actio contra eumdem moveatur, judicarunt plurimi conveniendum esse coram Ecclesiastico judice, quia actio immediate ad rem ipsam dirigitur, quae ad Ecclesiam spectat. Pro nostris tamen regionibus omnis quaestio sublata est, quum provide decretum sit (2) conveniendum esse pro hisce rebus Clericum debitorem in foro Ecclesiastico, laicum vero in foro laicali.

(1) *L.* 28. *de Ep. & Cler. Justin. Nov.* 131. *cap.* 2. 3., & 13. *de testam.*

(2) §. 5. *Bened. instruct. in fin.*

PARAGRAPHUS II.

De conditionibus in Clerico requisitis, ut fori privilegio gaudeat.

SUMMARIA

1. *Enumeratur prima conditio in Clerico requisita, ut fori privilegio fruatur.*
2. *Enumeratur secunda.*
3. *Quid praestandum penes nos a Clerico, ut fori privilegio gaudeat.*
4. *Clericus beneficiatus habitum, & tonsuram non gestans, fori privilegio non caret.*
5. *Clericus majoribus ordinibus insignitus, licet habitum, & tonsuram non gerat, non excidit a privilegio fori. Atque hoc consonum est nostris moribus.*
6. *Clericus sive majoribus ordinibus initiatus, sive beneficiatus Ecclesiae non inserviens, fori privilegium non amittit.*
7. *Trina monitio requiritur, ut Clerici majoribus ordinibus insigniti, vel beneficiati fori privilegio sint privati.*
8. *Quoad Clericos majores ordines habentes, vel beneficiatos pro nostris regionibus desideratur quoque trina monitio.*
9. *Clericus nec beneficiatus, nec in majoribus ordinibus constitutus habitum, & tonsuram non gerens absque ulla monitione amittit fori privilegium.*
10. *Non tenetur tamen se spoliare fori privilegio ante declaratoriam judicis sententiam.*
11. *Clericus fori privilegio privatus non amittit alia privilegia clericalia.*
12. *Inspecta instructione Benedictina aliter est sentiendum.*
13. *Clerici nec beneficiati, nec majores resumentes absque fraude habitum Clericalem sua privilegia recuperant.*
14. *In dubio, an hi Clerici fraude sint usi, declaratio pertinet ad judicem Ecclesiasticum.*
15. *Quid praestandum ab Episcopo, qui nolit suos Clericos iterum resumere habitum clericalem.*
16. *Penes nos Clerici expuncti a tabella in sacristia Cathedralis appensa a se ipsis habitum Clericalem resumere non possunt.*
17. *In iis Dioecesibus, in quibus non tenetur appensa tabella in sacristia*

Digitized by Google

Cathedralis, omnes quaestiones definiendae sunt vel ex Tridentino, vel ex decreto Innocentii III.

18. *Explicatur, quale debeat esse servitium a Clerico praestandum, ut fori privilegio gaudeat.*

19. *Clericus Ecclesiae inserviens sine Episcopi mandato, vel alteri Ecclesiae sibi non designatae, non excidit a privilegio fori. Solvitur objectio.*

20. *Per degradationem realem, non vero verbalem amittitur privilegium fori.*

21. *Clericus conjugatus privilegium fori non amittit.*

22. *Clericus per irregularitatem non cadit a privilegio fori, nisi irregularitas sit ex bigamia.*

23. *Neque per excommunicationem.*

24. *Clericus Italus falsis dimissoriis ab alieno Episcopo ordinatus excidit a privilegio fori.*

25. *Clericus assassinus, an cadat privilegio fori, controvertitur.*

26. *Clericus per renuntiationem non amittit privilegium fori.*

1. Conditiones, quae requiruntur in Clerico, ut fori privilegio gaudeat, duae sunt, quarum prima est, ut tonsura sit initiatus; enimvero privilegium fori Clericis conceditur; porro nemo Clericus efficitur, nisi tonsuram, aut minores ordines suscipiat (1). Excipiendi tamen sunt ii, qui in aliqua religione approbata professionem emiserunt; isti enim, quamvis nondum sint tonsura inaugurati, gaudent privilegio fori, quum nomine Ecclesiasticorum virorum veniant (2); atque in aliis privilegiis ecclesiastico ordini concessis tamquam Clerici judicentur (3).

(1) *Can. 1. dist. 21. cap. 11. de aetate, & qualit. praefic.*

(2) *Can. 21. caus. 17. q. 4.*

(3) *Can. 29. ead. caus., & quaest.*

Hinc Episcopus recenti tonsura initiatos, ex Pontificali Romano sic alloquitur: *Filii carissimi animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, & privilegia Clericalia sortiti estis, cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis.*

2. Secunda conditio, quae desideratur in Clerico, ut fori privilegio fruatur, est, *ut beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, aut universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur* ex Trident. (1).

(1) *Sess. 23. cap. 6. de reform.*

3. Pro nostris regionibus, ut Clerici minores gaudeant privilegio fori, sequentia praestare tenentur in instruction. Benedict. descripta (1): „ Dovranno tutti i Chierici così di „ prima tonsura come degli ordini „ minori far constare sul principio „ d' ogni anno avanti gli Ordinarj „ de' luoghi, ne' quali hanno il domicilio, d' aver osservati i requi„ siti del sacro concilio di Trento

„ intorno all' abito, e tonsura clericale, e intorno a tutte le altre „ cose stabilite di sopra; e ciò mediante l' attestazione del proprio „ Rettore, e Superiore Ecclesiastico, o Convitto Ecclesiastico per „ quelli, che sono in seminario, o „ Convitto Ecclesiastico, e per quei „ Chierici, che non sono in seminario, nèin Convitto Ecclesiastico, „ medianti le attestazioni de' Parochi, o Rettori delle Chiese, alle „ quali sono ascritti, intorno alla „ delazione dell' abito, e tonsura „ Chiericale, frequenza de'Sacramenti, e servizio della Chiesa, e colle „ attestazioni de' Maestri, e Lettori „ intorno alla continuazione delle „ scuole, e studj, e alla delazione „ dell' abito, e tonsura Chiericale; „ e all' incontro dovranno gli stessi „ Ordinarj tener pubblicamente appesa nella sagrestia della loro Cattedrale, affine che possa da tutti „ leggersi, una tabella, in cui, dopo di aver riconosciuta la sussistenza delle dette attestazioni, le „ quali dovranno rimanere nella loro „ cancelleria, faranno cancellar dalla „ medesima ogni anno i nomi di coloro, che ritroveranno non aver „ esattamente osservati i requisiti „ predetti; e per lo contrario faranno registrarvi i nomi solamente di „ quei, che gli avranno osservati, „ a' quali consegneranno ogni anno „ *gratis* una declaratoria in iscritto, „ acciocchè possa dai medesimi senza alcun contrasto godersi di tutti „ i privilegj chiericali, de' quali privilegj all' incontro non goderanno „ quei Chierici di prima tonsura, o „ di ordini minori, che per non avere osservati i suddetti requisiti, „ saranno stati cancellati dalla detta „ tabella da tenersi pubblicamente in „ sagrestia, e non avranno la' menzionata declaratoria del Vescovo.

(1) §. 15. v. Dovranno.

An Clericus habitum, & tonsuram non deferens spoliatus maneat fori privilegio nulla praecedente monitione.

4. ℟. Primo Clericum beneficiatum privilegium non amittere; nam Tridentinum loco cit. unum, vel alterum requirit, ut Clericus fori privilegio gaudeat, nempe, aut quod habeat beneficium, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat; unde etiamsi habitum, & tonsuram non deferat, vel Ecclesiae non inserviat, adhuc gaudebit fori privilegio, si beneficium habeat; & ita declaravit S. Congregatio teste Fagnano (1), qui etiam docet pensionarium gaudere privilegio fori, sive quia Cancellaria pensionarium tamquam beneficiatum considerat, sive quia pensionarius ex Pio V. tenetur ad recitationem officii B. M. V.; idque (2) probat ex declaratione Gregorii XIII. die 8. decembris 1576. Docet pariter beneficiatum habentem titulum gaudere privilegio fori ante adeptam possessionem; nam de hoc verificatur, quod beneficium habeat,

quia in beneficiis non attenditur principaliter possessio, sed titulus (3) & sic declarasse S. Congreg. refert (4).

(1) *In cap.* Inter caetera 4. *de rescrip. n.* 3.

(2) *In cap.* Ad audientiam 31. *de rescript. n.* 127., & 131.

(3) *Argumento cap.* Ex frequentibus 3. *de instit.*

(4) *In cap.* Si quis *de foro compet.*

5. ℞. Secundo Clericum non beneficiatum majoribus tamen ordinibus initiatum, licet non deferat habitum, & tonsuram, orbatum non esse fori privilegio. Quod hic Clericus privatus sit privilegio fori, neque eruitur ex responsione Innocentii III. (1), qui requirit trinam monitionem ab Episcopo faciendam, ut Clerici majores suum perdant privilegium; neque constat ex Tridentino (2); nam ea verba Tridentini: *is etiam fori privilegio non gaudeat* referuntur ad verba antecedentia. Porro in verbis antecedentibus agitur de eo, qui est prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus. Hoc ipsum locum pariter habet in nostris regionibus; etenim in instruct. Pontificia (3) sermo instituitur solum de Clericis tonsuratis, vel ordines minores habentibus.

(1) *In cap.* 45. *de sent. excomm.*

(2) *Sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.*

(3) §. 15. *v.* Dovranno.

An in Clerico beneficiato, vel majoribus ordinibus initiato requiratur servitium alicujus Ecclesiae, ut gaudeat privilegio fori.

6. ℞. Non requiri. Enim vero Tridentinum loco supra citato (1), ubi servitium Ecclesiae requirit, ut Clericus gaudeat privilegio fori, loquitur tantum de illo, qui aut prima tonsura initiatus est, aut in minoribus ordinibus est constitutus, nec aliud instructione Benedictina sancitum est; siquidem servitium Ecclesiae, quod ad servandum privilegium fori in eodem requiritur, solum Clericos minores attingit, non majores; dicitur enim (2) ibidem: *Dovranno tutti i Chierici così di prima tonsura, come d' ordini minori ec.*; nec beneficiatos, quia ibi de his nulla mentio habetur.

(1) *Sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.*

(2) §. 15. *v.* Dovranno ec.

Quid requiratur, ut Clerici in majoribus ordinibus constituti, vel beneficiati fori privilegium amittant.

7. ℞. Requiri trinam monitionem ab Episcopo faciendam, ut decrevit Innocentius III. (1); nec satis esse unicam monitionem, quae tribus aequivaleat, sed requiri tres distinctas, ut docet Benedictus XIV. (2).

(1) *Cap.* 45. *de sent excomm.*

(2) *Lib.* 12. *cap.* 3. *n.* 4. *de Synodo Dioecesana.*

8. Pro nostris regionibus requiritur etiam trina monitio ab Episcopo facienda, ut Clerici majores, vel beneficiati excidant a privilegio fori; nec satis esse, ut deleantur e tabella in sacristia cathedralis Ecclesiae appensa; quia quoad deletionem a tabella instructio Pontificia loquitur

Digitized by Google

solum (1) de Clericis habentibus tonsuram, vel minores ordines. Nec refert, quod in dicta instructione (2) sic legatur: *Dovranno tutti i Chierici compresi anche gli artati*; quia in hoc versiculo sermo solum instituitur de his, quae praestanda sunt a Clerico, ut ascendat ad ordines sacros; at in versiculo subsequenti sermo habetur de amissione privilegii clericalis, ibique dicitur: *Dovranno tutti i Chierici così di prima tonsura come d'ordini minori far constare ... d'aver osservato i requisiti del Sacro Concilio di Trento intorno all' abito, e tonsura chiericale.* Porro Tridentinum ad conservationem privilegii clericalis delationem habitus, & tonsurae, & servitium Ecclesiae requirit solum in Clericis tonsuratis; vel minoribus ordinibus insignitis, non autem beneficiatis.

(1) §. 15. *v.* Dovranno.

(2) §. 15. *v.* 1.

9. ℟. Tertio Clericum nec beneficiatum, ne majoribus ordinibus initiatum excidere a fori privilegio absque ulla monitione, si habitum, & tonsuram non gerat. Id constat primo ex declaratione Sacrae Congregationis (1): secundo ex constitutione Innocentii III. (2), ubi sic legitur: " Decernimus, quod si qui sunt „ Clerici, aut prima tonsura, aut „ ordinibus minoribus initiati, nul„ lumque ecclesiasticum beneficium „ possidentes, qui neglectis Concilii „ Tridentini decretis habitum cleri„ calem, ac tonsuram non deferant, „ vel, si etiam deferant, non tamen „ certae Ecclesiae, aut loco pio, cui „ ex mandato Episcopi adscripti fue„ rint, inserviant, sive in Semina„ rio Ecclesiastico, vel in aliqua scho„ la, aut universitate de licentia suî „ Ordinarii non versentur, Episcopi „ nulla etiam praemissa monitione „ eos privilegio fori privatos decla„ rent, eorumque adscriptionem ser„ vitio certae Ecclesiae antea factam „ deleri jubeant. " Si tamen iste Clericus habitum a se gestari solitum ad breve tantum tempus deponeret, privilegio fori adhuc potiretur ex decreto S. Congr. (3).

(1) *In Mediolanensi die* 11. *augusti* 1595.

(2) *Incipiente* Apostolici ministerii *emanata die* 13. *maii* 1723. §. 6.

(3) *Die* 6. *octob. ut refert Fagnanus in cap.* Si quis primo *de foro compet n.* 20.

10. Censent plures nullam requiri sententiam Ordinarii declaratoriam, ut Clericus, qui non gerit habitum, & tonsuram, privilegium clericale amittat. Verum istis adhaerere non possumus, quia poenae, quae privant aliquo jure, non incurruntur ante sententiam judicis declaratoriam (1), ut inferius solide ostendetur. Atque hac in re Benedictus XIV. (2), refert declarationem S. Congr. approbatam ab Urbano VIII. Aliter tamen sentiendum erit, si Clericus habitum clericalem ita dimittat, ut animum clericandi, & ecclesiasticam conditionem dimisisse appareat; tunc enim

absque ulla Ordinarii sententia declaratoria, vel penes nos absque ulla Clerici a tabella expunctione, amittet privilegia clericalia (3).

(1) *Argum. cap.* Cum secundum 19. *de haeret. in* 6.

(2) *De Syn. Dioeces. lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 4.

(3) *Argum. cap.* 12. *de sent. excom. in* 6., *& cap. ult. de vita & honestate Clericorum*.

An Clericus privatus fori privilegio sit quoque privatus privilegio canonis, & beneficio capituli *Odoardus*.

11. ℟. Non esse privatum nec privilegio canonis ex decreto S. Congr. (1), nec privilegio capituli *Odoardus* ex alio decreto ejusdem Congregationis (2). Et clarius cum esset interrogata S. Cong., an, ut Clericus uti posset privilegio capituli *Odoardus*, requirerentur conditiones praescriptae a Tridentino (3): respondit (4)*decretum Concilii non ademisse Clericis non habentibus qualitates, quae exprimuntur in Tridentino, nisi privilegium fori, & caetera firma manere sub dispositione juris.*

(1) *In Aquensi mense februario* 1589.

(2) *Die* 15. *sept.* 1595.

(3) *Sess.* 23. *cap.* 6.

(4) *Lib.* 12. *decretorum pag.* 15.

12. Si res exigatur ad instructionem Benedictinam Clerici, qui non impleverunt conditiones ab eadem instructione requisitas, & a dicta tabella fuerunt expuncti, omnia amittunt privilegia; nam ibi dicitur (1) Clericos servantes conditiones praedictas gaudere omnibus privilegiis clericalibus, quibus e contra non gaudebunt ii Clerici, qui deleti fuerint a tabella ob non servatas conditiones, ubi attendendum illud *tho omnibus*, *& quibus*; unde sicut gaudent omnibus privilegiis qui easdem conditiones servaverint, ita e contra excidunt ab omnibus privilegiis, qui praedictas non impleverint.

(1) §. 15. *v.* Dovranno tutti i Chierici.

An Clerici nec beneficiati, nec in majoribus ordinibus constituti, si iterum induant habitum clericalem, recuperent privilegia clericalia.

13. ℟. Affirmative, modo clericalem habitum minime resumserint in fraudem; hac enim seclusa, Clericum hunc recuperare privilegia amissa, doctorum communis doctrina est tradita, ut censent, in jure canonico (1), cui inhaerens S. Congregatio sua conformavit decreta (2); id quoque locum habet, etiamsi Clericus clericatui omnino renuntiaverit animo v. gr. contrahendi matrimonium, vel dandi nomen militiae, & postea mutato consilio habitum clericalem resumserit, ut decrevit eadem S. Congregatio (3); atque exinde sequitur, quod si Clericus laicorum more indutus commiserit aliquod crimen, non possit a judice seculari coërceri, quoties resumserit habitum clericalem, modo, ut dixi, resumtio non fiat in fraudem. Resumere autem in fraudem praesumitur, quum

Digitized by Google

illum induit, inquit Benedictus XIV. (4), postquam a potestate seculari comprehensus, atque in carcerem conjectus, ex eo se per fugam subtraxit, aut, postquam e carceribus praestita cautione parendi judicis sententiae, dimissus fuit, inquit Fagnanus in cap. *Magnus* n. 73. *de obligatis ad ratiocinia*.

(1) *In cap. un. de Cler. conjug. in 6.*

(2) *Die* 7. *maii* 1672.

(3) *In Neapolitana mense junii* 1587.

(4) *Lib.* 12. *cap.* 3. *n.* 1.

14. Si dubium emergat, utrum in fraudem Clericus reassumserit habitum, nec ne, non erit secularis, sed ecclesiastici judicis declarare super fraudem; & interim debet judex laicus supersedere (1); enimvero quum jurisdictio judicis secularis sit fundata super hac fraude, de hac ante omnia constare debet, antequam judex laicus suam explicet jurisdictionem (2) prout respondit S. Congr. teste Fagnano (3).

(1) *Cap.* Si judex laicus *in fine de sent. excomm. in 6.*

(2) *L.* 2. §. Sed si dubitetur 6. *& l.* Si quis 5. *ff. de judiciis.*

(3) *In cap.* Magnus *n.* 74. 76. *de obligatis ad ratiocinia.*

15. Si qui sunt Episcopi, qui nolint suos Clericos iterum resumere habitum clericalem, ut evitentur dissensiones inter potestatem ecclesiasticam, & laicam, utantur monito eis a Benedicto XIV. (1) his verbis dato: " Praecipiant itaque Clericis, vel „ per publicum edictum, vel per citationem singulis factam, ut incedant in habitu, & tonsura, atque „ alicui inserviant Ecclesiae praefinito congruo tempore ad utrumque „ praestandum: hoc autem elapso ter „ illos commoneant, ut praecepto obtemperent ad normam textus in „ cap. *Contingit* 2. de sent. excomm. ... „ post trinam vero monitionem adversus inobedientes in sua persistentes contumacia sententiam ferant, „ qua declarent eos propria culpa „ excidisse clericalibus juribus, neque deinceps restituendos fore ad „ privilegia, quorum sua pervicacia „ se praebuerunt indignos. Quod si „ post hanc sententiam clericales vestes iterum induere praesumant, non „ propterea tamen a seculari foro se „ subtrahent, sed remanebunt eidem „ subjecti, perinde ac laici, quemadmodum tradit Fagnanus loco cit., „ atque ex sententia Sacrae Congregationis immunitatis confirmat Monacelli in formul. legal. pratic. „ tom. 2. tit. 15. formul. 4. cum „ tribus sequentibus.

(1) *Lib.* 12. *cap.* 3. *n.* 4. *de Syn. Dioecesana.*

16. Penes nos qui sunt expuncti a tabella in sacristia cathedralis Ecclesiae tenenda, non possunt amplius iterum induere habitum clericalem; clara enim sunt verba instructionis Pontificiae (1): *De' quali privilegj* (chiericali) *all' incontro non goderanno que' Chierici di prima tonsura, o ordini minori, che per non avere os-*

Digitized by Google

servati i suddetti requisiti, *saranno stati cancellati dalla detta tabella da tenersi pubblicamente in sagrestia*, *e non avranno la menzionata declaratoria del Vescovo*. Igitur, quum isti nec sint descripti in praedicta tabella, nec Episcopi declaratoriam habeant, nullis fruentur privilegiis, nec propterea, etiamsi habitum clericalem induerint, tamquam Clerici reputabuntur.

(1) §. 15. *v.* 2.

17. In iis dioecesibus nostratibus, in quibus Episcopi non retinent tabellam in sacristia cathedralis, aut si retineant, singulis annis non referant Clericorum nomina, omnes, quae inde orientur, controversiae exigendae erunt ad Tridentinum (1), si sermo sit de Clericis tonsura, vel minoribus ordinibus insignitis, si vero de beneficiatis, vel in majoribus ordinibus constitutis revocandae erunt ad decretum Innocentii III. (2).

(1) *Sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.*

(2) *In cap.* 45. *de sent. excom.*

Quale debeat esse servitium a clerico praestandum, ut gaudeat privilegio fori.

18. ℟. Tridentinum minime determinasse qualitatem servitii a Clerico praestandi; quare, quum de re agatur a jure praetermissa, poterit Episcopus illum modum, & formam definire, quam propterea servare debeat Clericus, & ita definisse S. Congreg. (1), refert Benedictus XIV. (2). Pro nostris autem regionibus ex instruct. Benedictina (3); servitium hoc debet esse pro majori anni parte diebus festis de praecepto in Ecclesia ab Episcopo designata secundum modum ab eodem praescribendum.

(1) *Die* 10. *Jan.* 1660.

(2) *Lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 4. *de Syn. Dioec.*

(3) §. 14. *v.* Oltre ec.

An Clericus tonsura, aut minoribus ordinibus insignitus cadat a privilegio fori, si Ecclesiae inserviat sine mandato Episcopi, aut non illi, quam Episcopus designavit, sed alteri.

19. ℟. Non excidere; " quamvis enim „ Tridentinum, (inquit Benedictus „ XIV.) (1) voluerit eum inservire „ Ecclesiae ex mandato Episcopi, „ haec tamen conditio mandati Epi„ scopi adeo levis visa est S. Con„ gregationi, ut illius defectus non „ satis sit ad spoliandum fori privi„ legio Clericum, caetera, quae po„ tiora sunt ab eodem Tridentino „ praescripta exacte adimplentem; & in hac re varia recenset S. Congregationis decreta; & sane quum nostris temporibus non amplius Clerici ordinentur pro certae alicujus Ecclesiae servitio, paucis exceptis, qui in Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis canonicatus, atque praebendas, Ecclesias parochiales, aliaque perpetua beneficia residentialia obtinent, hinc merito conditio Ecclesiae inserviendi ex mandato Episcopi levis visa est S. Congregationi, ut non valeat Clericum privare fori privilegio. Ex his colligitur, quod cum ex Pontificia in-

Digitized by Google

structione (2) Clericus ex mandato Episcopi inservire debeat Ecclesiae ab eo designatae; si fortasse Clericus vel non ex mandato Episcopi, vel ex mandato quidem, sed non Ecclesiae ab Episcopo designatae famuletur, non poterit Episcopus ob hoc solum privare fori privilegio.

(1) *Lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 5. *de Syn. Dioec.*

(2) §. 15. *v.* Dopo essere.

" Neque haec S. Congregationis re-
" sponsa, (prosequitur Benedictus
" XIV.) (1) alteri adversantur Tri-
" dentini decreto ejusdem sessionis
" 23. cap. 16., de quo nos ipsi su-
" perius egimus lib. 11. cap. 2., ubi
" nimirum vestigiis inhaerens 6. Ca-
" nonis Conc. Chalcedonensis nemi-
" nem in posterum ordinibus initian-
" dum decrevit, *qui illi Ecclesiae, aut*
" *pio loco, pro cujus necessitate, aut*
" *utilitate assumitur, non adscribatur,*
" *ubi suis fungatur muneribus*; simul-
" que eis sacri interdicendum praece-
" pit, qui, inconsulto Episcopo, ab Ec-
" clesia se proripit, cui fuit alligatus;
" aliud siquidem est Clericum posse
" compelli ad inserviendum Ecclesiae
" ab Episcopo designatae, aliud posse
" fori privilegio ideo privari, quod
" non illi, sed alteri Ecclesiae suum
" servitium impendat. Primum certe,
" non itidem alterum ex allegato Tri-
" dentini textu consequitur; quinimmo
" ex hoc aperte conficitur sola sus-
" pensione a divinis, aut interdictio-
" ne ascensus ad superiores ordines
" ejus esse puniendam contumaciam,
" qui inconsulto Episcopo ab Ecclesia
" recedit, cui in sui ordinatione fuit
" mancipatus, ut in suis suffragiis
" hac super re diligenter elucubratis
" concluserunt Carolus De-Vechis,
" & Prosper Fagnanus celebres olim S.
" Congregationis Concilii Secretarii.

(1) *Lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 6. *de Syn. Dioec.*

An per degradationem amittatur privilegium fori.

20. ℟. Affirmative, modò degradatio non sit verbalis (1), sed realis (2); eo enim tendit realis degradatio, ut Clericus exutus omnibus suis privilegiis laicorum judicum potestati tradatur, & ab iisdem, uti par est, puniatur.

(1) *Cap.* 10. *de judiciis.*

(2) *Cap.* 2. *de poenis in* 6.

An per matrimonium Clericus a fori privilegio cadat.

21. ℟. Antiquitus Clerici matrimonium contrahentes fori privilegium amittebant, etiamsi habitum retinuissent (1); at Bonifacius VIII. (2) aliud constituit, Clericos nempe conjugium ineuntes in judiciis sive civilibus, sive criminalibus adhuc gaudere privilegio fori, modo tamen unicam, & virginem uxorem duxissent, & in habitu, & tonsura incederent. Bonifacii constitutionem confirmarunt Tridentini Patres (3), hac insuper conditione adjecta, ut non aliter conjugati Clerici eo privilegio uterentur, quam si ab Episcopo deputati alicujus Ecclesiae servitio, eidem Ecclesiae inserviant, vel ministrent. In

Digitized by Google

noſtris regionibus nulli ſunt Clerici conjugati; unde ſi Clericus velit inire matrimonium retento habitu Clericali, id ipſi non permittitur contraria obtinente conſuetudine. Quare quum paucis ab hinc annis Clericus matrimonium contrahere cuperet, non dimiſſo habitu Clericali, idque a Rege poſtulaſſet, reſponſum fuit contrariam in noſtris regionibus vigere conſuetudinem.

(1) *Cap. 7. & 9. de Cler. Conjug.*

(2) *Cap. un. de Cler. Conjug. in 6.*

(3) *Seſ. 23. de reform. cap. 6.*

22. An per irregularitatem amittatur privilegium fori.

℟. neg.; nullibi enim id reperitur in jure generaliter ſtatutum; quare licet Clericus irregularis etiam ex delicto a ſacro quidem officio, aliquando etiam a beneficio cadat, non tamen a privilegio fori, vel canonis. Dixi generaliter; etenim aliquis eſt caſus, in quo irregulari imminet privatio privilegii totius Clericalis; nempe quum Clericus irregularitatem contrahit, quae oritur ex bigamia, ex concilio Lugdunenſi, quod generaliter ſtatuit iſtos Clericos omni privilegio Clericali eſſe nudatos (1); quibus verbis deducitur non modo minores, ſed & majores Clericos hac irregularitate innodatos privilegiis ſuis deſtitui.

(1) *Cap. un. de bigam. in 6.*

An per excommunicationem Clericus excidat a privilegio fori.

23. ℟. neg.; nullibi enim cautum legitur, ut Clericus praeciſus privilegio fori privetur; quamquam enim per excommunicationem ab Eccleſiae corpore ſejunctus maneat, nec amplius in omnibus Eccleſiae bonis communicet; attamen ſicut retinet beneficia ante legitime obtenta, ſic nec privatur fori privilegio.

An Clericus ordinatus ab alieno Epiſcopo falſis dimiſſoriis excidat a privilegio fori.

24. ℟. Clericos Italos fori privilegio privatos eſſe; id conſtat ex conſtit. Innocent. XII. incipiente: *Speculatores*, cujus haec ſunt verba „ Italos vero, ſi quos impoſterum Clericali caractere inſigniri, vel ad minores ordines promoveri ab alieno Epiſcopo cum falſis dimiſſoriis contigerit, etiamſi qualitatibus per concilii Tridentini decretum cap. 10. ſeſſ. 23. requiſitis praediti ſunt, nihilominus, ſecuta tamen deſuper judicis Eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio minime gaudere, ſed ſeculari juriſdictioni ut antea plene in omnibus ſubjacere, & ſubjectos eſſe reſpective volumus.

An Clericus aſſaſſinus cadat a privilegio fori.

25. ℟. Clericum aſſaſſinum eum dici, qui utitur opera alterius ad hominem occidendum. Quamvis, ſi proprie loqui velimus, aſſaſſinus ille dicitur, qui alterius mandato hominem occidit, & qui alterum induxit ad occidendum inſtigator potius, quam aſſaſſinus vocatur (1). De hiſce Clericis ita ſtatuit Innocentius IV. (2):

Digitized by Google

„ Sacri approbatione concilii statui-
„ mus, ut quicumque Princeps Prae-
„ latus, seu quaevis alia Ecclesia-
„ stica, secularisve persona, quem-
„ piam Christianorum interfici fece-
„ rit, vel etiam mandaverit, (quam-
„ quam mors ex hoc forsitan non
„ sequatur), aut eos receptaverit,
„ vel defenderit, seu occultaverit,
„ excommunicationis, & depositio-
„ nis a dignitate, honore, ordine,
„ officio, & beneficio incurrat sen-
„ tentias ipso facto." Ex hisce verbis plures colligunt Clericos assassinos esse ipso jure degradatos; ideoque privilegium fori amisisse. Non desunt tamen auctores, inter quos Barbosa, qui sentiunt hujusmodi Clericos Clericali privilegio non esse privatos, sed solum deponendos esse; unde docent textum concedentem eos impune occidi intelligendum esse de laicis, non vero de Clericis. Sunt etiam qui sentiunt nullam requiri pecuniam datam, vel promissam ad crimen assassinii; quia in dicto capitulo mentio nulla habetur de pecunia data, vel promissa. Verum contraria sententia probabilior videtur. Licet enim in dicto capitulo nullum verbum habeatur de pecunia data, vel promissa; quia tamen ibi sermo instituitur de interfectione per assassinos, assassini autem sint ii, *qui proposito sibi praemio, vel mercede alium occidunt*, ut constat ex Bulla Benedicti XIII. incipiente: *Ex quo divina*, jam patet pecuniam datam, vel promissam requiri ad crimen assassinii.

(1) *Coaruvias lib. 2. variarum resolut. cap. 29. n. 9.*

(2) *Cap. 1. de homicid. in 6.*

An Clericus per renunciationem amittere possit privilegium fori.

26. R. Clericum non posse renuntiare fori privilegio, ut declaravit Innocentius III. (1): *Quia pacto privatorum juri publico minime derogatur*, ut dicitur in cit. cap., quod eo usque protenditur, ut neque valeat renunciatio, licet fuerit jurejurando confirmata: *Quia quum in Millevitano, & Carthaginiensi conciliis sit specialiter promulgatum, ne Clerici Clericos, relicto suo Pontifice ad judicia publica pertrahant, juramentum licite servari non potest, quia contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur* (verba sunt citati capituli).

(1) *Cap. 12. de foro compet.*

Equidem non ignoramus Justinianum (1) decrevisse Clericum privilegio fori renuntiare posse; at Justiniani tempore nondum emanarat lex, quae Clericos obligaret, ut caussas suas dirimendas offerrent Episcopis, non vero Magistratibus secularibus. Verum, quum subsecutis temporibus cautum fuerit, ut Magistratus secularis non cognoscat Clericorum causas, prout constat ex Concilio Aurelianensi 4.° (2), Concilio Antissiodorensi (3), Milevitano, & Carthaginiensi, ut apparet ex dicto capitulo, sapienter declaravit Innocentius III., Clericum non posse renuntiare fori privilegio, praestito

etiam juramento. Hoc ipsum consonum quoque est nostris moribus; idque ostendit praxis legalis (4) auctoritate Fabri, & pluribus conclusionibus generalis Advocati a nostro Senatu approbatis.

(1) *L.* 29. *cod. de pact.*

(2) *Can.* 22.

(3) *Can.* 43.

(4) *Parte* 2. *tom.* 3. *pag.* 701. *num.* 10.

An Clerici officium joculatoris, & histrionis exercentes cadant a privilegio fori.

℟. De hisce Clericis ita statutum esse in jure Canonico (1): „Clerici, „ qui Clericalis ordinis dignitati non „ modicum detrahentes, seu joculatores, seu goliardos faciunt, aut „ bufones, si per annum artem illam „ ignominiosam exercuerint, ipso jure, si autem tempore breviori, & „ tertio moniti non resipuerint, careant omni privilegio Clericali." Quamvis autem hujusmodi Clerici exciderint ab omni privilegio Clericali, tamen requiritur adhuc sententia declaratoria Ordinarii, ut subsint tribunali laico, ut declaravit Sacra Congregatio (2).

(1) *Cap. un. de vita, & honestate Clericorum in 6.*

(2) *In Alatrina* 27. *mart.* 1638.

ARTICULUS III.

De immunitate reali.

SUMMARIA

1. *Bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum in triplici sunt differentia, & referuntur n.* 1. 2. & 3.
4. *Immunitas realis non ex jure divino, sed ex Principum secularium liberalitate Ecclesiae competit.*
5. *Explicatur, quaenam immunitas realis apud nos vigeat.*

1. Bona ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas spectantia in triplici sunt differentia. Primi generis bona sunt ea, quae nullam temporalem utilitatem habent adnexam, uti sunt Ecclesiae materiales, & coemeteria, vasa item, vestes, & quaecumque consecrata, vel benedicta tamquam divini cultus instrumenta. Porro haec bona a tributo, vectigali, & quibuscumque exactionibus immunia esse, communis est sententia; quia cum haec bona ad divini cultus ministerium sint deputata, nullis usibus humanis applicari debent (1); ideoque quum nullam habeant temporalem utilitatem, quae in aestimationem venire possit, ab omni quoque onere exemta esse debent.

(1) *Can.* Quae semel, *& seq. causa* 19. *q.* 3., *can.* Ligna 38. *& seq.*, *de consecr. distinct.* 1. *l.* Inter stipulantem 83. §. Sacram 5. *ff. de verb. oblig.*, *l.* Sancimus *cod. de Sacr. Eccl.*

2. Ad secundum genus referuntur boná Ecclesiarum, cum immobilia, tum mobilia, quae eo fine data sunt Ecclesiae, ut Praelatis Ecclesiarum nonnisi in pium usum puta Ecclesiae ornatum, aut pauperum sustentationem converterentur.

3. Ad tertium genus spectant ea bona, quae ad personas Ecclesiasticas dominii capaces referuntur, haecque duplicis generis sunt; alia enim nonnisi ex titulo spirituali acquisita sunt, uti beneficiorum fructus; alia nonnisi ex titulo temporali, puta arte, manuum labore, haereditate &c. prima bona, Ecclesiastica, secunda vero bona patrimonialia appellantur.

4. Non vacat inquirere in vicissitudines, quas sex praesertim prioribus Ecclesiae seculis bonorum Ecclesiae, & Clericorum immunitas passa est. Notum est omnibus in historia paullisper versatis variam conditionem subiisse, modoque auctam, & modo imminutam, prout Principes magis, minusve in Ecclesias, atque in earum ministros indulgentes fuerunt. Hae vicissitudines satis demonstrant non ex aliquo jure divino, vel naturali, sed ex Principum secularium liberalitate, & privilegio Ecclesiae immunitatem competere. Idque constat tum ex jure Canonico, tum ex Patribus: *Clerici* (ita in jure Canonico) *ex officio Episcopo sunt subjecti: in possessionibus praediorum Imperatori sunt obnoxii* (1). Si ergo Clerici in possessionibus praediorum Imperatori sunt obnoxii, evidens est Imperatorem in iis tributa imponere posse: *Si tributum*, inquit Ambrosius (2), *petit Imperator, non negamus. Agri Ecclesiae solvunt tributum, si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandi, quam nemo nostrum intervertit*. Concinit s. Thomas (3), qui postquam dixisset tributa recipere Principes ad sustentationem, posmodum subjicit: *Ab hoc tamen debito liberi sunt Clerici ex privilegio Principum*. Docet tamen ibidem convenientissimum esse, ut Clerici a tributis solvantur hisce verbis: *Quod quidem aequitatem naturalem habet: Unde etiam apud gentiles liberi erant a tributis illi, qui vacabant rebus divinis. Legitur enim gen. 47., quod Joseph subjecit Pharaoni totam terram Ægypti praeter terram Sacerdotum, quae a Rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur.*

(1) *Can.* Si quae causae 26. *causa XI. q.* 1.

(2) *In orat. contra Auxentium ep.* 32. *lib.* 5., *& can.* 27. *cit. caus. & quaest.*

(3) *In cap.* 13. *ep. ad Rom.*

5. Quum igitur Clerici ex Principum voluntate, & liberalitate sint exemti a tributis, & hujusmodi liberalitates, & privilegia non eadem sint, nec aequalia in omnibus ditionibus, unusquisque Clericorum sequi debet morem, & consuetudinem patriae suae in hisce persolvendis. Penes nos de hac immunitate actum

Digitized by Google

fuit inter Benedictum XIII., & Victorium Amedeum (1), atque conventum, ut bona Ecclesiarum, quae jam erant in censum, seu catastum relata anno 1620. omnibus oneribus essent subjecta, quae vero tunc non erant illata in dictum catastum, essent immunia a tributis. Quod pertinet ad patrimonia Clericorum, conventum quoque fuit, ut patrimonia constituenda tributis subjicerentur post Regiam notificationem, quae prodiit die 24. junii 1727., patrimonia vero ante hoc tempus constituta gauderent adhuc immunitate. Haec omnia renovata fuerunt inter Benedictum XIV., & Carolum Emanuelem felicis recordationis (2).

(1) *Relazione istorica delle vertenze pag.* 37.

(2) *Instruzione di Benedetto XIV.* §. 6.

ARTICULUS IV.

De immunitate locali.

SUMMARIA

1. *Exponitur divisio totius articuli.*
2. *Referuntur constitutiones Ss. Pontificum ad immunitatem localem pertinentes.*
3. *Refertur instructio Pontificia Benedicti XIV., ejusque per Clementem XIII. extensio ad eas provincias, quae post annum 1728. ditioni nostrae adjectae sunt.*
4. *Refertur instructio Clement. XIV.*
5. *Omnes constitutiones, & instructiones superius memoratae Taurini typis editae sunt; sicut & Breve Clement. XIV. incipiens* Circumspecta.
6. *Refertur Breve Pii VI. facultatem faciens extrahendi milites desertores ab Ecclesiis, eosque transferendi in Sardiniam.*
7. *Exponitur modus, quo in congregatione habita coram praeclarissimis viris fuit expositum Breve Pii VI.*
8. *Refertur aliud Breve Pii VI., quo conceditur facultas extrahendi milites ab Ecclesiis ob quodcumque delictum.*
9. *Declarat Pius VI. violenter eximentes reos e manibus justitiae non gaudere immunitate, & in duobus casibus adhuc appellationi locum esse.*

1. Acturi de immunitate locali totam materiam dividemus in plures paragraphos, in quorum primo indigitabimus constitutiones a summis Pontificibus emanatas circa immunitatem localem. In secundo de locis, quibus haec immunitas competit. In tertio de personis, quae hoc privilegio frui possunt. In quarto de delictis exceptis, seu iis, quibus amittitur immunitas. In quinto de effectibus, quos haec producit. In sexto de peccatis, & poenis eam violantium. In septimo tandem de modo, quo extrahendi sunt rei ab Ecclesiis, & locis sacris.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS I.

De variis summorum Pontificum constitutionibus immunitatem localem concernentibus.

2. Quum plures excitatae fuerint quaestiones circa immunitatem localem, pluresque essent, qui hac immunitate abuterentur, summi Pontifices ad quaestiones, & abusus tollendos plures ediderunt constitutiones, inter quas primum locum obtinet constitutio Gregorii XIV., quae incipit: *Quum alias* (1). Post hanc edita est (2) alia constitutio a Benedicto XIII. incipiens: *Ex quo divina*. Hanc consecuta est constitutio Clementis XII. (3), cujus initium est: *In supremo justitiae solio*, quae favore tantum Pontificii status edita fuit. Post hasce constitutiones Bened. XIV. suam quoque edidit constitutionem (4) incipientem: *Officii nostri ratio*, quam non solum in omnibus locis immediate, vel mediate sibi, & Romanae Ecclesiae subjectis, „ verum etiam in aliis regnis, provinciis ac ditionibus, ad quas supradictae constitutiones sive peculiaribus concessionibus .... sive per viam concordati extensae, & ampliatae fuerunt, quatenus nimirum congruere dignocantur cum iis concordatis, quibus nulla in re derogare intendit, locum perpetuum habere, suosque debitos effectus sortiri, & obtinere vult: & decernit (verba sunt ejusdem constitutionis) (5).

(1) *Nono kal. jun.* 1591.

(2) *Sexto idus jun.* 1725.

(3) *Kal. febr.* 1734.

(4) *Idib. mart.* 1749.

(5) §. Et quidem haec omnia.

3. Verum quum tres primae memoratae constitutiones non potuerint finem imponere omnibus controversiis, quae erant exortae, & in dies exoriebantur; hinc plures Principes religiosissimi ad s. Sedem recursum habuere, ut in quibusdam casibus publicae suorum dominiorum quieti, ac tranquillitati congruentibus, & necessariis permitteret reorum extractionem ab Ecclesiis. Quoad nostras regiones controversiae istae fuerunt compositae Pontificia instructione, quam Bened. XIV. misit ad invictissimum Regem Carolum Emanuelem felicis recordationis, qui scripta (1) in eam rem ad Pontificem Epistola, eam acceptavit.

(1) *Die* 17. *jan.* 1742.

4. Quoniam vero instructio Pontificia Bened. XIV. sic est inscripta: *Istruzione della S. M. di Benedetto XIV. dipendentemente dal concordato della S. M. di Benedetto XIII. per l' immunità*, ideoque sit solum appendix quaedam ad dictum concordatum, quod initum est intet Victorium Amedeum, & Benedictum XIII. an. 1727., 1728.; hinc non extendebatur ad eas provincias, quae post annum 1728. Augustissimae domus Sabaudae dominiis subactae fuerant.

Quapropter petente Rege Carolo Emanuele, Pontificia instructio Benedicti XIV. a Clemente XIII. suo Brevi (1) incipiente : *Pastoralis officii*, fuit extensa quoad ea, quae concernunt immunitatem in §. 9. 10. 11. 12. 13. ejusdem instructionis Benedicti XIV. ad eas provincias tractatuum Viennae (2), & Aquisgrani (3) a statu, & ducatu Mediolanensi avulsas, ac dicto Carolo Emanueli assignatas, attributas, & subjectas, ejusque temporali dominio unitas.

(1) *Die* 3. *sept.* 1763.

(2) *An.* 1736.

(3) 1748.

5. Quum autem dubia aliqua fuissent excitata circa interpretationem instructionis Pontificiae, & quidam casus essent adhuc excipiendi tranquillitati nostri status faventes, ad instantiam Caroli Emanuelis aliam dedit instructionem Clemens XIV., in qua aliqua declaravit ad Benedictinam instructionem pertinentia, & casus excepit, in quibus rei criminum privilegio frui non possunt, qui necessarii judicati sunt hujusce status tranquillitati. Instructio Benedictina, & omnes constitutiones, de quibus supra, continentur in collectione typis edita in hac Regia urbe (1), in qua invenitur etiam Breve ejusdem Papae Clem. XIV., quod incipit: *circumspecta* (2), ubi ea omnia, quae in instructione Benedicti XIV. statuta sunt (3) de Vicariis Generalibus ab Episcopis extraneis constituendis in parte dioecesis, quam habent in nostris regionibus, extenduntur ad provincias Viennensi, & Aquisgranensi tractatu nostro Regno attributas.

(1) *Ann.* 1770.

(2) 1769. *die* 22. *sept.*

(3) §. 1.

6. Haec tamen omnia satis non fuerunt, ut obviam iretur omnibus incommodis, quae in dies oriebantur ex Ecclesiarum immunitate praesertim propter facilem eorum, qui militiae nomen dederunt, patentemque aditum ad loca immunia. Quapropter Pius VI. suo Brevi (1), annuens voluntati Victorii Amedei feliciter regnantis „ Archiepiscopis & Episcopis „ Civitatum, & Dioecesum sub dominio dicti Victorii Amedei Regis existentium facultatem impertitus est „ cum debita licentia, ac interventu „ personae Ecclesiasticae ab iisdem „ Archiepiscopis, & Episcopis respective deputandae milites reos desertionis a quibusvis Ecclesiis, & locis „ immunibus dictarum civitatum, & „ Dioecesum extrahendi, ac illos „ consignandi eorum Praefectis, reportata tamen prius ab iisdem promissione more nobilium de non „ plectendis hujusmodi militibus morte, aut aliqua gravi poena corporis afflictiva sub poena excommunicationis latae sententiae adversus „ contravenientes sibi, & pro tempore existente Romano Pontifici, „ praeterquam in articulo mortis reservatae. Postea quam vero milites praedicti ex locis immunibus

„ extracti suisque Praefectis consi-
„ gnati fuerint, ut ad Sardiniae re-
„ gnum transmitti possint, ibique
„ ad sua militaria obsequia prae-
„ standa in copiis ipsius Victorii
„ Amedei Regis ad tempus etiam
„ decennii detineri libere, ac licite
„ valeant, *concedit*, & *indulget*."
„ Quod si facilis, ac tuta minime
„ sperari possit eorum militum trans-
„ latio ad regnum praedictum, facul-
„ tatem quoque illos vinctos, & ligatos
„ usque ad locum, in quo ipsi naves
„ conscendere debeant pari auctorita-
„ te, ac tenore *tribuit*, *ac elargitur*.

(1) *Die* 18. *april*. 1776.

7. In congregatione habita die 15. augusti ejusdem anni 1776. coram Archiepiscopo Rorengo de Rorà, & aliis praeclarissimis viris, Breve Pii VI. hoc modo explicatum est.

1. Ut Breve locum habeat non solum in nostris regionibus, sed etiam in Sardinia, ita ut desertores milites in Sardinia extrahi possint ab Ecclesiis, & obligari ad ibi inserviendum in copiis dicti Victorii Amedei.

2. Ut milites in nostris regionibus desertores, qui ab Ecclesiis extracti, & in Sardiniam transmissi ad ibi inserviendum in copiis, si iterum fiant ibi desertionis rei, posse quidem extrahi ab Ecclesiis, & obligari ad inserviendum iterum per decennium, non computato servitio jam praestito in dictis copiis, & puniri aliqua poena, non tamen gravi, uti esset poena carceris ad tempus, jejunii, in pane, & aqua, exclusa semper verberatione sive baculo, sive quocumque alio instrumento.

3. Similiter desertores in nostris regionibus, & in Sardiniam transmissi ad suam operam in copiis collocandam, si iterum militiam deserant, & capiantur extra Ecclesias, aliaque loca immunia, non posse, uti recidivos, poena mortis lege Regia contra recidivos statuta puniri; quia, quum isti nondum obtinuerint gratiam primae desertionis, si iterum fiant desertores, non possunt proprie dici recidivi, sicut ille, qui e primo morbo non convaluit, non potest unquam dici in eumdem morbum recidivus. Adde quod desertio in Sardiniae insula ex se sola apta non est ad mortem caussandam, ergo neque conjuncta cum desertione facta in nostris regionibus; alioquin haec desertio influeret in gravem aliquam poenam corporis afflictivam; quod non permittitur in dicto Brevi.

8. Quum facultas a Pio VI. in suo Brevi jam citato extrahendi reos ab Ecclesiis ad milites dumtaxat desertores restricta satis non esset ad coërcendam militarem arrogantiam fuit extensa ab eodem Pio VI. alio Brevi (1) *ad omnes alios milites*, *qui aliquod delictum adversus militarem disciplinam*, *vel aliter commiserint*, *servatis tamen omnibus*, & *singulis conditionibus* in primo Brevi expressis, *nisi tamen levi crimine sint noxii*; *tunc quippe ad insulam Sardiniae transmitti non* poterunt, *sed praevia levi*

Digitized by Google

poena suis signis dumtaxat restitui debeant. Decernitur insuper in eodem Brevi, *quod in eos milites, qui aut in desertionis, aut in alio crimine recidivi fuerint detecti, quique ad Ecclesiam confugerunt, postquam denuo modis, & formis in dictis litteris expressis fuerint ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus extracti, animadverti possit juxta diversam patratorum criminum malitium carcere etiam, vel catena, sine tamen ulla sanguinis effusione, & dummodo ne virgis, aut baculo plectantur.*

(1) *Emanato die* 11. *decemb.* 1779.

9 Sed nondum dubiis, & quaestionibus finis. Si quidem hoc anno, quo scribo, duo adhuc exorta sunt dubia. Primum, an violenter eximentes reos e manibus justitiae comprehendantur sub dispositione paragraphi IX. Instructionis Benedictinae; ideoque immunitatis ecclesiasticae beneficio non amplius fruantur. Secundum, an quando causa est devoluta ad Archiepiscopum Taurinensem, eo quod Episcopus judex primae instantiae intra mensem in Instructione Benedictina praescriptum nullam protulerit sententiam, liceat a sententia Archiepiscopi Taurinensis, quasi esset judex primae instantiae ad Episcopos vel Salutiensem, vel Eporediensem appellare, eo prorsus modo, quo, dum Archiepiscopus Taurinensis est judex primae instantiae, disponitur; tum etiam, an quando Archiepiscopus Taurinensis judex primae instantiae existens intra praescriptum mensem nihil per sententiam declarans, causa ad praefatos Episcopos in judices appellationis, ut praefertur, designatos devolvatur, parti succumbenti altera competat appellatio. Pius VI. suo Brevi dato Viennae in Austria (1) piis Victorii Amadei Regis feliciter regnantis votis favorabiliter annuens, declaravit primo, quod deinceps rei violentae exemptionis delinquentium e manibus publicae potestatis beneficio ecclesiasticae immunitatis non gaudebunt, sed quod sub dispositione dicti paragraphi IX. Instructionis Benedictinae comprehensi sint.

Declaravit secundo licere a sententia Archiepiscopi Taurinensis, quasi esset judex primae instantiae ad Episcopum Salutiensem, hocque mortuo, vel impedito, ad Eporediensem appellare, si Episcopus primae instantiae intra mensem nihil declaraverit; & quando causa devolvitur ad Episcopum vel Salutiensem, vel Eporediensem, quia inter mensem praescriptum Archiepiscopus Taurinensis sententiam non tulerit, liberum esse parti succumbenti quemcumque ex Archiepiscopis, & Episcopis in ditionibus temporalibus eidem Victorio Amadeo invictissimo Regi nostro subjectis in judicem appellationis eligere.

(1) *Die* 9. *april.* 1782.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS II.

De locis, quibus competit immunitas.

SUMMARIA

1. *Explicatur, quibus Ecclesiis ex jure communi competat immunitas.*
2. *Indicatur, quaenam Ecclesiae lex Instructione Pontificia immunitate gaudeant.*
3. *Ecclesia, in qua continuo administrantur Sacramenta, excepto baptismo, licet in ea non servetur Ss. Sacramentum, gaudet immunitate.*
4. *Si locus sit divisus, fruitur immunitate Ecclesia sita in una loci parte.*
5. *Ecclesia, quae non distat a loco plusquam decem exapedis, gaudet immunitate.*
6. *Exponitur, ad quae Ecclesiae membra ex jure communi extendatur immunitas.*
7. *Ad quae Ecclesiae membra restricta sit immunitas ex Instructione Pontificia, indicatur.*
8. *Immunitas competit Monasteriis, tum ex jure communi, tum ex Instructione Pontificia.*
9. *Competit pariter immunitas hospitalibus, & Seminariis, tum jure communi, tum probabilius ex Instructione Pontificia.*
10. *Grangiae saltem pro nostris regionibus non gaudent immunitate.*
11. *Claustra religiosorum, etiamsi in iis milites habitent, immunitate fruuntur.*
12. *Quamvis secundum plures jure communi immunitas competat Oratoriis privatorum, non tamen ex Instructione Pontificia.*
13. *Competit immunitas jure communi coemeteriis ab Ecclesia separatis; idque penes nos locum habere videtur.*
14. *Palatio Episcopi jure communi competit immunitas, at penes nos idem sentiendum de palatio Episcopi, ac de domibus Parochorum.*
15. *Conservatoria foeminarum non gaudent immunitate.*

1. Immunitas localis competit, primo omnibus Ecclesiis auctoritate Episcopi erectis (1), licet nondum sint consecratae (2), imo licet in iis divina non sint adhuc celebrata (3), licet sint pollutae, vel interdictae, quia non desinunt esse locus sacer, & ob eamdem rationem licet sin dirutae, modo non sint dirutae auctoritate Episcopi, & subsit spes reaedificationis (4).

(1) *Cap.* Inter alia 6., *de immunitate, can.* Si quis 20. *can.* Definivit 35., & 36. *caus.* 17. *q.* 2.

(2) *Cap.* Ecclesia 9. *de immunitate Ecclesiarum.*

(3) *Argum. cap.* 9. *de imm. Ecclesiarum; ibi enim dicitur immunis Ecclesia*, quia obsequiis divinis est dedicata. *Porro Ecclesia est obsequiis divinis dedicata, etiamsi in ea non sint celebrata divina mysteria.*

(4) *Argum. can.* Quae semel 4. *caus.* 19. *q.* 4. & *haec ex jure com.*

2. Instructione Pontificia distinguendum est inter Ecclesias, quae sitae sunt in civitatibus, aut in locis habitatis, & inter eas, quae extra loca habitata consistunt. Primae gaudent immunitate, licet in his non servetur SS. Sacramentum (1), licet sint dirutae, antequam Episcopo jubente in usus profanos fuerint conversae (2). Secundae vero non gaudent, nisi in iis servetur SS. Sacramentum, vel sint Parochiales, aut parochialium filiales, in quibus exerceatur animarum cura (3).

(1) §. 10. *v.* Le Chiese rurali, *ibi enim Ecclesiae rurales excipiuntur ab immunitate*; *ergo Ecclesiae sitae in urbibus, vel locis habitatis immunitate fruentur. Conclus. Advocati Generalis* 27. *maii* 1767.

(2) §. 10. *v.* Le Chiese dirute.

(3) §. 10. *v.* Le Chiese rurali.

An Ecclesia, in qua continuo administrantur sacramenta excepto Baptismo, sed in ea non servatur SS. Sacramentum gaudeat immunitate.

3. ℟. Affirmative, nam haec Ecclesia est vere parochialis, licet in alia Ecclesia ejusdem loci servetur Eucharistia, & omnia administrentur sacramenta. Hinc cum a coemeterio muro circumdato sito ante prospectum Ecclesiae SS. Anunciationis loci Salis veteris Parochiae ejusdem loci extracti essent tres desertores ex Regia ordinatione emanata die 6. decembris 1745., ita sentientibus viris gravibus electis a Carolo Emanuele ad elucidandas quaestiones circa immunitatem contentam in Instructione Benedictina, Ecclesiae restituti sunt. Aliud dicendum, si per accidens in aliqua Ecclesia omnes functiones ecclesiasticae perficiantur. Quare quum ad Ecclesiam ss. Bini, & Evasii prope Padum sitam confugisset quidam Vercellinus ob furtum commissum, Archiepiscopus Taurinensis, & iidem viri graves approbante Rege sua ordinatione emanata die 5. febr. 1748. judicarunt supradictam Ecclesiam esse campestrem, nec gaudere immunitate, licet omnes parochiales functiones in ea fuissent peractae, dum renovabatur Ecclesia Parochialis S. Marci.

Quid, si locus sit divisus in plures partes, Ecclesia, quae in una ex hisce partibus existit, si non sit Parochialis, gaudebit ne immunitate?

4. ℟. Affirmative, & ita senserunt iidem viri graves approbante pariter Rege die 4. decembr. 1742., nempe Ecclesiam Fontani, qui est membrum Saorgii, in quam se recepit Joannes Baptista Gastaldi desertor, gaudere immunitate, eo quod illa Ecclesia proxima esset pluribus domibus, inter se unitis, quae constituunt membrum illius loci.

Hinc pariter Rex praecepit die 4. martii 1746., ut Ecclesiae restitueretur desertor De-Leone, quia ingressus fuerat in Ecclesiam S. Sebastiani Podivarini; quum domus, quae hanc Ecclesiam circumstant, partem loci constituant. Aliud sentiendum, si domus aliquae simul unitae sint

Digitized by Google

ruri; Ecclesia enim, quae ibi existet, censebitur ruralis, proindeque non immunis. Hinc immunitate carens judicata est Ecclesia S. Annae in territorio Montilii; quamvis enim haec Ecclesia domus aliquas parum a se distantes haberet, ita ut una earum solum quatuor exapedis distaret, quia tamen hinc inde dispersae nec locum, nec loci partem constituere censentur, immunitate privatam putarunt iidem viri graves, quam opinionem probavit Rex die 4. julii 1744. Ob eamdem rationem judicata fuit ab iisdem viris ruralis capella SS. Annunciationis sita in finibus Braydae dictis *del Bandito*, cui accessit approbatio Regia die 5. febr. 1748. Similiter judicata fuit ruralis Ecclesia S. Rochi loci *della Montà* ab iisdem viris; hocque judicium probavit Rex die 31. augusti 1748.; idemque ante senserat Episcopus Astensis, ut ex ejus epistola die 3. maii 1748. ad Parochum dicti loci constat.

Quid sit sentiendum penes nos de Ecclesia, quae non longe distat a civitate, aut loco habitato.

℟. Videndum, num ita proxima sit, ut pars urbis, vel loci censeri possit, an secus. Si primum, gaudebit immunitate; non vero si alterum, ut constat ex numero 2. Porro Ecclesia ita proxima censenda est, ut in loco esse judicetur, quoties a loco non distat plus quam decem exapedis. Hinc quum a Capella S. Sebastiani loci Vernantis, quae decem solum exapedis distabat a loco, extractus esset gabellarum fraudator Joseph Jordanus, jussit Rex die 22. martii 1743. eum eidem Ecclesiae esse restituendum. At si Ecclesia plus quam decem exapedis absit a loco, & solum interceptum Ecclesiam inter & locum sit excultum, non ita loco proxima putatur, ut immunitate fruatur. Quapropter non esse restituendum Ecclesiae SS. Annunciationis Beynetarum Ghilmer ab ea extractum opinati sunt iidem viri graves die 21. septemb. 1743., nec quidquam obstitit huic judicio ferendo, eo quod solum olim non esset excultum; quia in hac re attendi debet tempus praesens, non praeteritum.

An ad omnia Ecclesiae membra extendatur immunitas Ecclesiae.

6. ℟. Extendi ad omnem ejus fabricam tum internam, tum externam, ita ut complectatur capellas, sacristiam, parietes, turres, tectum. (1), atrium Ecclesiae, claustrum, porticum, ambitum, dormitorium (2), quando sunt de fabrica Ecclesiae, vel Ecclesiae connexa; immo extenditur ultra eas (3) Ecclesias in majori quidem Ecclesia per 40. passus, in capellis vero, vel minoribus Ecclesiis per 30. circumquaque. Verum haec protensio immunitatis extra Ecclesiam non est amplius usu recepta, unde non vacat hic apponere limitationes, quas in hac re afferunt auctores.

(1) *L.* Pateant *cod. de his, qui*

Digitized by Google

ad Ecclesiam confugiunt; *can.* Frater; *can.* Si quis in atrio, *caus.* 17. *q.* 4.

(2) *Can.* Si quis in atrio, *can.* Frater, *can.* Si quis contumax *caus.* 17. *q.* 2.

(3) *Can.* Sicut antiquitus, *can.* Definivit *caus.* 17. *q.* 4., *& ex l.* Praesenti *cod. de his, qui ad Ecclesiam confug.*

7. Ex Instructione Pontificia Ecclesiae immunitas primo protrahitur solum ad atrium, quando muro, aut porticibus sit circumdatum. Unde si platea ante Ecclesiam sit lapidibus, vel columnis inter se aliquomodo distantibus circumdata, non gaudet immunitate. Quare Oratorium S. Annae Vercellarum, eo quod non esst circumdatum muro, aut porticibus, sed simpliciter a via publica separabatur per 5. aut 6. columnas non frui immunitate, mens fuit eorumdem virorum gravium una cum approbatione Regis die 3. maii 1746. Caeterum si sermo sit de reo, qui jam ingressus sit Ecclesiam, aut prospectum anteriorem tetigerit, iste, etiamsi commoretur in platea Ecclesiae, lapidibus, vel columnis inter se distantibus circumdata, usu receptum est (1), ut gaudeat immunitate; impossibile enim est, ut rei semper maneant in Ecclesia praesertim nocturno tempore, vel adhaerentes semper sint muro prospectus exterioris Ecclesiae.

(1) *Ita ex conclus. Advoc. Gener. die* 18. *aug.* 1765. *in causa Fisci Saviliani contra Germundum, & die* 6. *januar.* 1767. *in causa Fisci Caramaniae contra Girandum.*

Secundo Ex eadem Instructione (1) extenditur secundo immunitas Ecclesiae ad scalas, & januas positas, sive in Ecclesiae prospectu, sive in ejus latere.

(1) §. 10. *v.* Le Chiese rurali.

Tertio. Ad frontem ipsius Ecclesiae; hinc immunitate non gaudet reus, qui a prospectu exteriori Ecclesiae distat per 9. aut 12. uncias (1), si nondum eumdem prospectum tetigerit. Similiter eadem immunitate non fruitur, qui invenitur super gradus portae conventus, si sit a prospectu exteriori Ecclesiae sejuncta (2). Idem dicendum, si idem reus muro laterali Ecclesiae adhaereat, vel portae sacristiae (3). Aliud dicendum si adhaereret portae extra Ecclesiam anteriori vulgo *Paravento* (4).

(1) *Ex conclus. Advocati Generalis die* 8. *januarii* 1759. *in caus. Fisci Rivarae contra Lanzonem.*

(2) *Ex Conclus. Advoc. Gener. die* 21. *april.* 1760. *in caus. Fisci Cherasci contra Ambere.*

(3) *Ex Conclus. Advoc. Gener. die* 10. *jul.* 1762. *in caus. Fisci Taurini contra Ambrosium.*

(4) *Ex Concl. Advoc. Gener. die* 8. *mart.* 1767. *in caus. Fisci Castellani contra Elenam.*

Extenditur quarto ex eadem Instructione (1) ad loca omnia Ecclesiae, & cujuscumque domus religiosae mu-

ro cincta, & in clausura comprehensa. Quinto ad campanile, seu sacram turrim, quando Ecclesiae muro juncta est (2). Sexto ad omnes domos Parochorum, vel aliorum ecclesiasticorum, qui ad curam, & Ecclesiae custodiam destinati sunt sub hac duplici conditione, modo scilicet Parochi, vel Sacerdotes per se & non per alios eas inhabitent, & modo eae domus immediatam communicationem cum eadem Ecclesia habeant, licet aditum habeant in viam publicam (3).

(1) §. 10. *v.* Gli orti:

(2) §. 10. *v.* I campanili.

(3) §. 10. *v.* Le case.

8. Competit secundo jure communi Monasteriis, & Conventibus (1). Monasteriis, aliisque domibus religiosis competere immunitatem supponit Instructio Pontificia (2).

(1) *Can.* Quisque 21. *caus.* 17. *q.* 4. *l.* Omnia privilegia, *cod. de Episcop. & Cleric. Constit. Gregorii XIV. incipiente*: Cum alias Monasteriis, domibus regularibus, locisque sacris, aut religiosis.

(2) §. 10. *v.* Gli orti, *jam cit. n. praecedenti*, *&* §. 10. *v.* Le botteghe.

9. Competit tertio ex jure communi hospitalibus, modo sint auctoritate Episcopi erecta (1), quia tunc censentur locus sacer, & religiosus, non autem solum pius; & hoc locum quoque habere videtur in nostris regionibus; neque enim in Benedictina Instructione (2) hospitalia declarantur immunitate carentia; quare in hac re standum erit juri communi; jure autem communi hospitalibus immunitas adscribitur. Falsum autem est nostris in regionibus solas Ecclesias gaudere immunitate; dicitur enim in Instructione Benedictina (3). *Coloro, che tanto nelle Chiese, quanto ne' cimiterj, o in qualunque altro luogo immune*. Supponit ergo Instructio Pontificia praeter Ecclesias, & coemeteria esse alia loca immunia penes nos. Favent in hac re Conclus. Advoc. Gener. (4). Adde, quod in Instructione Pontificia excipiuntur loca, quae amplius immunitate non gaudebunt his verbis: *Per l' avvenire non goderanno dell' immunità i seguenti luoghi. Le Chiese rurali ec.* (5). Ergo cetera loca, quae ibi non excipiuntur, immunitate adhuc gaudere debent. Quod diximus de hospitalibus, idem dicendum videtur de Seminario, quod, quum sit auctoritate Episcopi erectum, est locus sacer, & religiosus.

(1) *Cap.* De Xenodophiis *tertio cap.* Ad haec 4., *& cap.* Ne nimia 9. *de religiosis domibus*, *l.* Sancimus 22. *cod. de sac. Ecclesiis*, *l.* Omnia 35. *cod. de Episc.*, *& Cler.*

(2) §. 10.

(3) §. 9. *v.* Coloro che tanto.

(4) *Die* 21. *novemb.* 1758. *in causa Fisci Castellani contra Casellum.*

(5) §. 10. *Initio.*

An immunitate gaudeant villae, seu grangiae, quas recreationis gratia,

Digitized by Google

aut hospites excipiendi habent Regulares.

10. ℟. Quidquid sit de jure communi pro nostris regionibus grangiae immunitate non fruuntur, quia immunitas non conceditur quibuscumque domibus Religiosorum, sed solum iis domibus, ubi ipsi habitant, servatis clausurae regulis (1), & ita conclusit Advoc. Generalis (2).

(1) §. 10. *v.* Gli orti, e giardini.

(2) *Die 12. jan. 1764. in causa Fisci Novariae contra Malviventi.*

An claustra religiosorum, in quibus tempore belli quandoque habitant milites, gaudeant etiam immunitate.

11. ℟. Eum, qui in claustra Religiosorum se recipit, etiamsi postmodum in illis ponantur milites, non amittere immunitatem. Ita senserunt viri graves supra citati quoad Ambrosium Albertini desertorem extractum a cubiculo habente unicum ingressum in claustra Patrum S. Dominici civitatis Savonae; unde fuit restitutus eidem Ecclesiae ex R. ordinatione die 5. februarii 1748.

12. Secundum plures competit quarto jure communi immunitatis privilegium oratoriis in domibus privatorum existentibus, modo sint auctoritate Episcopi erecta, & subsint visitationi, ac jurisdictioni Episcopi; quia sunt vere loca religiosa, nec amplius ad usus profanos converti possunt (1); at Instructione Pontificia capellae, & oratoria existentia in domibus privatorum, Magnatum, licet gaudeant privilegio publici oratorii, aditumque habeant in viam publicam, non fruuntur immunitatis praerogativa, & idem statuitur ibi de capellis, quae sitae sint in arcibus clausis, licet in his servetur SS. Sacramentum (2).

(1) *Cap.* Ad haec. 4. *de religiosis domibus*.

(2) §. 10. *v.* Le cappelle.

13. Competit quinto jure communi immunitas coemeterio, quamquam ab Ecclesia separato, modo auctoritate Episcopi sit constructum (1). Pro nostris regionibus coemeteria non gaudent immunitate, nisi sint muro cincta, dicitur enim in Instructione Pontificia (2) viridaria, & alia loca Ecclesiarum immunitate non gaudere, nisi sint muro cincta; coemeterium autem est locus Ecclesiae; an vero coemeteria debeant esse Ecclesiae juncta, ut immunitate gaudeant, penes nos res controversa esse potest, si mens Instructionis Pontificiae attendatur, dicendum videtur immunitate gaudere; nam in dicta Instructione sic legitur (3): *Coloro, che tanto nelle Chiese, quanto ne' cimiterj, o in qualunque altro luogo immune.* Porro haec verba separare videntur Ecclesias a coemeteriis. Huic sententiae favet regium chirographum emanatum die 6. decembris 1745. Vide numerum tertium.

(1) *Cap.* Cum Ecclesia V. *de immun. Eccles.*

(2) §. 10. *v.* Gli orti.

(3) §. 9. *v.* Coloro, che tanto.

Digitized by Google

14. Competit sexto immunitas palatio Episcopi (1). Addunt plures hoc privilegium palatio Episcopi competere, etiamsi sit sejunctum ab Ecclesia, atque in hanc rem plures afferunt declarationes S. Congregationis. Pro nostris tamen regionibus idem dicendum erit de palatio Episcopi, ac dictum est de domo Parochorum, aliorumque Sacerdotum, qui addicti sunt curae, & custodiae Ecclesiarum ex usu recepto.

(1) *Can.*Id constituimus 36. *c.* 17. *q.* 4., *ubi sic*: Id constituimus, ut a domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat.

An conservatorium foeminarum immunitate fruatur.

15. ℟. Non frui, quia scilicet non censetur locus sacer, & religiosus; & ita conclusit Advocatus Generalis die 6. martii 1761. in causa Fisci Borgomaneri contra Alliè.

PARAGRAPHUS III.

De personis, quae gaudent immunitatis privilegio.

SUMMARIA

1. *Fideles omnes, exceptis solum publicis. latronibus, & nocturnis agrorum depopulatoribus, ex Decretali Innocentii III. gaudent immunitate*
2. *Religiosi delinquentes extrahi non possunt ab Ecclesia, nisi ob correctionem paternam, vel crimen exceptum.*
3. *Haeretici non gaudent immunitate ob haeresim, bene vero ob alia crimina non excepta.*
4. *Infideles fruuntur immunitate, exceptis Judaeis ob aliqua crimina.*
5. *Reus ligatus una cum satellite ad Ecclesiam confugiens caret immunitate.*
6. *Qui e triremibus fugiunt, jure communi, non nostro, fruuntur immunitate.*
7. *Reus e carcere fugiens exclusus est ab immunitate, si in eum sententia jam sit lata.*
8. *Reus ob dolum exiens ab Ecclesia, si inde capiatur, non gaudet immunitate.*
9. *Non possunt rei in atriis Ecclesiarum erigere tentoria &c.*

1. Ex Decretali Innocentii III. *Inter alia* de immunitate Ecclesiarum omnes fideles cujuscumque conditionis existant, quantumcumque gravia maleficia perpetraverint, exceptis publicis dumtaxat latronibus, & nocturnis agrorum depopulatoribus, si ad loca sacra se recipiant, gaudent immunitate. Hinc excommunicati, suspensi, interdicti hoc privilegio fruuntur; quamvis enim excommunicati non possint ingredi Ecclesiam formaliter, idest ad assistendum divinis officiis, possunt tamen materialiter. Porro immunitatis beneficium loco Ecclesiae materiali concessum est.

An Religiosi confugientes ad Ecclesias sui, vel alterius ordinis gaudeant immunitate.

Digitized by Google

2. R/. Ubaldum Giraldi in exposi-
tione juris Pontificii pag. 468. in
hanc rem ita scribere: „ Nota octa-
„ vo, quod quum neque ex Con-
„ stitutione Gregorii XIV.: *Quum*
„ *alias*, neque Benedicti XIII. *Ex*
„ *quo divina*, neque Clementis XII.
„ *In supremo justitiae* nec tandem
„ Benedicti XIV. *Officii nostri* Re-
„ ligiosi confugientes sive ad Eccle-
„ sias sui Ordinis, sive ad quascum-
„ que Ecclesias, & monasteria alio-
„ rum ordinum priventur jure asyli
„ pro delictis non exceptis in dictis
„ Constitutionibus, nullo fundamento
„ dici potest eos non posse gaude-
„ re; quum non debeant esse dete-
„ rioris conditionis, quam caeteri
„ rei, etiam gravioris criminis ju-
„ xta Decretum S. Congregationis
„ immun. in Fulginatensi 9. martii
„ 1639., & in Neapolitana 11. octob.
„ 1692.; & quamvis in Æsina 19.
„ april. 1701. declaratum fuerit ab
„ eadem Congregatione Provincia-
„ lem Ordinis Minorum Observ. Re-
„ form. non incurrisse excommuni-
„ cationem pro extractione sui Re-
„ ligiosi ab Ecclesia Æsina ejusdem
„ ordinis; ac quamvis insuper ad
„ preces Procuratoris Generalis ejus-
„ dem Ordinis indulta fuerit sub die
„ 19. septembris 1734. a Clemente
„ XII. Provincialibus, & Guardianis
„ ordinis facultas ducere faciendi de-
„ linquentes Religiosos, & contuma-
„ ces ab Ecclesiis eorum respective
„ conventuum ad claustrales carce-
„ res; haec tamen revocata fuit per
„ organum segretariae memorialium,
„ ut vocant, 28. julii 1736. ad in-
„ stantiam ejusdem sacrae Congre-
„ gationis immunitatis, cum expres-
„ sa declaratione, ut in similibus re-
„ fugii & extractionis casibus pro-
„ cedatur juxta terminos juris, pro-
„ ut legitur in originali mandato in
„ scriptis transmisso a Cardinali Cor-
„ sini tunc memorialium Segretario,
„ Commissario Generali Ordinis.
„ Gaudentius tamen a Janua tom. se-
„ cundo de visit. Praelat. Regul. cap.
„ 7. dub. 19. sect. 2. n. 21. probat
„ adhuc posse Praelatum citra lae-
„ sionem immunitatis mandare ex-
„ tractionem subditi ab Ecclesia,
„ qui ad eam confugerit ad evitan-
„ dam correctionem paternam, dum-
„ modo ad hanc dumtaxat faciendam
„ extrahatur, haecque sic intenta, &
„ executioni mandata, non excedat
„ limites poenitentiae salutaris, &
„ usualis, non obstante revocatione
„ citati indulti in dicta Æsina sub
„ die 19. septemb. 1734. posterius
„ facta ab eodem Pontifice ut supra,
„ atque ita conciliat praedicta rescri-
„ pta: *Proinde ut relata praecepta*,
„ *sive rescripta*, *quae videntur inter*
„ *se pugnare concilientur*, *adverten-*
„ *dum obvenit*, *quod permissio extra-*
„ *hendi a loco Ecclesiae erat ad ef-*
„ *fectum solius correctionis paternalis*,
„ *ut patet in dicta Æsina*; *decretum*
„ *autem expeditum ad petitionem Pro-*
„ *curatoris Generalis importabat ab-*
„ *solutam concessionem extrahendi clau-*
„ *strales delinquentes*, *&* *contumaces*,

Digitized by Google

„ *& reducendi eos ad carceres : ad quem „ effectum requiritur auctoritas, & aſ- „ ſenſus Epiſcopi ex una Mediola- „ nenſi 15. apr.* 1644. *apud eum- „ dem Ricium tit. Regulares delin- „ quentes num.* 1. *Unde merito Ge- „ neralis Congregatio, in dicto ulti- „ mo Decreto expreſſa, extitit abro- „ gata.*

An haeretici gaudeant immunitate.

3. ℟. Vel haeretici, aut notabiliter de haereſi ſuſpecti ad Eccleſiam confugiunt ob haereſim, vel ob aliud crimen. Si primum, non gaudent immunitate, ſic ſtatuentibus ſummis Pontificibus Joanne XXI. qui XXII. dictus eſt (1), Gregorio XIV. (2), & Benedicto XIV. (3). Si ſecundum, & crimen non fuerit exceptum, fruuntur immunitate. Id eruitur ex Conſt. Benedicti XIV. (4), ubi ſtatuit haereticos ad triremes damnatos non ob haereſim, ſed ob aliud crimen, non tamen exceptum, ſi a miniſtrorum juſtitiae manibus liberi in Eccleſiam ſe recipiant, e triremibus fugientes, immunitate potiri: & hoc a fortiori locum habere debet iis in locis, in quibus haereſis toleratur; quamvis enim in his locis haereſis peccatum ſit; haereticis tamen crimini non vertitur; (hoc autem diſcrimen inter peccatum & crimen ſtatuitur a Canoniſtis,quod peccatum ſit actio juri naturae contraria; cui a lege poſitiva nulla poena impoſita eſt, bene vero crimini).

(1) *Conſtit. cujus initium* Ex parte veſtra.

(2) *Conſtit. incipiente* Non alias §. 3.

(3) *Conſtit.* Elapſo proxime menſe §. 3.

(4) *Eadem Conſtit.* §. 5.

An privilegium immunitatis proſit infidelibus.

4. ℟. Prodeſſe, eo quod non perſonis, ſed loco, & ratione illius perſonis capacibus concedatur; quum ergo infideles capaces ſint hujuſce privilegii, & aliunde nullo jure ab eo removeantur, aſſerendum erit illis prodeſſe. Peculiari tamen lege (1) immunitate privantur Judaei, qui ad Eccleſias confugiunt, ut *evitare poſſint crimina, vel pondera debitorum,* ſi tamen non ob crimina, ſed ob aliam cauſam ad Eccleſiam confugerint, puta ne vi injuſta potentiorum opprimantur, illis proderit immunitas (2).

(1) *L.* 1. *cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.*

(2) *Dicta L.* 1.

An ille, qui una cum ſatellite ligatus ad Eccleſiam confugit, gaudeat immunitate.

5. ℟. Non gaudere, ita S. Congreg. immun. (1), & ſic ſenſerunt viri graves, dum agebatur de duobus deſertoribus, qui una cum ſatellite ingreſſi ſunt Eccleſiam parochialem Novariae, quae ſententia placuit invictiſſimo Regi, ut conſtat ex ejus declaratione (2), & approbata quoque cenſetur ab Epiſcopo Novarienſi, ut tradunt iidem viri.

(1) *Die* 6. *novemb.* 1634. *in Florent.*

(2) *Die* 22. *maii* 1747.

Digitized by Google

An ii, qui e trireme, sive e loco ¹orum relegationis, in locum immu-¹em se recipiunt, immunitate priventur.

6. ℟. Negando, dummodo a praedictorum triremium, aliorumve ministrorum justitiae manibus liberi sint ex Encyclica Benedicti XIV. ad inquisitores data (1); imo etiamsi ligati ad Ecclesiam confugissent, modo e manibus satellitum evasissent ex Decreto S. Congr. (2). Pro nostris tamen regionibus isti non amplius fruuntur privilegio immunitatis inspecta epistola Cardinalis Carpegna data (3) ad Nuntium Apostolicum Taurinensem, in qua dicitur Pontificem eo tempore concessisse facultatem Principi nostro, ut obtenta debita licentia & interveniente persona ecclesiastica extrahantur rei, qui e triremibus fugerunt ad Ecclesiam, & quemvis locum immunem, deinde subditur in eadem epistola: „ E nello „ stesso modo faccia (verba diri- „ guntur ad Nuntium Apostolicum) „ estrarre simiglianti schiavi, e for- „ zati, che in avvenire fuggissero co- „ me sopra, con che immediatamen- „ te si consegnino a chi abbia facoltà „ di poter prestar giuramento di non „ punirli per causa di detto lor confu- „ gio in conformità appunto del capito- „ lo: *Inter alia de immunitate Ecclesiarum.* In hoc capitulo statuitur: Quod „ si .... servus fuerit, qui confuge- „ rit ad Ecclesiam, postquam de im- „ punitate sua dominus ejus jura- „ mentum Clericis praestiterit ad ser- „ vitium Domini sui redire compel- „ litur etiam invitus; alioquin a Do- „ mino poterit occupari." Consonat quoque jus civile (4); unde sicuti servus fugiens ad Ecclesiam abstrahi ab ea potest, & compelli ad domini sui servitium; ita pariter fugiens a triremibus a loco immuni evelli potest, & ad poenam suam revocari; quamvis enim reus damnatus ad triremes, & ibi existens proprie servus non sit (5); tamen quum iste ob sententiam in eum latam teneatur sua servitia praestare, videtur esse constitutus in statu servitutis; unde eadem ratione, qua servus, poterit extrahi e loco immuni.

(1) *Die* 20. *febr.* 1751.

(2) *Die* 5. *maii* 1699.

(3) *Die* 9. *septemb.* 1670.

(4) *L.* 6. §. 5. *De his, qui ad Ecclesiam confugiunt.*

(5) *Auth.* Sed hodie *cod. de donat. inter virum, & uxorem.*

7. Ex his consequitur immunitate non frui reum, qui libere e manibus ministrorum justitiae ad Ecclesiam confugit, si jam Magistratus in eum sententiam protulisset (1), nam a die sententiae consideratur tamquam servus.

(1) *Conclus. Advoc. Gen. die* 20. *sept.* 1764. *in causa Fisci Saviliani contra Argainum, & die* 30. *april.* 1766. *in causa Fisci Crescentini contra Albertum, & Grasinum.*

An reus si dolo inductus exeat ab Ecclesia, & inde capiatur, cadat a beneficio immunitatis.

Digitized by Google

8. ℟. Affirmative, quum hic locum habeat id, quod rescripsit Innocentius III (1) hisce verbis: „ nec obstante dolo, quo se proponebant „ fuisse seductos, quum talis dolus „ non tam ad circumventionem praedictorum Cistercensium, quam ad „ fatuitatem eorum debeat retorqueri; & haec fuit mens etiam Clementis XI., qui (2) decretum edidit transmissum ad omnes Italiae Ordinarios, nullam scilicet a loco immuni extractionem suffragari reo, nisi vi facta sit, aut reus ab eo loco discesserit per salvum conductum a judice ordinario, vel delegato illi concessum: en verba dicti decreti: „ ut de caetero „ illae dumtaxat exemptiones suffragentur, quae aut violenter peractae, „ aut sub fide salvi conductus ab aliquo judice ordinario, seu delegato „ concessi, ac subscripti secutae fuerint; qui tamen salvus conductus „ suffragari poterit pro tempore tantum in eo praescripto. " Hoc autem decretum publicatum fuit in hac Dioecesi Taurinensi die 23. septembris anno 1717.; dolosam extractionem, nisi violenta fuerit, aut sub fide salvi conductus ab aliquo judice ordinario, seu delegato concessi, ac subscripti reis non prodesse saepius judicatum est (3).

(1) *Cap. 6. de his, quae vi, metusque causa.*

(2) *Die 22. septemb. 1716.*

(3) *Conclus. 29. septemb. 1756. in causa Fisci militaris contra Fererum, 29. novembris 1763. in causa Fisci Astensis contra Fantinum.*

Possunt ne rei immunitate gaudentes in atriis Ecclesiarum erigere tentoria, casulas, &c.

9. ℟. Clementem XIV. (1) praecepisse Episcopis, & Rectoribus Ecclesiarum, ut a dictis atriis evellere faciant casulas, & tentoria, &c., in quae rei se recipiant, quia praedicta deturpare solent Ecclesiarum majestatem, & committendis criminibus non levem praebent occasionem.

(1) *Suae Instruct. §. 1.*

PARAGRAPHUS IV.

De criminibus exceptis, seu de criminosis, qui ab Ecclesiae immunitate excluduntur.

SUMMARIA

1. *Omnes viginti annis majores ob culpabile homicidium privantur immunitate, si autem delictum sit atrox, licet annis viginti minores sint.*
2. *Qui unum interficit pro alio, immunitate caret.*
3. *Explicatur, quid facto opus sit, quando dubitatur, an vulnus sit lethale.*
4. *Cooperantes homicidio eorum, qui annum vigesimum sunt praetergressi orbantur immunitate, si sint annis viginti majores; an vero annis viginti minores cooperantes homicidio atroci excludantur ab immunitate, dubitatur.*

Digitized by Google

5. *Qui scienter dolo malo componunt &c. venenum, licet mors non evenerit, aut venenum haustum non sit, jure asyli privantur.*

6. *Penes alios tum assassini, tum assassinium mandantes effectu secuto; penes nos etiam assassinis cooperantes, etiam morte non secuta, sed solum vulnere, privantur immunitate.*

7. *Penes alios omnes grassatores, si grassati mors, aut mutilatio evenerit; penes nos etiam sine grassati offensione orbantur immunitate.*

8. *Penes alios depopulatores agrorum; penes nos tum ii, tum incendiarii, tum iis cooperantes.*

9. *Ex instructione Bened. XIV. jure asyli privantur redimendi artem turpis lucri caussa exercentes.*

10. *Cadunt isti a privilegio immunitatis, licet nullam exegerint pecuniam.*

11. *Qui nocturno tempore domos, officinas &c. aperiunt ad furandum, etsi nihil auferant, arcentur a jure asyli; item ii, qui furtum committunt de se sufficiens ad inferendam mortem, tum demum ii, qui diurno etiam tempore armata manu furtum committunt quod secundum communes, & patrias leges mortem mereatur.*

12. *Furtum factum diurno tempore, & non armata manu non privat immunitate.*

13. *Furtum hoc, licet armata manu, si tamen mortem non mereatur non tantum secundum patrias, sed etiam secundum communes leges non tollit immunitatem.*

14. *Complices criminis excepti gaudent immunitate.*

15. *Ex constitutione Bened. XIII. sub nomine curiae furtum facientes una cum homicidio, vel membrorum mutilatione, ex instructione Bened. XIV. etiam sine ullo homicidio, vel mutilatione, ex instructione Clem. XIV. rapientes foeminas honestas, immunitate privantur.*

16. *Adulterantes tabulas, & falsificantes litteras Apostolicas, aut Regias, non gaudent immunitate.*

17. *Fraudulenter decocti orbantur immunitate.*

18. *Ministri montis pietatis, conservatores pignorum &c. furtum, aut fraudem committentes, ut poenae ordinariae locus sit, arcentur ab immunitate.*

19. *Gregorius XIV. ab immunitate exclusit reos laesae majestatis in primo gradu, Bened. XIII. conflantes, adulterantes &c. monetas; instructio Bened. XIV. etiam in secundo gradu, instructio Clem. XIV., qui pignore obstringunt alios, ut militent in alterius Principis exercitu.*

20. *Bened. XIII. violenter extrahentes, Instructio Bened. XIV. etiam extrahere facientes reos a loco immuni, Pius VI. violenter extrahentes delinquentes e manibus justitiae privavit beneficio asyli.*

21. *Gregorius IX., & XIV. committentes homicidia, Instructio Ponti-*

Digitized by Google

ficia sive in Ecclesia, sive ab Ecclesia egressos committentes delicta, pro quibus intrat poena sanguinis, vel triremium, *ab asylo excluserunt.*

22. *Qui intra Ecclesiam existens hominem occidit extra Ecclesiam, vel vice versa excidit a jure asyli.*

23. *Qui Ecclesiae confugio abutuntur, si delicta committant; pro quibus* intrat poena sanguinis, vel triremium *cadunt a jure asyli, secus transferendi ad aliam Ecclesiam.*

24. *In translatione rei ad alteram Ecclesiam satis esse debet Episcopo, ut de abusu ei constet ex testimomio Fisci, vel alterius: secus si quaestio sit de novo abusu.*

25. *Qui in Ecclesia furatur mappam, vel aliud simile excidit a jure asyli.*

26. *Minor delictum in Ecclesia committens, pro quo* intrat poena sanguinis, vel triremium, *gaudet jure asyli.*

27. *Praeter casus exceptos nulli admittendi sunt ex identitate, paritate, vel majoritate rationis.*

1. Primo a beneficio immunitatis arceantur homicidae proditorii, tum ex jure canonico (1), tum ex Bulla Gregorii XIV. *Cum alias* qua innovatum fuit vetus praeceptum legis a Deo in Exodo latae his verbis: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*; est autem homicidium proditorium, quod adhibitis insidiis committitur. Ex Bulla Bened. XIII. (2): *Ex quo divinae interficientes proximum animo praemeditato, ac deliberato jure asyli privantur*. Ex Clement. XII. constitutione: *In supremo justitiae solio* repelluntur a beneficio asyli omnes homicidae, nisi casu homicidium commiserint, aut cum moderamine inculpatae tutelae; „ tum omnes, & „ singuli sive laici, sive Clerici qui „ mandatum, consilium, instigatio- „ nem, auxilium, cooperationem, „ aut aliam operam occisori prae- „ buerint, ex quorum singulis acti- „ bus homicidium evenerit (3); " quam quidem constitutionem, licet solummodo latam pro locis s. Sedis ditioni subjectis, Benedict. XIV. in sua instructione (4) extendit ad nostras regiones. Quoniam vero Clemens XII. in laudata constitutione (5) loquitur solum de homicidio, *quod committitur cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum*, Bened. XIV. in sua constitutione: *Officii nostri ratio* (6) protrahit quoque ad eos, qui baculo, aut saxo, aliove instrumento minus ad occidendum apto, quamvis in rixa, non tamen casu, aut ex necessaria defensione interficiunt; deinde quum dubium esset, an constitutio Clement. XII. comprehenderet praeter laicos, atque ecclesiasticos, de quibus in ea sermo habebatur, etiam Regulares; idem Bened. XIV. in citata constit. (7) non solum declaravit comprehendi Regulares, verum etiam mulieres, ac milites. Praete-

Digitized by Google

rea quum Clement. XII. constitutio involveret solummodo eum, qui annis 20. major hominem interficit, Clemens XIV. in laudata instructione (8) comprehensos quoque voluit annis 20. minores, qui atrox homicidium perpetraverint. Declarat autem ibi atrox homicidium esse parricidium, fratricidium, uxoricidium, homicidium proditorium, praemeditatum, etiamsi nullae adhibitae sint insidiae; imo & homicidium in rixa commissum, modo post sex horas a dicta rixa, aut quando rixa consulto fuit quaesita ob causam omnino irrationalem, & belluinam.

(1) *Cap.* 1. *de hom.*

(2) §. 6.

(3) §. *Ulterius*.

(4) §. 9. *v.* Gli omicidj.

(5) §. *Item*.

(6) §. *Praeterea*.

(7) §. *Et quoniam*.

(8) §. 5.

Sempronius volens interficere Cajum interficit Paulum, frueturne adhuc privilegio immunitatis?

2. ℞. Negative; nam ad crimen homicidii non requiritur, ut occidatur homo ille, quem quis interficere volebat, sed satis est, ut homo sit occisus (1). Nec dicas hoc homicidium esse casuale, adeoque Sempronium frui posse jure asyli (2); quamvis enim in ordine ad Paulum dici possit casuale, in se tamen non est homicidium casuale, eo quod Sempronius animum habuerit occidendi hominem. Quare Curia Taurinensis (3) instante Regio Fisco provinciali hujus civitatis declaravit Josephum Rizzo, qui unum pro altero occiderat, non gaudere immunitate. Huic sententiae adhaesit Advocatus Generalis (4).

(1) *L. penult. Ad legem Corneliam de sicar. dec.* 243. *apud Thesaurum.*

(2) *Instruz. di Bened. XIV.* §. 9. *v.* Gli omicidj.

(3) *Die* 10. *octob.* 1775.

(4) *Conclusionib. die* 12. *maii* 1761. *in causa Fisci Demontis contra Porcellanam*, & 11. *jul.* 1761. *in causa Fisci Pierae contra Squarciaficum.*

Quid, si quis vulnus inflixerit alteri, & dubitetur, utrum sit lethale, nec ne, gauderene poterit privilegio immunitatis?

3. ℞. Clementem XIV. (1) extendisse Constitutionem Benedicti XIV. cujus initium: *Officii nostri ratio* in omni sua parte ad nostras ditiones. Porro Bened. XIV. in sua constit. (2) ita decernit: „ Si Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti grave periculum vitae adesse retulerint, percussor ipse e loco immuni servatis servandis extractus carceribus mancipetur hac tamen lege, ut omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, & quidem sub iisdem poenis, quibus in memoratis Clementis, & Benedicti litteris subjiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam in suis

„ defenſionibus hujuſmodi indicia diluerit." Haec omnia conſona fuerunt menti Caroli Emanuelis, qui die 6. jul. 1743. juſſit deſertorem, qui proditorie alterum vulneraverat, Eccleſiae reſtitui, ſtatim ac apparuit vulnus non fuiſſe lethale.

(1) *In ſua Inſtruct.* §. 7.

(2) §. *Ideo nos*.

An ii, qui mandatum, conſilium, inſtigationem, auxilium occiſori praebuerint a jure aſyli cadant.

4. ℟. Clem. XII. in ſua conſtit.: *In ſupremo juſtitiae ſolio* (1) decrevit *eos omnes, qui mandatum, conſilium, inſtigationem, auxilium, cooperationem, aut aliam operam occiſori praebuerint, ex quorum ſingulis pravis actibus homicidium evenerit*, beneficio immunitatis excluſos eſſe, & ita cenſuit Advocatus Generalis (2); verum quum Clemens XII. in ſua conſtit. loquatur ſolum de his, qui annum 20. ſunt praetergreſſi, mandantes ſolum, conſulentes, inſtigantes &c., qui annum vigeſimum exceſſerint, ſunt comprehenſi; attenta tamen inſtructione Clementis XIV., ii, qui mandatum, vel conſilium &c. praebuerint atrox homicidium committenti, etiamſi ſint annis 20. minores, videntur ſecundum aliquos a beneficio aſyli excluſi, quoniam hujuſmodi atrox homicidium committentes non gaudent immunitate, etiamſi annum 20. nondum attigerint (3); Ergo nec mandantes, conſulentes &c. licet 20. annis minores. Ceterum quum inſtructio Clement. XIV. non loquatur de iis, qui mandatum, vel conſilium &c. praebuerint atrociter occidenti, non erit cujuſlibet privati poenam privationis immunitatis extendere ad ſupradictos.

(1) §. *Ulterius*.

(2) *Concluſionib. die* 16. *maii* 1761. *in cauſa Fiſci Viguzzoli contra Bedaliam*.

(3) *Ex eadem Inſtruct. Clem. XIV.* §. 5.

5. Ex Inſtructione Pontificia (1) a beneficio aſyli repelluntur ii, *qui ſcienter dolo malo, & animo nocendi* componunt, vendunt, & propinant venenum; licet mors inde non evenerit, aut per accidens venenum hauſtum non ſit.

(1) §. 9. *v.* Coloro, che ſcienter &c.

6. Ex Innocent. IV. (1) ab immunitate excluduntur aſſaſſinii rei. Porro tempore Innocentii IV. aſſaſſini erant populi Syriae, qui juſſi mortem inferebant cuicumque. Aſſaſſinii reos excluſit pariter a jure aſyli Gregorius XIV. (2); verum cum eo tempore mos amplius non eſſet, ut a Syria vocarentur ii, qui mercede conducti aliis mortem inferrent, ſed potius invaluiſſet uſus perverſus inter Chriſtianos, ut ob pecuniam quis alterum occideret, hinc Greg. XIV. non eſt intelligendus de his, qui utuntur opera cujuſcumque ſive Syri, ſive alterius nationis ad hominem occidendum propoſito praemio, aut mercede. Benedictus autem XIII. (3) declaravit *in crimine* aſſaſſinii non modo mandatarios, qui in ipſamet Gre-

Alaſia c c

goriana constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum praemium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinium reipsa patratum fuerit, ab ecclesiasticae immunitatis beneficio immunes esse. Instructio tamen Pontificia (4) ulterius progressa est, & non solum comprehendit mandantes assassinium, vel mandatarios, verum etiam eos, qui iisdem dant auxilium, aut consilium, licet mors non evenerit, *dummodo tamen deventum fuerit ad actum proximum, hoc est ad insultum, ita ut intervenerit vulnus*.

(1) *Cap.* Pro humani *de homic. in* 6.
(2) *Sua Const.* §. 3.
(3) *Sua Bulla* §. 5.
(4) §. 9. *v.* I grassatori &c.

7. Jure communi excluditur a beneficio asyli publicus latro. Gregorius XIV. (2) his verbis explicavit, quinam essent publici latrones: *Si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis adgrediuntur*, quumque dubium esset, num unica grassatio admissa in via vicinali sufficeret ad eos excludendos a dicto privilegio, Bened. XIII. (3) definivit, „ unicam tantum grassationem in via „ publica, aut vicinali admissam „ sufficere ad hoc, ut quis publicus „ latro, & grassator dici valeat; „ dummodo tamen grassati mors, „ aut membrorum mutilatio secuta „ fuerit. " Instructio Pontificia (4) omnes grassatores, & latrones viae publicae, & vicinalis, etiam semel delictum hoc committentes, etiam sine ulla offensione personae, cui furtum factum est, excludit a beneficio asyli. Porro ex Romanorum legibus ii vocantur grassatores, qui homines praedae caussa adgrediuntur sive cum ferro, sive sine eo, sive in itineribus, sive extra itinera (5).

(1) *Can.* Sicut antiquitus 6. *caussa* 17. *q.* 4. *& cap.* 6. *de immun. Eccl.*
(2) *In sua Bulla* §. 3.
(3) *In sua Bulla* §. 3.
(4) §. 9. *v.* I grassatori.
(5) *L.* 28. §. 10. *de poen.*

8. Ex Innocentio III. (1) a beneficio asyli repellitur nocturnus agrorum depopulator, seu ille, qui agros devastat ignem injiciendo in segetes, in arbores, vel fructus agrorum; at Gregorius XIV. depopulatorem agrorum privando immunitate abstulit a sua Bulla (2) verbum illud *nocturnus*, ut comprehenderet eos omnes, qui quovis tempore agros depopulantur. Instructio vero Pontificia (3) involvit incendiarios, eos scilicet, *qui dolo malo, & data opera* ignem admovent, aut admovere faciunt, aut scienter auxilium, aut consilium suppeditant ignem admoventi quibuscumque locis sacris, vel cuicumque domui, in qua habitare possint homines, ubicumque existat, aut tuguriis ad instar domorum instructis, in quibus habitare solent homines agrestes,

Digitized by Google

aut pastores. Idem quoque ibidem statuitur de iis, qui ignem injiciunt in armenta, greges, vineas, sata, oliveta, sylvas, aut quodcumque aliud solum arboribus consitum, excultum, frugiferum.

(1) *Cap.* 6. Inter alia *de immun. Eccles.*

(2) §. 3.

(3) §. 9. v. Gli incendiarii.

9. Ex Instructione Pontificia (1) a jure asyli arcentur, qui redimendi artem turpis lucri causa exercent, idest ii, qui vi, aut dolo conducunt, vel transferunt viros, aut mulieres *de loco ad locum*, quos ibi custodiunt, ut redemptionis caussa pecuniam extorqueant: item ii, qui per nuncios, aut litteras minitantur mortem, vel incendia bonorum, nisi ipsis pecunia tradatur, aut id, quod postulant.

(1) §. 9. v. I ricattatori.

Quid, si praedicti nullam exegerint pecuniam, cadent ne quoque a beneficio asyli?

10. ℟. affirmative, ut declaravit curia Papiensis in causa Fisci Cheriensis contra Riscaldinum.

11. Ex instructione Pontificia (1) a beneficio asyli repelluntur, qui nocturno tempore adulterinis clavibus, aut alio genere instrumentorum aperiunt januas domorum, officinarum, promptuariorum, aut ea incendunt, aut infringunt, aut in eadem loca sese insinuant per tecta, fenestras, vel ob foramen murorum effractione factum, isti, licet ibi nihil auferant, ab asylo exclusi videntur. Item ex eadem instructione (2) immunitate privantur ii, qui furantur tantam pecuniae quantitatem, ut juxta jus commune, aut municipale poena mortis sint plectendi. Clemens XIV. (3) privatos voluit immunitatis privilegio eos omnes, qui quovis tempore armata manu committant furtum, ob quod secundum jus commune, & municipale, reus poenam mortis subire debeat. Isti omnes, licet, sub nomine Curiae non se introduxerint ad furtum faciendum, excluduntur tamen ab immunitate; uti declaravit curia Monregalensis (4).

(1) §. 9. v. Coloro, che di notte tempo.

(2) *Loco cit.*

(3) *In sua Instruct.* §. 4.

(4) *Mense apr.* 1748. *in causa Fisci Clusiae contra Gulielmum Manfredi.*

12. Si contingat furtum fieri diurno tempore, sed non *armata manu*, tunc reus gaudere poterit immunitate; uti declaravit Curia Taurinensis (1); & cum appellasset Fiscus secularis ad Episcopum Salutiensem, Curia Salutiensis confirmavit dictam sententiam, hac unica de caussa, quia reus Carolus Joseph Serra furatus fuit quidem summam, cui imposita erat poena mortis, at non nocturno, sed diurno tempore. Unde mandavit Senatus, ut reus Ecclesiae restitueretur.

(1) *Die* 15. *sept.* 1771.

13. Si furtum fiat *armata manu*; sed res subrepta secundum patrias

leges mortem mereatur, sed non secundum leges communes, reus fruitur immunitate, ut declaravit Curia Taurinensis in causa Fisci s. Agathae contra Laurentium Debernardi (1); quia Instructio Clem. XIV. num. 4. v. *Quelli, che in qualunque tempo &c.* requirit, ut furtum armata manu factum mortem mereatur *secondo le leggi communi, e municipali.*

(1) *Die* 15. *apr.* 1777.

Complices criminis excepti gaudere ne possunt privilegio immunitatis?

14. ℟. Affirmative, uti censuit Curia Taurinensis (1); eum etenim, qui ingressus fuit Ecclesiae januam ad furtum faciendum apertam ab alio socio, qui per fenestram ingressus erat in Ecclesiam, declaravit frui privilegio immunitatis.

(1) *Die 6. septemb.* 1774. *in causa Fisci civit. Cunei contra Josephum Bartholomaeum Adamo. Et sane Instruct. Pontificia, quando vult comprehendere complices, eos omnino exprimit, ut in crimine assassinii; ergo, quum hic eos non expresserit, non erunt hoc loco privandi immunitate.*

15. Ex Constitutione Bened.XIII. (1) „ immunitate privantur illi, qui sub „ nomine curiae se se introducunt „ in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reapse „ committunt cum homicidio, aut „ mutilatione membrorum alicujus ex „ domesticis earumdem aedium, vel „ etiam extranei, quem ibi forte „ reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur. " Ex Pontificia Instructione (2) excluduntur a beneficio immunitatis, qui nocturno tempore sub nomine curiae, vel fingentes se esse justitiae ministros eo nomine efficiunt, ut ipsis aperiantur januae domorum, in quas ingressi furta committunt, aut mulierum ibi habitantium pudicitiae vim inferunt. Isti non videntur gaudere immunitate, licet furtum ab ipsis factum secundum leges civiles, vel patrias mortem non mereatur. Clemens XIV. (3) eodem jure privavit eos omnes, qui etiam non sub curiae nomine mulierum castitati vim inferentes eas rapiunt, dummodo raptus talis sit, ut juxta provinciae leges poenam mortis mereatur, & mulier rapta honesta sit, nec in raptum consenserit.

(1) §. 6.

(2) §. 9. *v.* Così parimente.

(3) §. 4. *suae Instruct.*

16. Ex eadem Instructione Benedictina (1) repelluntur a privilegio immunitatis adulterantes tabulas, aut syngraphas, vel alias scripturas ad publicas argentariorum mensas pertinentes; tum ii omnes, qui fictis schedis in publicae fidei detrimentum pecuniam exigunt ab aliis in publicis mensis depositam. Clemens XIV. (2) voluit pariter exclusos eos omnes, qui in literis Apostolicis, aut Regiis falsum committunt.

(1) §. 9. *v.* I falsificatori di Cedole.

(2) §. 4. *Suae Instruct.*

17. Ex eadem Instructione (1) privantur privilegio immunitatis mercatores

fraudulenter decocti, qui fingentes se facultatibus lapsos bona sua in fraudem creditorum abscondunt.

(1) §. 9. *v.* I mercatanti.

18. Ex Constitutione Benedicti XIII. (1) arcentur a beneficio asyli „ ministri montis pietatis, aut alterius „ publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque „ personarum destinati, furtum, aut „ falsitatem in praedictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae „ ordinariae locus sit. " Est autem poena ordinaria ea, quam lex seu Princeps, expresse, ac determinate statuit, aut consuetudo induxit; extraordinaria autem, quae nulla lege, statuto, aut consuetudine est definita, sed extra ordinem a judice imponitur ad ejus arbitrium. Instructio autem Pontificia (2) ab immunitate excludit Regios Thesaurarios, & generales receptores pecuniae furtum committentes, aut fraudem in quantitate, pro qua locum habeat poena ordinaria. Similiter majorem Quaestorem, aliosque officiales, & ministros publicarum mensarum, qui ex his tantam auferunt pecuniae quantitatem, ut poenae ordinariae subjacere debeant; tum etiam conservatores pignorum, aliosque officiales, & ministros publicorum Montium in pignoribus suae fidei concreditis furtum facientes, ut poenam ordinariam mereantur, necnon publicos Quaestores Universitatum in dicta quantitate furtum facientes.

(1) §. 6.

(2) §. 9. *v.* I Regj Tesorieri.

19. Ex Gregorio XIV. (1) excluduntur a beneficio asyli rei laesae Majestatis in personam ipsiusmet Principis. Ex Benedicto XIII. (2) excluduntur pariter „ conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque „ monetas aureas, vel argenteas etiam „ Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut provincia, ubi „ crimen admittitur, liberum habeant „ usum, & commercium, vel ipsas „ monetas conflatas, adulteratas, aut „ detonsas scienter ita expendere, „ & erogare praesumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint. " Instructio vero Pontificia (3) ulterius progressa idem statuit non solum de reo laesae majestatis primo in capite, ut ajunt, cujus rei fiunt, qui aliquid moliuntur contra eos, qui summum obtinent imperium, sed etiam de reo laesae majestatis in secundo gradu, quorum nomine veniunt ii tantum, qui injuriam non verbis solum, sed re inferunt in eos, qui immediate jurisdictionem acceperunt a Principe, non vero feudorum dominis. Clemens XIV. (4) tamquam reos criminis laesae majestatis ab immunitatis privilegio excludit eos etiam, qui in nostris provinciis homines pignore obstringunt milites futuros in alterius Principis exercitu. Demum Pius VI. in suo Brevi (5) decrevit, ac declaravit violenter eximentes delinquentes e manibus publicae potesta-

Digitized by Google

tis non gaudere ecclesiasticae immunitatis beneficio his verbis: „ Che „ per togliere li dispareri, che si „ sono eccitati fra li Ministri di sua „ Maestà, ed alcune delle Curie ec- „ clesiastiche dei Reali Dominj, Sua „ Santità dichiara, che il delitto di „ violenta estrazione di un delin- „ quente dalle mani della Giustizia „ si consideri in appresso fra gli „ eccettuati, e come tale compreso „ sotto la disposizione dell' articolo „ IX. dell' Istruzione Pontificia, e „ conseguentemente, che tutti li rei „ di tale delitto non possano in av- „ venire godere il beneficio dell'asilo „ ecclesiastico. "

(1) *Sua const.* §. 3.
(2) *Sua const.* §. 6.
(3) §. 9. *v.* Tutti i delinquenti.
(4) *Sua Instruct.* §. 4. *v.* I plagiarj.
(5) *Dato Viennae* 9. *apr.* 1782.

20. Benedictus XIII. (1) privavit beneficio immunitatis eos „ qui con- „ fugientibus vim inferunt, atque ipsos „ ab Ecclesiis, aliove loco immuni „ violenter extrahunt, & abducunt „ declarans hujusmodi reos non illius „ tantum Ecclesiae, quam violarunt, „ sed cujuscumque alterius Ecclesiae „ immunitate gaudere nequaquam „ posse, aut debere. " Instructio vero Pontificia (2) non solum per vim abducentes, sed abducere facientes reos ab Ecclesia, aliove loco immuni privavit dicto beneficio.

(1) *Sua const.* §. 4.
(2) §. 9. *v.* Coloro, che per forza.

21. Ex Gregorio IX. (1) exclusi sunt a jure asyli ii omnes, qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum coemeteriis committere non verentur, idemque statuit Gregorius XIV. (2). Ab Instructione Pontificia (3) exclusi sunt quicumque, qui in Ecclesiis, aut coemeteriis, aut in quovis alio loco immuni delictum committunt, cui de jure communi intrat poena sanguinis, vel *triremium*, sicut & ii, qui egressi ab iisdem Ecclesiis, vel locis immunibus, in quae se receperunt, eadem committunt crimina.

(1) *Sua Decret. relata in cap.* Immunitatem 10. *de immun. Eccl.*
(2) *Sua const.* §. 3.
(3) §. 9. *v.* Coloro, che tanto.

Sed quid, si positus in Ecclesia hominem extra Ecclesiam occidat, vel viceversa, cadet ne a privilegio immunitatis?

22. ℟. Benedictum XIII. (1) declarasse „ eos omnes, qui stantes in „ Ecclesia, vel coemeterio interfi- „ ciunt stantes extra Ecclesiam, vel „ coemeterium, aut ipsis membrum „ mutilant, nec non eos, qui stan- „ tes extra Ecclesiam, vel coeme- „ terium occidunt stantes intra Ec- „ clesiam, vel coemeterium, aut iis „ membrum mutilant, non illius tan- „ tum Ecclesiae, quam violarunt, „ sed cujuscumque etiam alterius Ec- „ clesiae immunitate gaudere nequa- „ quam posse, aut debere.

(1) *Sua const.* §. 4.

Digitized by Google

Quid dicendum de iis, qui Ecclesiae confugio abutuntur.

23. ℞. Si delictum sit de iis, pro quibus *de jure communi intrat poena sanguinis, aut triremium* exclusi manent ab immunitate (1); si vero delictum tale non sit, istiusmodi rei Episcopi auctoritate ab Ecclesia, cujus confugio abusi sunt, ad aliam Ecclesiam sunt transferendi, facta iisdem comminatione, futurum, ut priventur immunitate, si rursum Ecclesiae confugio abutantur, quod quidem fiet, si hoc contigerit. Ita ex Instructione Pontificia (2). Si autem quaeratur, quinam dicantur Ecclesiae confugio abuti, id declaravit Clemens XIV. (3) nempe abuti immunitate Ecclesiae eum, qui in hac retinet, vel abscondit arma, claves adulterinas, aliave instrumenta apta ad furta committenda, vel scienter res furtivas recipit, aut in locum immunem introducit mulieres inhonestas, aut viatores vexat, aut egressus a loco immuni furta committit, aut alia similia delicta.

(1) §. 9. *v.* pen.

(2) §. 9. *v.* ult.

(3) *Sua instruct.* §. 3.

An quando transferendus est reus de una in alteram Ecclesiam, constare debeat Episcopo ex processu ad formam juris exacto reum Ecclesiae confugio abusum fuisse.

24. ℞. Negat., uti declaravit Clemens XIV. (1), sed satis esse, ut ei constet ex testimonio Fisci, aut alterius, aut *ex informata conscientia*. Verum si quaestio instituatur de abusu iterum commisso in Ecclesia, in quam translatus fuit reus, ob quem declarandum sit excidisse a privilegio immunitatis, vult idem Pontifex (2) ex processu formali novum abusum probandum esse.

(1) *Sua instruct.* §. 2.

(2) *Ibidem* §. 3.

An ille, qui in Ecclesia furtum 28. libellarum committit, censeatur crimen exceptum commisisse.

25. ℞. Affirmative; unde Curia Taurin. (1) pronuntiavit Gottardum Barbier, qui in Ecclesia Vercellensi furatus fuerat 28. libellas, non gaudere privilegio asyli, postquam Curia Vercellensis suam sententiam non protulerat post mensem ab exhibito sibi processu. Eadem curia Taurinensis (2) reparata sententia curiae Albensis declaravit Franciscum Valentiam, qui furatus fuerat in Ecclesia mappam, idest *un mantile* non gaudere immunitate, quum huic crimini saltem ad tempus debeatur poena triremium (3).

(1) *Die* 11. *octob.* 1747.

(2) *Die* 26. *apr.* 1768. *in causa Fisci militar. contra Franciscum Valentiam.*

(3) *L.* 6. *ff. ad l. Juliam peculat.*, *& C. Regia lib.* 4. *tit.* 34. *cap.* 9. §. 7.

An minor delictum committens in Ecclesia, cui imponitur poena sanguinis, vel triremium, fruatur immunitate.

26. ℞. Excepto homicidio atroci; pro quo minores non gaudent jure asyli ex instruct. Clem. XIV. (1),

Digitized by Google

minorem pro aliis delictis levioribus immunitate gaudere; nam delicta, quibus jure communi imminet poena sanguinis, vel triremium, si a minore committantur, attenta ejus minori aetate perinde est, ac si pro ipsis talis poena statuta non esset, unde cum non verificetur in hoc casu pro delicto commisso imminere poenam sanguinis, aut triremium, ideo minor immunitatis beneficio fruetur. Hanc sententiam probavit Carolus Emmanuel (2).

(1) *Sua instruct.* §. 5.

(2) *Sua ordinat. vulgo* Regio viglietto *die 6. septemb.* 1742. *instante Senatu in causa Fisci Costilliolarum Astensium contra Richelmum.*

27. Praeter casus exceptos hactenus recensitos, nullus alius admittendus erit, ratione cujus rei ad Ecclesiam confugientes illius immunitate priventur; tum quia exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, tum quia si ultra exceptos liceret alios excipere ob identitatem rationis, vel majoritatem, nihil firmum, & stabile circa hoc constitutum esset, & passim judices seculares suam jurisdictionem extenderent, Ecclesiae violarentur, & universa litibus, & scandalis paterent. Unde Gregorius XIV. in sua cit. Constit. sanxit non esse argumentandum a paritate rationis, majoritate, vel identitate, sed litteraliter delictis standum esse.

PARAGRAPHUS V.

De effectibus immunitatis.

SUMMARIA

1. *Varii sunt effectus immunitatis, quorum primus est, ut reus a loco sacro violenter extrahi non possit.*
2. *Secundus, ut reus in Ecclesia nullo modo vexetur.*
3. *Tertius, ne impediantur ea, quae sunt reo necessaria.*
4. *Quartus, ne spolietur bonis, quae secum habet in Ecclesia, nisi sint aliis obligata.*
5. *Quintus, ne reus ad poenam corporalem damnetur. Verum ex consuetudine recepta, nunc satis est, ut executioni poena non mandetur.*
6. *Sextus, ut omnes actus ex violenta extractione secuti nulli omnino sint.*
7. *Judex non tenetur compensare damna ex violenta extractione reo provenientia.*

1. Primus, & praecipuus immunitatis effectus est, ut reus a loco sacro, seu immuni non possit per vim extrahi, nisi in casibus exceptis (1); imo reus recipi debet in locum sacrum ad quem confugit, nec inde potest expelli (2).

(1) *Can.* Definivit 35. *caus.* 17. *q.* 4. *cap.* Inter alias 6. *de immunit. Eccl.*, *cui consonat lex* 2. *cod. de his, qui ad Ecclesiam &c. his verbis*: San-

cimus nemini licere ad Ss. Ecclesias confugientes abducere.

(2) *Argum. leg.* 2..3. 6. *cod. de his, qui ad Eccl. &c. ibi*: ex his (*sacris*) locis, eorumque finibus nullos expelli, aut aliquando ejici patimur.

2. Secundus effectus est, ne reus in Ecclesia existens vinculis alligetur, vel alio modo vexetur (1).

(1) *L.* Praesentis 6. *cod. de his, qui ad Eccl. &c. ibi*: Non patimur in Ecclesiis quempiam detineri, atque constringi. *Consonat can.* definivit *cit.*

3. Tertius effectus est, ne fugienti ad Ecclesiam impediantur alimenta, vestitus, & reliqua vitae necessaria (1); hoc enim esset indirecte reum a loco sacro extrahere; imo si reus ad Ecclesiam confugiens non habeat, unde sustentetur, tenebitur Ecclesia de bonis suis providere (2). Caeterum si possit alias ex bonis propriis, aut consanguineorum, aut ex eleemosynis sustentari, tunc Ecclesia non tenebitur eum alere.

(1) *L. 6. cod. de his, qui ad Ecclesiam, & ex dicto can.* Definivit.

(2) *Arg. l. 6. cit. & can.* Aurum 70. *c.* 12. *q.* 2.

Benedictus XIV. sua constit. (1), quam Clemens XIV. (2) in omni sua parte ad nos extendit, decrevit, ut ii „ qui in spretum Ecclesiasticae auctoritatis, & canonicarum sanctionum, praescripto ad Superiores ecclesiasticos recursu post habito Ecclesias, & loca immunia obsidere praesumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur, sive aliter .... sive confugientes hujusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, incurrant omnes poenas, atque censuras adversus ecclesiasticae immunitatis violatores in jure, ac in constitutionibus Apostolicis latas, atque statutas; " & quidem sine alia declaratione, ut inferius statuit (3); deinde hujusmodi reos privat omni beneficio, ac privilegio ecclesiastici confugii, & asyli tam apud Ecclesias, & loca immunia ab ipsis violata, quam apud alias quascumque Ecclesias, & loca sacra, & religiosa (4).

(1) *Incipiente* Officii nostri §. Illud etiam.

(2) *In sua instruct.* §. *ult.*

(3) §. Illud etiam *circa fin.*

(4) *Cit.* §. Illud etiam.

4. Quartus effectus est, ne bona delinquentis, quae secum tulit in locum asyli, auferantur (1); si autem bona haec, aut sint aliena, aut aliis obligata, poterit a judice eis spoliari, quia hoc non esset ei nocumentum afferre, sed, ne ipse aliis nocumentum inferat, impedire.

(1) *Cit. can.* Definivit.

Hinc Benedictus XIV. (1) mandat Episcopis, Vicariis Foraneis, vel aliis Superiorum personam sustinentibus in urbe, vel quovis loco Dioecesis, ut reis auferre faciant arma, advocata, si opus fuerit, curiae secularis potestate, vel si curia secularis pro ablatione armorum reis fa-

Digitized by Google

cienda instet, praecipit, ut dictae curiae hanc licentiam concedant arma extrahendi interveniente tamen persona ecclesiastica. Quod si forte curiae seculari haec licentia denegetur, vult ut ipsi jus sit dicta arma extrahendi, quae etiam in casu, quo fuerint a Superioribus ecclesiasticis ablata reis, tradi debent saeculari Magistratui, praemissa tamen protestatione in jure Canonico (2) requisita.

(1) *Sua instruct.* §. 12. *v.* 1.

(2) *Cap.* Praelatis *de homic. in* 6.

5. Quintus effectus est, ne reus, dum in Ecclesia existit, damnetur ad mortem, vel ad aliam poenam corporalem, uti ad exilium, triremes &c. (1); verum consuetudine receptum est, cum reus confugit ad Ecclesiam, quod judex eum inquirat, citare faciat, & si non compareat, tamquam in absentem proferat sententiam, quam tamen non potest mandare executioni, si sermo habeatur de iis poenis, quae executionem habere non possunt, nisi reus ab Ecclesia extrahatur, uti esset poena carceris, verberationis, mortis &c.; at aliae poenae, puta ademptio bonorum &c., quae executioni mandari possunt, quin reus ab Ecclesia abducatur, in reum infligi possunt.

(1) *Argum. can.* Reum 9. *can.* Id constituimus 36. *c.* 17. *q.* 4. *& cap.* Inter alia 6. *de immun.*

Sunt qui dicunt reos in Ecclesiis existentes non posse quidem gravibus poenis puniri, levioribus tamen posse; at huic sententiae obstat inprimis, ut alia praeteream, legitima consuetudo, qua nullus reus ab Ecclesia extrahi potest, ut poenis corporalibus etiam levioribus puniatur. Obstare secundo videtur Instructio Pontificia (1), qua cautum est, ut ii, qui abutuntur confugio, transferri quidem possint ad aliam Ecclesiam, sed in hac translatione non possint inquietari a curia seculari *sub poenis violatae immunitatis.*

(1) §. 9. *v.* ult.

6. Sextus effectus est, quod si reus de facto ab Ecclesia extraheretur, talis extractio nulla esset, & omnes actus ex illa secuti, ut habetur in Bulla Gregoriana (1).

(1) §. Quod si.

An judex teneatur compensare omnia damna secuta ex violenta extractione.

7. R/. Asserunt plures, quia reus jus habet, ne in loco sacro capiatur, & sic peccat contra justitiam commutativam illum extrahens. Melius tamen sentiunt, qui contrarium opinantur; quia hoc privilegium non est reo concessum, sed loco sacro, estque locale non personale; unde reus nullum jus habet commorandi in loco sacro. Quare judex peccat solum peccato sacrilegii contra reverentiam debitam loco sacro, non peccato injustitiae contra jus rei, & hoc expresse docet s. Thomas, qui, ut probet (1) posse dari sacrilegium, quod non sit simul injustitia, ponit exemplum in judice extrahente reum ab Ecclesia his verbis: „ ad tertium

„ dicendum, quod sacrilegium in„ interdum invenitur separatum ab „ aliis peccatis, eo quod actus non „ habent aliam deformitatem, nisi „ quia res sacra violatur, puta si „ quis judex capiat aliquem de lo„ co sacro, quem in aliis locis li„ cite capere potest.

(1) 2. 2. *q.* 29. *art.* 2. *ad* 3.

PARAGRAPHUS VI.

De Peccatis, & poenis violantium immunitatem.

SUMMARIA

1. *Violantes immunitatem sacrilegi sunt, jure civili afficiuntur ultimo supplicio, jure canonico poenitentia publica, nec non excommunicatione, quam incurrunt etiam complices &c.*
2. *Nec Episcopus, nec Poenitentiaria violatorem immunitatis ab excommunicatione absolvere possunt.*

1. Constat ex jure canonico (1), & ex cit. D. Thomae testimonio violantem immunitatem sacrilegium committere; laedit enim divinam majestatem, cum ejus domum violet, & profanet, & ideo putatur hoc crimen laesae Majestatis divinae, ob idque jure civili poena capitali, & ultimo supplicio punitur (2). Ex eodem jure canonico judicio Episcopi poenitentia publica puniri potest, nec non pecuniaria poena, pensata delicti qualitate, & conditione delinquentis (3), quae poena antiquata non est, ut aliqui putant, sed in suo robore perseverat; quia per Tridentinum (4), & Bullas Gregorii XIV. (5), Benedicti XIII. (6), & Benedicti XIV. (7) omnes poenae antiquis canonibus latae adversus immunitatis violatores innovantur. Praeter hanc pecuniariam poenam, & publicam poenitentiam violator immunitatis excommunicationi subjicitur (8). At Gregorius XIV. in sua Constit. (9) statuit excommunicationem a violatoribus immunitatis ipso facto incurri; sacra autem Congregatio hisce poenis subjectos declaravit non solum extrahentem reum a loco immuni, verumetiam complicem extractionis, cooperantem, mandantem, cogentem, obsidentem, custodientem confugitum, ne egrediatur ab Ecclesia, ut inde capiatur, ut videre est penes Ferraris (10).

(1) *Can.* Miror 8., *can.* Frater 10., *can.* Quisquis 21. *c.* 17. *q.* 4.

(2) *L.* Praesenti 6. *cod. de his, qui ad Ecclesiam &c. ibi*: Capitali, & ultimi supplicii animadversione plectendus.

(3) *Can.* Si quis contumax 20. *c.* 17. *q.* 4.

(4) *Sess.* 25. *cap.* 20.

(5) §. 8.

(6) §. 9.

(7) §. Illud etiam.

(8) *Can.* Sicut antiquitus 6. *can.* Definivit 35. *c.* 17. *q.* 4.

(9) §. 8.

(10) *Verbo Immunitas art.* 3. *n.* 132., *& seq.*

Digitized by Google

Quis possit violantem immunitatem a censura absolvere.

2. ℟. Absolutionem petendam esse a summo Pontifice, nec ab Episcopo posse concedi sub quocumque praetextu etiam restitutionis statim factae Ecclesiae (1); imo neque a sacra Poenitentiaria, ut definivit Benedictus XIV. (2).

(1) *S. Congr. immunit. in Lycien-si* 13. *jul.* 1638.

(2) *Sua Constit. incip.* Pastor bonus §. 14.

PARAGRAPHUS VII.

De modo extrahendi reos ab Ecclesia, aliisque locis immunibus.

SUMMARIA

1. *Reus extrahendus est ab Ecclesia auctoritate Episcopi, vel ejus officialis.*

Indicatur modus extrahendi reos ab Ecclesia ex Benedicto XIII., Clemente XII., Benedicto XIV., Pio VI. numeris 2. 3. 4. 5. *&* 6.

7. *Judex absque licentia reum ab Ecclesia extrahens non potest ab Episcopo citari.*

8. *Soli Episcopi, non vero inferiores Praelati, nec Vicarii capitulares sede vacante declarare possunt, num reus crimen exceptum commiserit.*

9. *Excipiuntur Vicarii Generales ab Episcopis exteris in nostris regionibus deputati.*

10. *Magistratus secularis judicat, an locus immunitate gaudeat.*

11. *Intra mensem proferenda est sententia ab Episcopo, num reus crimen exceptum commiserit, nec ne.*

12. *Si Episcopus intra mensem sententiam non proferat, causa devolvitur ad Episcopum Taurinensem, vel si ab hoc lata sit sententia, ad Episcopum Salutiensem, eoque impedito ad Episcopum Eporediensem.*

13. *Potest ab Episcopi sententia appellari, haecque facultas Fisco competit, non reo.*

14. *Referuntur duo casus, in quibus Pius VI. declaravit adhuc appellationi locum esse.*

Cujus auctoritate extrahendus sit reus a loco immuni.

1. ℟. Auctoritate Episcopi, vel ejus officialis extrahendum esse (1).

(1) *Ex Constit. Gregorii XIV.* §. Ne autem.

Quomodo sint rei extrahendi ab Ecclesia.

2. ℟. Benedictum XIII. in sua Const. (1) hunc modum praescripsisse. Primo, ut curia ecclesiastica requisita a curia seculari reum extrahat e loco immuni, si adsint indicia ad capturam implorato etiam, quatenus opus sit, brachii secularis auxilio. Secundo ut reus mancipetur carceribus ecclesiasticis, & inde fiat processus ab Episcopo super casum exceptum, & si in processu indicia sint, quae juxta regulas juris vocantur ultra torturam, *eo tantum casu praefa-*

tum extractum ministris, & officialibus curiae secularis tradere, & consignari possit, ac debeat.

(1) §. 8.

3. Clemens XII. in sua Constit. (1) data solum pro ditione Romana in casu homicidii vel praemeditati, vel in rixa commissi, praescripsit consignandum esse reum extractum curiae seculari, si de crimine excepto constet ex acquisitis, seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus. Secundo ut exigatur, & recipiatur prius ab ipsis judicibus secularibus, si de crimine excepto constet, obligatio in forma juris valida restituendi extractum Ecclesiae sub poena excommunicationis latae sententiae summo Pontifici reservatae, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, & diluat.

(1) §. Usque reorum

4. Benedictus XIV. in sua Instructione (1) circa rei extractionem hunc modum voluit adhibendum: statim ac adsunt indicia ad capturam, petente seculari Magistratu licentiam extrahendi reum ab Ecclesia, hanc concedere debent Episcopi, eorumque Vicarii Generales in Urbe, in aliis locis Vicarii Foranei, in horum defectu persona ecclesiastica, quae superioris vice fungatur, interveniente tamen ecclesiastico ab iisdem deputato, & accepta cautione jurata in scriptis reum detinendi nomine Ecclesiae (mos amplius non est, ut exigatur cautio jurata, sed satis est, ut cautio praestetur in scriptis), quousque constet immunitati locum non esse, eumque Ecclesiae restituendi, si constiterit eum frui debere immunitate.

(1) §. 11. *v.* Rifugiandosi.

5. Si autem agatur de extractione militum ab Ecclesia, ut inde si graviter rei transferantur in Sardiniam, vel si levi crimine sint noxii, praevia levi poena, suis signis restituantur, non erit exigenda cautio in scriptis, sed solum promissio a Praefectis militum more nobilium de non plectendis hujusmodi militibus morte, aut aliqua gravi poena (1).

(1) *Brevi Pii VI. die* 18. *april.* 1776., *& alio Brevi ejusdem die* 11. *decembris* 1779.

6. Quod si licentia denegetur (1), jus erit judici seculari extrahendi delinquentem; at praedictam cautionem judex transmittere debebit ad curiam ecclesiasticam Episcopi. Si postmodum constiterit locum, ex quo cum licentia superioris extractus fuit reus, non esse immunem, tunc superior ecclesiasticus remittere debebit cautionem sibi praestitam, utpote ex errore sibi concessam; Pontificia enim Instructio decernit cautionem hanc dandam esse in eo solum casu, quando reus e loco immuni est extrahendus. Reo constituto (2) in carceribus secularibus, processus informativus, ut ajunt, fiet a judice seculari super delictum (dixi informativus; nam processus judicialis adhuc fieri non potest; unde ju-

dex secularis nec reum interrogare, nec testes ei praesentes exhibere potest) & inter spatium quatuor mensium processus informativi acta exhiberi debent judici ecclesiastico. Si fortasse intra hoc spatium non possint compleri informationes, usu receptum est, ut Magistratus secularis ad Episcopum recurrat, qui solet dilationem concedere. Si vero judex secularis (3) processus acta non exhibeat, neque ex recepta consuetudine dilationem postulaverit, cura erit Episcopi reum ab Ecclesia extractum petendi, ut ibi restituatur; quae restitutio non poterit denegari, nec differri ob cautionem ipsi praestitam.

(1) §. 11. *v.* Nel caso.

(2) §. 11. v. Constituito.

(3) §. 11. *v.* Quando poi.

Quid faciet Episcopus, si agnoscat judicem laicum, neglecta Instructione Benedictina, e loco immuni reum extraxisse.

7. ℟. Episcopum non posse ad se citare judicem, nec eum prohibere, ne ulterius procedat; haec enim facultas nullibi in Instructione Benedictina conceditur; sed monere debebit per epistolam primum Senatus Praesidem, qui judicem ex mandato piissimi Regis pro modo culpae severe puniet.

Cujus sit decernere, an reus crimen exceptum commiserit, vi cujus non gaudeat immunitate.

8. ℟. Hoc ad solos Episcopos, aliosque Episcopis superiores Praelatos pertinere, non vero ad alios Episcopis inferiores, etiamsi territorium separatum habeant, ita ut si locus exemtus sit in Dioecesi, recursus haberi debeat ad Episcopum Dioecesanum, secus ad viciniorem Episcopum. Ita Benedictus XIV. in sua Instructione (1); in qua tamen tradit excipiendos esse eos Praelatos inferiores, qui obtinuerint indultum a Sede Apostolica. Benedictinae Instructioni consonat Bulla Gregorii XIV. (2), & Benedicti XIII. (3), ex quibus omnibus aperte colligitur, nec Vicario capitulari, sede vacante, competere facultatem id decernendi; sed in hoc quoque casu recurrendum esse ad viciniorem Episcopum, uti saepius declaravit S. Congregatio (4).

(1) *In fine* §. 11.

(2) §. 4.

(3) §. 9.

(4) *In Beggensi die* 19. *novemb. an.* 1650., *& in Calaguritana* 30. *sep.* 1698.

9. Usu, & consuetudine receptum est, ut Vicarii Generales, qui ab Episcopis exteris in nostris regionibus (1) deputantur, declarent, an reus crimen exceptum commiserit, vi cujus immunitate sit privatus; hicque usus fundamentum habet in Instructione Benedictina (2), ubi omnis jurisdictio ecclesiastica ab Episcopis exteris conceditur Vicariis in ea parte Dioecesis sita in nostris regionibus, ideoque etiam facultas declarandi, an reus immunitate fruatur, nec ne.

Digitized by Google

(1) §. 1. *Instruct. Benedict.*

(2) *Dict.* §.

10. Usu quoque, & praxi receptum est, ut Magistratus secularis judicet, num locus, in quem se recepit reus, immunitate gaudeat, nec ne; eo enim ipso, quo Pontifex in sua Instructione non reservavit Episcopis facultatem judicandi in hoc casu, censetur Magistratibus secularibus hanc concessisse.

Intra quod tempus pronuntianda sit sententia ab Episcopo, num reus immunitate fruatur, nec ne.

11. ℟. Intra mensem computandum a die, qua exhibitus fuit processus informativus ex Instructione Benedictina (1); in qua etiam decernitur (2) sufficere indicia ad torturam, ut Episcopus possit declarare inquisitum non frui asyli beneficio. Additur ibidem (3), postquam Episcopus declaravit reum non gaudere asyli beneficio, cessare obligationem, quam susceperat judex detinendi reum nomine Ecclesiae, sed a judice aliam cautionem esse praestandam, in qua declaret se esse restituturum reum Ecclesiae, si in progressu judicii reus demonstret nullum se commisisse crimen, aut aliquod commisisse, quod exceptum non sit. Utrum vero ex processu in judicio confecto, & absoluto constet exceptum crimen admissum fuisse nec ne, cognitio relinquitur Magistratui seculari, cujus conscientiae committitur, & ideo Episcopus nullam habet in hoc casu processus judicialis cognoscendi facultatem.

(1) §. 11. *v.* Costituito.

(2) §. 11. *v.* Perchè.

(3) §. 11. *v.* Dichiarandosi.

Quid facto opus sit, si Episcopus intra mensem sententiam suam non proferat.

12. ℟. Causam devolvi ad Episcopum Taurinensem, & si agatur de sententia lata ab Archiepiscopo Taurinensi, tunc causa devolvitur ad Episcopum Salutiensem, eoque mortuo, vel impedito ad Episcopum Eporediensem. Idem sentiendum, quando quaestio instituitur de augendis probationibus, & de novo processu instituendo (1).

(1) *Instruct. Benedict.* §. 13.

Potest ne ab Episcopi sententia de immunitate lata appellari?

13. ℟. Affirmat., & quidem ad Archiepiscopum Taurinensem, aut si sententia in prima instantia, seu judicio lata fuit ab Archiepiscopo Taurinensi ad Episcopum Salutiensem, eoque mortuo, vel impedito ad Episcopum Eporediensem, qui in hisce controversiis dirimendis non propria, sed a sede Apostolica delegata potestate utuntur, a qua sententia in secundo judicio lata nullus amplius erit locus cuicumque appellationi. Ita ex Instruct. Pontificia (1). Haec porro facultas appellandi solummodo Fisco competit, non reo. Pontificia enim Instructio loquitur tantum de Fisco; unde reus etiamsi se esse gravatum praetendat, prolata tamen Episcopi sententia nullam interponere poterit appellationem.

Digitized by Google

(1) *Instruct. Benedict.* §. 13.

14. Eritne adhuc appellationi locus a sententia Archiepiscopi Taurinensis, si causa ad eum sit devoluta, eo quod Episcopus intra mensem sententiam non tulerit, vel a sententia Episcopi Salutiensis, hocque mortuo, vel impedito, Episcopi Eporediensis, si Archiepiscopus Taurinensis intra mensem pariter sententiam non dixerit.

℟. Olim dubitatum fuisse, sed dubium sustulit Pius VI. (1), declarans in primo casu fas esse parti succumbenti appellare ad Episcopum Salutiensem, eoque mortuo, vel impedito, ad Episcopum Eporediensem: in secundo autem casu licere quemcumque ex Archiepiscopis, & Episcopis in ditionibus temporalibus invictissimi Regis nostri in judicem appellationis eligere.

(1) *Suo Brevi dato Viennae in Austria die 9. aprilis 1782.*

ARTICULUS V.

De peregrinis, advenis, & vagis.

SUMMARIA

1. *Traditur definitio peregrini, advenae, & vagi.*
2. *Peregrini non ligantur legibus proprii territorii; idque ostenditur primo ex jure canonico.*
3. *Secundo ex ratione.*
4. *Excipitur primo, modo fictione juris non censeantur esse in proprio territorio.*
5. *Excipitur secundo, modo non absint in fraudem.*
6. *Objectio prima solvitur.*
7. *Solvitur secunda objectio.*
8. *Peregrinus extra proprium territorium non tenetur servare leges juris communis, si non serventur in eo territorio, in quo moratur.*
9. *Discedens e territorio, in quo lex viget, ante discessum eam servare adstringitur, si commode possit.*
10. *Discedens e loco, in quo jejunium viget, jentaculum sumere non potest, etiamsi se conferat in locum, ubi non servatur.*
11. *Peregrinos legibus loci, in quo morantur, obstringi docent communiter Theologi in hisce casibus. Primo quando domicilium mutant.*
12. *Secundo quando alium locum petunt, ibi moraturi per majorem anni partem.*
13. *Tertio ratione scandali.*
14. *Quarto si leges vigentes in territorio, in quo versantur, & non in proprio, sint juris communis.*
15. *Quinto si leges contractus respiciant.*
16. *Sexto si delinquant contra jus naturale, vel commune.*
17. *His constitutis probabilius defenditur peregrinos, & a fortiori vagos obstringi legibus loci, in quo morantur; idque probatur primo ex S. Ambrosio.*
18. *Secundo ex S. Augustino.*
19. *Tertio ex ratione.*
20. *Solvitur prima objectio.*
21. *Solvitur secunda objectio.*

Digitized by Google

22. *Una ponitur conclusionni exceptio.*

1. Antequam sententiam nostram aperiamus, num peregrini, advenae, & vagi quibusdam legibus obligentur, notandum est peregrinum, advenam, & vagum inter se diferre. Peregrinus ille dicitur, qui extra proprium territorium aliquantisper versatur animo ad sua redeundi. Advena, qui extra proprium territorium domicilium fixit. Vagus demum, qui nullibi domicilium fixum habet. His in antecessum positis.

℟. Peregrinos non teneri legibus proprii territorii, modo fictione juris in proprio territorio esse non censeantur; & modo non absint in fraudem.

2. Probatur primo ex jure canonico. Bonifacius VIII. (1) sic scribit: „ Statuto Episcopi, quo in omnes, qui „ furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Dioecesim committentes, minime ligati „ noscuntur „. *Et rationem addit*: „ Quum extra territorium dicenti impune non pareatur. Id ipsum statuitur in jure civili (2) „.

(1) *Cap. 2. de constit. in 6.*

(2) *L. ult. ff. de jurisdictione.*

3. Probatur secundo ex ratione, quia leges in hoc differunt a praeceptis, quod leges, & statuta immediate afficiunt territorium, personas vero mediate tantum, & dependenter a territorio (1); praecepta autem immediate afficiant personas, earumque ossibus adhaereant quocumque perexerint; quare si Episcopus suspendat sacerdotem, hic nec in aliena Dioecesi celebrare poterit: unde leges non poterunt constringere eos, qui extra territorium existunt, secus vero praecepta. Deinde leges conduntur a Principibus ob utilitatem, & tranquillitatem proprii Principatus, non vero alieni: ergo non obligant extra eorum Principatum.

(1) *L.* Omnes populi 9. *ff. de Just. & jur.*

4. Dixi primo, modo fictione juris non censeantur esse in proprio territorio. Si enim res, circa quam agunt, vel eorum actio, vel omissio sit intra territorium; licet eorum persona extra territorium reperiatur, proprii territorii legibus ligantur; quare qui extra territorium existens rem venderet in proprio territorio sitam, servare teneretur leges proprii territorii (1). Similiter siquis contra legem arma venderet hostibus, iste censetur delinquere in proprio territorio; damnum enim ei illatum censetur moraliter factum intra illud (2). Demum si beneficiatus contra legem synodo non intersit, vel non resideat, censetur praesentiae, & residentiae omissionem consumare in territorio; unde incurrit poenas in non residentes latas (3). Nam omissio rei praeceptae, inquit Antoine, vel commissio rei prohibitae, ibi censetur consumari, ubi res praecepta, vel vetita fieri, vel omitti debuisset, & de-

linquens censetur ratione delicti ibi esse moraliter praesens (4).

(1) *L.* Heres 19. *ff. de judiciis.*

(2) *L.* 4. *cod. de commerc.*

(3) *Cap.* 11. *de Cler. non resid.*

(4) *L.* 2. *cod. Quae res exportari.*

5. Dixi secundo, modo non absint in fraudem, qui enim solo fine legem subterfugiendi, abit in locum, ubi non viget, peccat, & ab illius obligatione non liberatur. „ Quamvis „ enim, *ait Benedictus XIV.* (1) „ nonnulli doctores etiam hunc (*peregrinum scilicet*) a statuti vinculo solutum arbitrentur; melius tamen eum in legis fraudem discedentem, legis vinculum secum ferre, eoque constrictum manere defendunt alii. Neque hodie fas esse videtur ab hac sententia recedere, postquam S. Congregatio Concilii illegitimum pronuntiavit matrimonium, non servata Tridentini forma ab iis celebratum, qui solo animo illud clandestine contrahendi recesserunt e loco, ubi Tridentinum est promulgatum, & se ad locum contulerunt, in quo promulgatum non est. Quam declarationem sua roboratam auctoritate Urbanus VIII. inseruit Brevi ad Archiepiscopum Coloniensem dato anno 1627. Etenim, quum neque S. Congregationi, neque summo Pontifici in animo fuerit novam rogare legem, sed praeexistentem jam a Tridentino indictam explicare, jam inde conficitur ex utriusque sententia, qui in legis fraudem loco se subducit, ubi ea viget, sub lege nihilominus comprehensum, ejusque nexu devinctum manere. Accedit, quod Clemens X. in sua Constit., quae incipit *Superna* edita 21. maii, & publicata 2. augusti 1670. declaravit posse Regularem in Dioecesi, in qua ad excipiendas confessiones est approbatus, *confluentes ex alia Dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Ex quo iterum manifestum est dolum, & fraudem nemini patrocinari, ad evadendum legis vinculum; eamque fraudem vere ab illo committi, qui solo animo legem eludendi, e loco se proripit, ubi illa viget.

(1) *Lib.* 13. *cap.* 4. *n.* 10.

Praeterea fraus, & dolus alicui patrocinari non debet (1): *Fraus autem legi* (2) *fit, ubi quod fieri noluit, fieri tamen non vetuit, id fit: contra legem* (3) *facit, qui id facit, quod lex prohibet; in fraudem vero, qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit.* Atqui in nostro casu, dum quis a territorio discedit solo animo subterfugiendi legem, facit id quod lex fieri noluit, fieri tamen non vetuit, & salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit; ergo iste in fraudem legis facit, nec ab ejus obligatione liberatur.

Digitized by Google

(1) *Cap.* 15., & 16. *de rescript.*
(2) *L.* 30. *ff. de legibus.*
(3) *L.* 29. *ff. de leg.*

Probatur demum ex S. Thoma, qui inquit (1): *Si peregrinatio commode differri potest... non sunt propter hoc Ecclesiae jejunia praetermittenda.* Si ergo ex S. Thoma peregrinatio bono fine habita non excusat a lege jejunii, si commode diferri possit; quantominus excusabit peregrinatio solo animo subterfugiendi legem suscepta.

(1) 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 3.

6. Nec valet id, quod plures probabilistae regerunt, scilicet quod iste discedendo e territorio utatur jure suo (quod quidem est totum ipsorum fundamentum): nam in primis regerunt id, quod est in quaestione; quaeritur enim, an iste jus habeat discedendi a territorio solo animo legem subterfugiendi. Deinde falsum est hunc uti jure suo; nemo siquidem jus habet agendi in fraudem legis, sicut nemo jus habet iter instituendi, vel laborandi eo solo fine, ut se reddat impotentem ad legem jejunii servandam.

At, inquies, potest quis mutare domicilium eo solo fine, ut eximatur a legibus territorii, in quo versatur, quia iste utitur jure suo; ergo poterit etiam alius non mutato domicilio abire in alium locum, ut eximatur legibus proprii territorii, quia sic utitur jure suo.

7. ℟. Discrimen esse quammaximum; primus enim, quum mutet domicilium, non est amplius subditus legislatori; unde aequum est, ut ejus legibus amplius non teneatur; at secundus, quamvis in aliud territorium perrexerit, habet tamen animum ad proprium redeundi; & proinde est adhuc subditus legislatori, quare nil mirum, si per fraudem e proprio territorio discedendo peccet, & legibus sui territorii adhuc obstringatur.

8. Ex his colligitur peregrinum non teneri servare leges juris communis obtinentes in proprio territorio, si illae ex privilegio, vel ex consuetudine non serventur in territorio, in quo sine fraude versatur, quia *nec disciplina ulla est*, inquit Augustinus (1), *in his melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat; quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit.*

(1) *Ep.* 117.

An ille, qui discedit e territorio, ubi lex viget, teneatur ante discessum eam implere.

9. ℟. Probabilius teneri, si commode possit; in sententia enim adversariorum illud sequeretur, quod quis die festo discessurus circa meridiem, non teneretur toto mane missam audire, quod repugnat timoratorum praxi, & communi hominum sensui. Sane sicut tenetur primam missam audire, qui praevidet deinde fore impediendum, ita a pari &c.

10. Facile inde fluit discedentem e loco, in quo jejunium viget, ut se conferat in locum, ubi non viget, non posse jentaculum sumere; quia

viget semper lex, quandiu iste manet in territorio; nec privilegium loci, in quo nondum est, potest ipsum a legis vinculo liberare.

An peregrini devinciantur legibus loci, in quo versantur.

11. Conveniunt primo Theologi, eum, qui pergit in alienum territorium animo perpetuo ibi manendi, teneri statim legibus illius territorii, quia iste, postquam accessit ad aliud territorium cum animo ibi manendi, non est amplius peregrinus, sed incola illius territorii, & domicilium statim ibi acquirit (1).

(1) *L.* Cives 7. *cod. de incolis*, *l.* Domicilium 20. *ff. ad municipalem*.

12. Conveniunt secundo eum, qui pergit in aliud territorium cum animo ibi manendi per majorem anni partem, ut sunt famuli, scholastici, ligari quoque legibus illius territorii, nam isti quasi domicilium acquirunt (1).

(1) *L.* 2. *cod. ubi Senatores*, *l.* Heres 19. §. Proinde 2. *ff. de judiciis*.

13. Conveniunt tertio peregrinos teneri servare leges territorii, in quo commorantur, quando alias periculum esset scandali, quia *vae homini illi, per quem scandalum venit* (1).

(1) *Matthaei cap.* 18. *v.* 7.

14. Conveniunt quarto peregrinos obligari ad servandas leges juris communis in proprio territorio non vigentes, si in territorio in quo commorantur, sint in usu; quia peregrini per discessum e proprio territorio non desinunt esse subditi legislatori juris communis; nec consuetudo, vel privilegium, vi cujus ab iis legibus eximuntur, dum sunt in proprio territorio, ullam vim habeant in alieno territorio.

15. Conveniunt quinto peregrinos ligari legibus contractum spectantibus; quia quisque ratione contractus forum sortitur, ibique conveniri potest (1).

(1) *Cap.* Dilecti 17. *cap. fin. de Foro competenti*. *L.* Heres §. Siquis tutelam 1. *ff. de Judiciis*.

16. Conveniunt sexto peregrinos delinquentes contra jus naturale, vel commune poenis puniri posse a legibus illius territorii, in quo commorantur, constitutis; quia unusquisque forum sortitur ratione delicti (1).

(1) *Cap. fin. de Foro compet. authent.* Quae in provincia *cod. ubi de crimine agi oportet.*

His, quae pene ab omnibus admittuntur praemissis, ℟. peregrinos, & a fortiori vagos probabilius teneri legibus specialibus loci, in quo versantur, dummodo mora sit proportionata adimpletioni praecepti.

17. Probatur primo ex responso S. Ambrosii ad Augustinum (1): *Cum Romam venio*, inquit, *Sabbatum jejuno, cum Mediolani sum, non jejuno; sic & ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*; quae auctoritas refertur in

jure canonico (2); unde Glossa advertit manasse hosce versus:

Cum fueris Romae, Romano vivito more
Cum fueris alibi, vivito sicut ibi.

(1) *Epistola* 118. *apud eumdem Augustinum.*

(2) *Can.* Illa 11. *dist.* 12.

18. Secundo ex Augustino (1), qui ait: *Quae contra mores hominum sunt flagitia pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine; vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim pars est suo universo non congruens.*

(1) *Lib.* 3. *confes. cap.* 8. *cujus verba referuntur in can.* Quae contra 2. *dist.* 8.

Probatur tertio ratione: lex immediate ex dictis, afficit territorium; ergo obligat omnes ibi existentes etiam peregrinos. Nam peregrini ratione suae praesentiae in illo territorio subjiciuntur jurisdictioni: & sane brevis absentia satis est, ut peregrinus eximatur a legibus proprii territorii; ergo brevis commoratio in alieno territorio satis erit, ut subdatur legibus illius territorii. Æquum enim est, ut qui in una hypothesi *sentit commodum, in alia onus sentire debeat* (1); hinc peregrini perbelle a Grotio (2) temporarii cives dicuntur: merito propterea a Principibus nostris haec statuta sunt (3) " Si osserveranno da qualunque persona tanto suddita, che forestiera abitante ne' nostri stati, o che in essi in qualsivoglia modo si trattenga, le feste della domenica, e tutte le altre dalla santa Madre Chiesa comandate.

(1) *Reg. juris* 55. *in* 6.

(2) *Lib.* 2. *de jure belli*, *& pacis.*

(3) *Lib.* 1. *tit.* 2. §. 1. *R. Const.*

19. His adde, quod ordo, & tranquillitas communitatis exigit, ut omnes tam indigenae, quam peregrini iisdem legibus vivant; magna enim inde oriretur perturbatio, & confusio, si omnes in eodem territorio consistentes, alii his, alii aliis legibus uterentur.

20. Objicitur primo: nemo fit alteri subditus, nisi ratione originis, vel domicilii, vel quasi domicilii, vel delicti, vel rei possessae. Atqui peregrinus nullo modo ex his fit subditus; ergo &c.

℟. Ex hoc argumento illud solum sequi peregrinum non fieri subditum permanenter, non vero transeunter; sane sicut ad exemptionem a legibus sufficit brevis absentia; ita ad earum vinculum sufficit brevis mora.

21. Objicitur secundo. Peregrinus non potest matrimonium contrahere in loco, ubi per breve tempus commoratur, ergo &c.

℟ Hanc esse exceptionem a jure communi: exceptio autem firmat regulam in contrarium.

22. Dixi, modo mora sit proportionata impletioni praecepti. Nam si observatio praecepti tempus requirat longius, quam illud, quo peregrinus ibi moratur: tunc peregrinus illa lege non tenebitur; idque dicimus non ex ratione, sed ex communissima

Digitized by Google

Theologorum sententia, quae est legitima mentis legislatorum interpres. Hinc qui transit per locum, ubi dies est festus, non tenetur cessare ab itinere, ut audiat sacrum; imo nec tenetur hoc audire, si solum ibi moretur ad sumendum cibum.

CAPUT V.

De legum promulgatione, & acceptatione.

Caput hoc in duos dividimus articulos, in quorum primo verba faciemus de qualitate promulgationis ad legem requisita, non vero de ipsa promulgatione, de qua superius diximus. In altero autem de legum acceptatione.

ARTICULUS I.

De qualitate promulgationis ad legem requisita.

SUMMARIA

1. *Distinguitur promulgatio a divulgatione.*
2. *Attento jure naturae sufficit ea promulgatio, qua lex possit ad subditorum notitiam facile pervenire.*
3. *Attento jure positivo in iis ditionibus, in quibus vigent leges Imperiales, promulganda est lex in singulis provinciis.*
4. *In iis vero ditionibus, in quibus jus Imperiale non obtinet, standum erit legi, vel consuetudini.*
5. *Leges ecclesiasticae, si materiam fidei, & morum respiciant, nullam requirunt promulgationem.*
6. *Male sibi consulunt, qui legunt libros a sancta Sede prohibitos, & adversos fidei, vel bonis moribus. Nec audiendi sunt dum dicunt leges Pontificias tales libros prohibentes non habere Regium placitum, seu* Regium--exequatur, *vel non fuisse in singulis provinciis promulgatas.*
7. *Prima eorum ratio refutatur.*
8. *Refutatur altera ratio.*
9. *Dolendum, quod liber, cui titulus Encyclopedia, ferme ubique legatur, & tironibus proponatur.*
10. *Leges disciplinam concernentes, an in singulis provinciis promulgandae sint, controvertitur. Argumenta eorum, qui sentiunt hasce leges nullam vim habere, nisi in singulis provinciis promulgentur.*
11. *Argumenta eorum, qui contrarium opinantur.*
12. *Nostra non interest scire, quaenam ex hisce opinionibus probabilior sit.*
13. *Indicatur, quaenam constitutiones, Brevia, Decreta &c. penes nos vim habeant.*
14. *Inquiritur, quodnam tempus effluere debeat a promulgatione, ut lex vim obligandi habeat.*
15. *Lex sufficienter promulgata obligat etiam invincibiliter ignorantes, non tamen quoad culpam, & poenam proprie dictam, sed quoad alios effectus.*

1. Leges humanas promulgatione indigere, jam superius vidimus, nunc autem inquiritur, qualis ad eas requiratur promulgatio; quae quidem quaestio, ut definiatur, distinguenda est promulgatio a divulgatione, illa est publica legis propositio, aut denunciatio facta auctoritate Principis in loco publico, sive voce preconis, sive quavis alia publica solemnitate; haec vero est promulgationis extensio, sive applicatio ad aures facta per privatos fide dignos iis, qui promulgationem factam esse ignorant. Jam vero omnes consentiunt ad legis vigorem necessariam esse promulgationem, non tamen divulgationem; alioquin vix ulla esset lex humana, quae post promulgationem sufficientem obligaret; quum ferme semper sint aliqui, qui legis notitiam non habent, aut non nisi post longissimum temporis spatium. His positis.

2. Dico primo, attento jure naturae, ea requiritur, & sufficit promulgatio legis humanae, ut possit ad subditorum notitiam facile pervenire. Enimvero ideo requiritur promulgatio, ut subditi legem cognoscant; ergo attento jure naturae ea requiritur, & sufficit promulgatio, ut possit ad subditorum notitiam facile pervenire; unde attento jure naturae non requiritur, ut lex promulgetur hoc, vel illo modo, hac vel illa solemnitate, sed satis est, ut ita promulgetur, ut facile subditis innotescere possit.

Dixi attento jure naturae; nam attento jure positivo vel sermo est de legibus civilibus, vel de ecclesiasticis, si de civilibus, vel agitur de Imperialibus, vel de aliis legibus, unde.

3. Dico secundo, in iis regnis, in quibus jus Imperiale receptum est, leges vim obligandi non habent, nisi promulgentur in singulis provinciis; idque statuit Justinianus (1); & quamvis hic Imperator loquatur tantum de testamentis; attamen, quia rubrica, seu titulus Novellae est generalis, & aliunde juxta juris peritos rubrica habeat vim legis, si non sit textui legis contraria, consequitur Novellam esse extendendam ad omnes alias leges.

(1) *Novella 66.*

4. In iis vero regnis, in quibus jus Imperiale receptum non est, vel si receptum, aliter tamen cautum est, standum erit legi, vel consuetudini receptae. Penes nos leges non solum promulgantur in singulis regni provinciis, verum etiam in singulis civitatibus, & pagis (1); & id fere ubique lege cautum est, vel consuetudine receptum.

(1) *Lib.* 2. *tit.* 17. §. 3. & 4. *R. Const.*

5. Dico tertio, necesse non est, ut leges materiam fidei, vel morum respicientes in singulis provinciis promulgentur, sed satis erit, ut Romae earum fiat publicatio, ut obligent omnes, quibus constiterit eas esse promulgatas. Enimvero hujusmodi

Digitized by Google

leges proprie leges non sunt, sed tantum declarationes legum, quae jam fuere promulgatae ab Apostolis, si sermo habeatur de rebus fidei, vel in cordibus nostris, si sermo sit de lege naturali; ergo nulla indigent ulteriori declaratione, sed satis est, ut quisque quovis modo earum habeat notitiam, ut inde obligetur. Unde decreta, seu definitiones fidei, factae in concilio Tridentino statim ubique receptae sunt nullo catholicorum Principum refragante; sic pariter decreta summorum Pontificum Alexandri VII., VIII., Innoc.XI., Bened. XIV., quibus damnatae sunt propositiones laxae quorumdam Theologorum, ubique pariter suscepta, quin tamen ullus fuerit, qui eorumdem in singulis provinciis publicationem postulaverit.

6. Ex his consequitur male sibi consuli eos Theologos, qui libros a sancta Sede prohibitos, & adversos fidei, vel bonis moribus (de aliis hic non loquimur), ne dum ipsi sine scrupulo legunt, sed & alios docent libere legi posse; ajentes leges Pontificias tales libros prohibentes, vel non subiisse Senatus visionem, ideoque non habere *Regium--exequatur*, vel non fuisse ante Instructionem Bened. XIV. dependenter a concordato Benedicti XIII. in singulis provinciis promulgatas.

7. Verum haec duplex evasio inanis omnino est. Etenim, quod ad primam attinet, certum est leges Pontificias materiam fidei, vel morum concernentes, non indigere Senatus visione, ut obligent. Id expresse cautum est in concordato, seu in dicta Instructione Benedicti XIV., ubi sic statuitur (1): *Dalla semplice visura poi resteranno eccettuate le Bolle dogmatiche in materia di fede, le Bolle, e Brevi del ben vivere, e de' santi costumi.*

(1) §. 3.

8. Sed neque secundum evasionis genus ipsis suffragatur; dum enim Summus Pontifex aliquem librum, utpote continentem aliquid vel fidei, vel bonis moribus adversum prohibet, novam non condit legem, sed solum legem declarat in jure naturae contentam, qua quisque temperare debet a praedictorum librorum lectione ob periculum perversionis. Quod si quis firmus in fide tale periculum non experiatur, quia aliqua justa causa ducitur ad eos legendos, non poterit tamen praedictos libros legere absque licentia, quia Pontifex in ordine ad hunc, declarat legem positivam fundatam in regulis indicis jussu Sacrosanctae Tridentinae Synodi editis, quaeque inveniuntur ad calcem ejusdem synodi, & fuere probatae a Pio IV. (1), & promulgatae, praesertim in nostris regionibus, quibus prohibetur lectio librorum, qui fidei, vel bonis moribus adversantur. Hinc decreta, quibus tum a Benedicto XIV., tum a Clemente XIII. fuere damnata opera P. Isaaci Beruyerii, eo quod continerent plura fidei adversa, etiamsi

Digitized by Google

non fuerint in singulis provinciis, sed tantum Romae promulgata, fuere ubique suscepta, nullo Principe refragante (1).

(1) *In Bulla* Dominici *an.* 1654.

9. Ex his consequens est dolendum esse, quod pluribus in regionibus inter alios libros fidei, vel moribus adversos vendatur etiam liber, cui titulus Encyclopedia, ubi plures referuntur errores contra fidem, & mores, nec ulla inveniatur confutatio, imo quandoque approbatio, &, quod mirandum est, ferme ubique sine scrupulo legatur, & tyronibus proponatur. Sed dolendum magis sparsos in vulgus inveniri libros docentes liberum nasci *hominem, nec cujusquam obnoxium imperio*; *societatem propterea multitudinem esse hominum ineptorum, quorum se prosternat stupiditas coram Sacerdotibus, a quibus decipiantur, coram Regibus, a quibus opprimantur, adeout concordia inter Sacerdotium, & imperium nihil sit aliud, quam immanis conspiratio contra insitam homini libertatem*; *unde quidquid sanctum, & divinum est, blaterant esse inventum atque excogitatum ab imperitorum hominum mentibus inani futurorum metu perculsis, & vana immortalitatis spe illectis .... ut infirmiores, qui plurimi sunt, quasi quadam esca capti, miserandum in modum irretiti, aut fidem prorsus abjiciant, aut certe labefactari magnopere sinant* (1). Videant hi, qui dicunt legi nunc posse quoscumque libros, quantum haec doctrina infesta sit non solum religioni, sed & principatibus.

(1) *Pius VI. in Encyclica ad omnes Episcop. die* 25. *dec.* 1775.

Si autem sermo sit de legibus Pontificiis ad disciplinam, non vero ad fidem, & mores pertinentibus, tunc duplex est Theologorum, & Canonistarum sententia. Multi contendunt hasce leges non obligare, nisi in singulis provinciis promulgentur; atque hisce argumentis probant.

10. Primo, quia ideo legis promulgatio requiritur, ut possit innotescere subditis. Atqui difficile admodum est, ut legis notitia habeatur in toto terrarum orbe Christiano, & ferme impossibile, ut ad subditorum certam notitiam perveniat, si lex tantum Romae promulgetur; ergo non habetur ea promulgatio, quae attento jure naturae requiritur ad legis obligationem; ideoque ea non obligat.

Secundo, Christus, & Apostoli suo exemplo nos docuerunt legem esse ubique promulgandam; etenim Christus (1) Evangelium suum non solum Hierosolymis, sed in universo mundo praedicari jussit, & Apostoli ea quae in concilio Hierosolymitano statuta sunt per Paulum, Barnabam, Judam, & Silam in singulas civitates promulgari voluerunt (2).

(1) *Marci* 16. *v.* 15.

(2) *Act.* 15. *v.* 25. *& seq.*

Tertio, Regimen Summi Pontificis debet esse suavius, & benignius regimine civili; atqui Principes ferme

omnes curant suas leges publicari in singulis provinciis, ergo & Pontifices idipsum praestare debent.

11. Alii vero, & quidem communius negant necessariam esse promulgationem in singulis provinciis, ut leges Pontificiae ubique obligent, & probant primo ex praxi, & consuetudine Curiae Romanae, in qua omnes lites,& caussae definiuntur juxta leges Pontificias ibi tantum promulgatas. Sic, inquiunt, regulae Cancellariae suam vim habent; licet extra Romam non fuerint promulgatae.

Secundo, ex Innocentio III., qui sic rescripsit (1): „ Nec sit necessa„ rium, cum constitutio solemniter „ editur, aut publice promulgatur, „ ipsius notitiam singulorum auribus „ per speciale mandatum, aut litte„ ras inculcare, sed id solum suffi„ cit, ut ad ejus observantiam te„ neatur, qui novit eam solemniter „ editam, aut publice promulgatam.

(1) *Cap. 1. de postul. Prael.*

Tertio, quia mos inolevit Constitutiones Pontificias Romae tantum evulgandi hac adjecta clausula:„Omnes „ scilicet ubique fideles sola publi„ catione Romana ad Pontificias exe„ quendas Constitutiones perinde ob„ stringit, ac si personaliter singu„ lis significatae fuissent. " Credibile autem non est hanc clausulam summos Pontifices apponi velle in suis constitutionibus, si ex natura rei in singulis provinciis earum promulgatio requireretur, quum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

4. Quarto, sententiae suae favere ajunt Concilium Mexicanum anno 1585. celebratum expresse dicens publicationem in Metropoli satis esse ad inducendam obligationem per singulas Provincias, en ejus verba: „ Ne autem aliqua persona sive se„ cularis, sive ecclesiastica ab ho„ rum decretorum observatione per „ ignorantiam se valeat excusare, „ sub praetextu, quod huic promul„ gationi non interfuerit, haec sy„ nodus decernit sufficientem esse so„ lemnem eorum promulgationem in „ hac Dioecesi faciam,ut omnes iisdem „ subjaceant, ac in eis contentas „ poenas incurrant. Monet etiam ad „ uberiorem cautelam Episcopos, ut „ eadem in suis Dioecesibus, si opus „ fuerit, Vicario vero, seu Praesi„ denti, sede Episcopali vacante, „ praecipit, ut infra duos menses a „ die habitae notitiae computandos „ in Ecclesia cathedrali decreta prae„ dicta respective publicari faciant.

Addunt, quod Roma sit patria communis omnium Christianorum, quum plurimi ibi degant cujusque Nationis; ideoque promulgationem ibidem factam, censeri factam omnibus fidelibus; quum hi alios quodammodo repraesentent, atque hanc promulgationem habendam tamquam factam in coetu generali omnium Christianorum totius orbis.

12. Haec sunt utriusque partis momenta; ista tamen quaestio pro no-

Digitized by Google

stris regionibus nullius momenti est; quum enim Constitutiones summorum Pontificum disciplinam respicientes ex Instruct. Benedicti XIV. (1) debeant Senatus visionem subire, ut inde obligent, si subeant, ubique promulgantur, prout vidimus in constit. Clem. XIV. abolitionem Jesuitarum continente, quae singulis eorumdem Patrum collegiis facta est; si non subeant, nullius penes nos sunt roboris, & efficaciae.

(1) §. 3.

Indigent ne omnes omnino Constitutiones, Brevia &c. summorum Pontificum *Regio-exequatur*, ut penes nos vim habeant.

13. ℟. Indigere (exceptis tamen primo, Constitutionibus, & Brevibus, quae fidei, vel morum regulas continent, vel indulgentias concedunt, vel jubilaea indicunt. Secundo Brevibus sacrae Poenitentiariae. Tertio litteris sacrar. Congregationum, quae ad Ordinarios, vel ad alias personas dirigantur, ut notitia ecclesiasticorum negotiorum habeatur (1)). Indigent etiam ob eamdem, qua constitutiones summorum Pontificum, rationem *Regio-exequatur* non solum omnia decreta, sententiae, & concessiones Episcoporum alienigenorum, qui jurisdictionem suam explicant in quibusdam nostris Provinciis; verum etiam ea omnia, quae ab exteris Generalibus, vel Provincialibus eduntur disciplinam Regularem nostris in regionibus concernentia; neque ii Generales, & Provinciales, sicuti & exteri Visitatores, poterunt ullam exercere jurisdictionem, ni eorum litterae *Regium-exequatur* habuerint.

(1) §. 3. *Instruct. Bened. XIV.*

Quodnam tempus effluere debeat a promulgatione, ut lex vim obligandi habeat.

14. ℟. In iis locis, in quibus receptae sunt leges Imperiales, effluere debet bimestre; ita statuitur in citata Novella (1); in aliis vero locis videndum erit, an legislator tempus determinaverit ante quod nolit suam legem obligare, an non; si primum, leges non obligabunt ante illud tempus, & sic identidem factum esse constat (2); quia sicut legislatoris est legem ferre, ita & tempus obligationis determinare. Si vero secundum, standum erit consuetudini; quod si nulla sit consuetudo, lex obligabit statim post sufficienrem promulgationem; eo enim ipso, quod legislator nullum determinet tempus, ante quod nolit suam legem obligare, censetur velle obligare statim post sufficientem promulgationem. Penes nos leges non obligant, nisi sex a promulgatione effluxerint menses (3).

(1) *Novella 66.*

(2) *Cap. 32. de praeb. in 6. Novel. 58. & 116.*

(3) *In proem. constit.* §. 5.

An lex sufficienter promulgata obliget etiam invincibiliter ignorantes.

15. ℟. Obligare, nam si quis alterum moneat legem esse sufficienter promulgatam, iste tenebitur illam observare; at obligatio servandi le-

Digitized by Google

ges non oritur ex monitione alterius; ergo ex lege promulgata, ergo ante monitionem vim obligandi habebat.

Caeterum omnes concedunt ignorantes legem invincibiliter excusari tum a culpa, tum a poena proprie dicta; praeter tamen imputabilitatem ad culpam, & poenam omnem effectum suum lex consequitur, quia isti effectus culpam non supponunt, & finis illius legis exigit, ut statim vim suam habeat. Exemplum habemus in legibus statuentibus impedimenta matrimonii, inhabilitates &c., quae comprehendunt etiam invincibiliter ignorantes.

ARTICULUS II.

De legum acceptatione.

SUMMARIA

1. *Lex non pendet a populi acceptatione, idque probatur primo ex scriptura.*
2. *Secundo, ex ratione.*
3. *Penes nos requiritur interinatio.*
4. *Solvitur prima objectio.*
5. *Solvitur secunda objectio.*
6. *Solvitur tertia objectio.*
7. *Solvitur quarta objectio.*
8. *Solvitur quinta objectio.*
9. *Ecclesiae leges a populi quoque acceptatione non pendent.*
10. *Lex quamvis ardua servanda tamen est.*

Quamvis plures olim fuerint Theologorum, & Juristarum sententiae circa legum humanarum acceptationem, post damnationem tamen hujus propositionis: *Populus non peccat, etiamsi absque justa caussa non recipiat legem a Principe promulgatam* ab Alexandro VII., omnes conveniunt, nullam legem sive civilem, sive ecclesiasticam pendere a populi acceptatione quae propositio ostenditur tum ex scriptura, tum ex ratione.

1. Ex scriptura Paulus (1) inquit: *Obedite Praepositis vestris, & subjacete eis*, & alio loco (2): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ... qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Sed populus, qui non acceptat legem a legitimis Superioribus latam, ipsis non obedit, non subditur, sed eorum potestati resistit; ergo peccat non acceptando, ideoque lex ab ejus acceptatione non pendet.

(1) *Ad Heb.* 13.

(2) *Ad Rom.* 13.

2. Ex ratione; nam, ut, primo ratiocinatur Billuart: „potestas legislativa dependens a consensu populi „foret imbellis, & insufficiens ad „regendum populum, & ad malos „coërcendos; imo foret plane inutilis, & nullae prorsus leges his „corruptis temporibus acceptarentur, „quum homines pro majore parte „suis cupiditatibus servientes, sint „omnis ordinis, & subjectionis impatientes. Secundo si potestas legislativa a consensu populi penderet, major foret auctoritas populi, „quam Principis; est enim major

„ auctoritas legem confirmantis, aut „ abrogantis ad suum nutum, quam „ instituentis. Tertio item posset esse „ bellum ex utraque parte justum; „ nam Superior juste exigeret obedientiam, & subditi juste resisterent, cum acceptatio legis penderet ab eorum arbitrio.

Penes nos, quamvis leges non pendeant a populi acceptatione, requiritur tamen interinatio (1), quae juxta Solam est cognitio justitiae ipsius legis, & approbatio ejus, quod Princeps in vim legis, aut gratiae disposuit (2); haec tamen interinatio non est de essentia legis, quum Princeps noster suprema gaudeat potestate, quae nullatenus est alligata Senatui, qui jus, quod habet suspendendi interinationem, si lex in damnum publicum, aut privatorum vergat, est ex ipsomet Principe (3).

(1) „ Gli Editti, Patenti, e Rescritti „ nostri sì di grazia, che di giustizia per le materie dipendenti dalla „ giurisdizione del Senato dovranno „ essere interinati, o registrati da „ esso, secondo che gli verrà prescritto, e quando riconoscerà, che „ sieno sospetti di orrezione, o surrezione, o contengano cosa contraria al nostro servizio, o al „ pubblico bene, o pregiudiziale al „ terzo, ne sospenderà l'interinazione, e ce ne farà le opportune „ rappresentazioni. " *Ita R. const. lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 15.

(2) *De interinat. Glossa* 1. *n.*3.

(3) *R. Const. cit. loc.*

Si tamen ageretur de donationibus, & concessionibus rerum pertinentium ad Regium patrimonium, non ex natura rei, sed ex iisdem constitutionibus omnino necessaria est interinatio, ita ut ejus defectu nullae sint (1).

(1) „ Tutte le alienazioni, infeudazioni, e concessioni dovranno „ essere presentate alla Camera nostra de' Conti nel termine di mesi „ tre dalla data delle patenti per „ essere interinate, sentito il Procuratore nostro Generale, altrimenti saranno nulle " *ita R. const. lib.* 6. *tit.* 2. §. 11.

Obj. Gratianus (1), inquit: *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Et jurisconsultus (2): *Ipsae leges nulla alia de caussa nos tenent, quam quod judicio populi receptae sunt.* Leges ergo a Populi acceptatione vim habent.

(1) *Dist.* 4. can. 3.

(2) *L.* De quibus nondum *ff. de leg.*

4. ℟. Ad primum, Gratianum non dixisse leges acceptatione, sed *moribus utentium* firmari, ut scilicet intelligamus leges moribus utentium firmari, quatenus per usum roborentur, & removeantur pericula, & obstacula, ne in dessuetudinem abeant. Sane si ex Gratiano leges instituuntur cum promulgantur, ergo ante acceptationem sunt verae leges, vimque proinde obligandi habent.

5. ℟. Ad secundum, in citata lege sermonem haberi de legibus latis eo tempore, quo expulsis Regibus tota

potestas erat penes populum; unde nil mirum, si eae leges non tenerent, nisi judicio populi receptae essent.

Objicitur tertio: Principes nostri (1) aperte professi sunt se nolle legem promulgari, quae non esset a Senatu probata, in hoc secuti Imperatores Theodosium, & Valentinianum, qui id ipsum sibi proposuerunt (2).

(1) *Lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 15. *R. const.*

(2) *L.* 8. *cod. de leg.*

6. ℞. Prudentem esse hanc Principum agendi rationem, ne forte lex edatur in damnum publicum, vel alicujus privati vergens, non tamen necessariam, quia ex superius demonstratis tota vis legum a Principum pendet potestate; unde inconsulto Senatu Princeps poterit, si velit, statuere quidquid conferre judicaverit ad populorum tranquillitatem.

Obj. quarto: Consuetudo legem abrogat; atqui non acceptatio aequivalet consuetudini, quum nihil aliud sit consuetudo, quae legem abrogat, quam legis quaedam non acceptatio. Ergo &c.

7. ℞. Non quamcumque consuetudinem, sed solum consuetudinem legitime praescriptam legem abrogare; non est autem consuetudo legitime praescripta, nisi accedat legislatoris consensus saltem tacitus in legis abrogationem, ut inferius ostendetur. Abrogatio ergo legis a Principis voluntate erit; non vero a populi non acceptatione.

Instabis: lex a populo non acceptata desinit esse utilis, imo noxia evadit: ideoque non est amplius lex, quae debet esse ordinata ad bonum commune; ergo abrogatio legis non erit a voluntate Principis, sed a populi non acceptatione.

8. ℞. Legem non acceptatam noxiam evadere non ratione sui, sed ex subditorum pervicacia; quare poterit transgressores poenis punire legislator ratione utilitatis, quae inde est obventura, repressa subditorum contumacia. Ut tamen prudenter se gerat in hisce circumstantiis legislator, conferre debebit utilitatem, quae inde obventura speratur cum damno, quod timetur, & si praevideat damnum esse leve in comparatione utilitatis proventurae, poterit rebelles ad obediendum compellere; caeterum si legislator vitandi tumultus, & rebellionis causa legem revocat, tunc ex ejus voluntate, non vero a populi non acceptatione lex vim suam amittit.

9. Mitto hoc loco solutionem argumentorum tum Rousseau in lib. 2. *du contract social*, tum auctoris *du systhéme de la nature*, leges civiles suam a populi consensu vim habere contendentium. Haec enim adeo levia sunt, ut quilibet vix mediocriter in Philosophia versatus, ea nullo negotio diluere possit. Nec probo sententiam quorumdam, qui Majestatem dividentes in personalem, & realem, primam Regis, secundam populi propriam esse arbitrantur; jam enim admissa hac

Digitized by Google

distinctione turbis, ac dissentionibus in Republica ampla aperiretur via. Refellendi potius veniunt haeretici, qui non quidem leges civiles, sed ecclesiasticas a populi consensu, & Magistratuum acceptatione pendere volunt. Enimvero, ut superius demonstravimus (pag. 117. num. 3.) Ecclesiae potestas in suo ordine absoluta est, & independens, sicut est secularis potestas: *Illa autem, quae sursum est, Jerusalem, libera est, quae est mater nostra* (1); Ergo Ecclesiae leges, non secus ac leges civiles a populi consensu, & Magistratuum acceptatione non pendent. Hinc Apostolus absque populi, & Magistratuum consensu leges praescribebat pro matrimoniis fideles inter & infideles ineundis (2), pro electione Ministrorum (3), pro modo presbyteros accusandi (4), pro precibus in conventibus fundendis (5), atque fidelibus praecipiebat *custodire praecepta Apostolorum, & Seniorum* sine praedicto consensu emanata (6). Si haec Apostolus absque populi, & Magistratus infidelis consensu praestabat, numquid hac potestate Ecclesia privata est, quia populus, Magistratusque Christianus factus est?

(1) *Ad Galat.* 4. v. 26.
(2) 1. *Corinth.* 7.
(3) 1. *Tim.* 3.
(4) *Ibidem* 5.
(5) 1. *Corinth.* 11.
(6) *Act.* 15. v. 41.

At, inquiunt, Ecclesiae leges, quum relationem habeant ad bonum publicum, si non accedat populi, & Magistratuum consensus, totum quandoque turbare possunt Regnum. Verum, regero ego, leges civiles eumdem quandoque parere queunt effectum; ergo ne populi, & Magistratuum consensum exigunt? Similiter leges civiles relationem interdum quamdam dicunt ad publicum Religionis bonum; ergone Ecclesiae consensum, & acceptationem requirunt? Deinde si leges essent amandandae, eo quod possint aliquam in populis perturbationem producere, amandandi erant plures Canones Conciliorum, Nicaeni praesertim, & Tridentini, ex quorum primis Ariani, ex secundis Lutherani, & Calviniani ansam arripuere ad tot in populis turbas excitandas; amandanda & ipsa scriptura, quae ubique Evangelium praedicandum docet non obstante populorum dissensu, & offensione. Consule tamen numerum antecedentem, & subsequentem. Nec addant Ecclesiam esse in statu, non vero statum in Ecclesia; nam si status, populus scilicet Christianus non est in Ecclesia; ergo extra Ecclesiam est; ergo Christianus non est, sed vide dicta pag. 125. & 128. n. 3.

An quando lex est nimis ardua, & difficilis, debeat a subditis acceptari, & observari.

10. ℟. Si lex subditis nimis gravis sit, & difficilis possunt subditi ab inferiore ad superiorem potestatem appellare (1), puta ab Episcopo ad Pontificem, a Praefecto civitatis ad

Digitized by Google

Principem; at si lex haec a Supremo Principe sive in ordine spirituali, sive temporali lata sit, nulla alia superest subditis via, quam supplicationis, exponendo interea gravamina, quae inde consequuntur; & hisce precibus aurem praebebunt tum Romani Pontifices, ut docet Bened. XIV. (2), tum Principes nostri (3). Interea vero durante tali supplicatione, vel appellatione fas non erit suspendere obligationem legis; lex enim quamvis dura, & aspera est tamen servanda, quia *ita scripta est* (4), nec aequitatis specie corrigenda; quamdiu enim lex non est revocata, tamdiu vim obligandi habet.

(1) *Argum. cap. 5. de Rescrip.*

(2) *De Syn. dioec. lib. 9. cap. 8.*

(3) *Argum. lib. 2. tit. 3. cap. 1. §. 15. R. Const.*

(4) Quod quidem per quam durum est, sed ita lex scripta est: *L. 12. §. 1. ff. Qui, & a quibus man.*

CAPUT VI.

De vi, & efficacia legis humanae.

Hujus capitis varii erunt articuli. Primus indicabit, an leges obligent in conscientia. Secundus inquiret in legem fundatam in praesumptione. Tertius explanabit quantitatem obligationis ortam ex lege. Quartus expendet, an, & qui contemptus in legem culpam mortalem inducat.

ARTICULUS I.

An leges humanae obligent in conscientia.

SUMMARIA

1. *Leges humanae obligant etiam in foro interiori.*
2. *Probatur id primo de legibus Ecclesiasticis.*
3. *Secundo de legibus civilibus.*
4. *Quare supersedendum ab objectionum solutione.*
5. *Indicatur, quotuplici ex capite leges esse possint injustae.*
6. *Assignatur discrimen, quod intercedit inter leges injustas ex primo capite, & injustas ex aliis capitibus.*
7. *Nulla movenda seditio adversus legislatorem leges injustas ferentem.*

1. Quamvis omnes fateantur leges humanas justas obligare in foro exteriori, & judiciali, itaut poenis mulctari possint ii, qui eas non servant; quum aliter incolume non possit consistere imperium; non defuere tamen haeretici Lutherani, & Calvinistae secuti in hoc Valdenses Wiclephistas damnatos in concilio Constantiensi (1) affirmantes leges tum civiles, tum Ecclesiasticas non obligare in foro interno, adeoque conscientiam non obstringere; quamvis autem facile colligi possit ex dictis de potestate, qua gaudent, ferendi leges Superiores tum ecclesiastici, tum seculares, leges humanas vim habere conscien-

tiam obligandi, juverit tamen paucis id demonstrare.

(1) *Sess. 6. can.* 15.

2. Et primo de legibus ecclesiasticis res non solum certa est, sed etiam de fide definita in Concilio Constantiensi loco citato, & in Tridentino his verbis (1): *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, anathema sit*; atque hoc evidens est in S. litteris: *qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*, inquit Christus (2); at Christum audire tenemur non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiae; ergo & Superiores Ecclesiasticos per leges praecipientes; *non enim*, inquit Paulus (3), *auditores legis justi sunt, sed factores legis justificabuntur*.

(1) *Sess.* 7. *can.* 8.

(2) *Lucae* 10. *v.* 16.

(3) *Ad Rom. cap.* 2. *v.* 13.

3. De legibus civilibus res quoque evidens est. Paulus (1) loquens de Principibus Ethnicis ita scribit: *Qui resistit potestati Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt .... ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Quid clarius? Hinc Polycarpus ita allocutus est Herodem teste Eusebio (2): *Tibi quidem rationem reddere non me piget; praeceptum enim nobis est, ut Magistratibus, & potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus*, & Augustinus (3): *Quicumque legibus Imperatorum quae, pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium*.

(1) *Ad Rom.* 13.

(2) *Lib.* 4. *hist. cap.* 15.

(3) *Epist.* 50. *ad Bonifacium.*

4. Plures hic referuntur objectiones ab auctoribus nostris praesertim a Biluart (1), sed praecipuas jam solutas habes superius, ubi de potestate condendi leges, alias utpote solutu faciles omittimus.

(1) *Dissert.* 4. *art.* 3. *de legibus.*

5. Leges ergo humanae justae obligant non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiae; at nullam obligandi vim habent leges injustae. Porro leges esse possunt injustae quatuor modis. Primo ex parte materiae, quatenus praecipitur id, quod per se malum est, tales erant leges Tyrannorum, quae compellebant ad idololatriam. Secundo ex parte finis, sicut *cum aliquis praesidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam*. Tertio ex parte auctoris, *sicut cum aliquis legem fert ultra commissam sibi potestatem*. Quarto ex parte formae, *cum inaequaliter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et hujusmodi magis sunt violentiae, quam leges*; ut ex S. Thoma (1).

(1) 1. 2. *q.* 96. *art.* 4.

6. Illud autem est discrimen inter leges injustas ex parte materiae, &

Alasia G g

inter leges injustas ex aliis capitibus; quod primis quis non solum non tenetur, sed neque potest obedire; quia (1) *obedire oportet Deo magis, quam hominibus*, aliis vero potest quidem obedire, sed non tenetur *nisi forte propter vitandum scandalum, vel turbationem propter quod etiam homo juri suo debet cedere secundum Illud* Matth 5.: *Qui angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium* (2).

(1) *Act.* 4.

(2) *S. Thomas loco cit. numero antecedenti*.

7. Quamvis autem subditus non teneatur obedientiam praestare legibus injustis, patienter tamen sustinenda est persecutio, nec ulla movenda rebellio adversus iniquum legislatorem: „ In hoc enim vitae genus, *inquit* „ *Petrus* (1), vocati estis, ut patia„ mini, quia Christus passus est pro „ nobis vobis relinquens exemplum, „ ut sequamini vestigia ejus, qui pec„ catum non fecit, nec inventus est „ dolus in ore ejus, qui cum ma„ lediceretur, non maledicebat, cum „ pateretur, non comminabatur: tra„ debat autem judicanti se injuste, „ *& Paulus* persecutionem, *ait*, pa„ timur, & sustinemus, blasphema„ mur, & obsecramus.

(1) 1. *Cap.* 2. *v.* 21.

Idem docet S. Thomas (1): “ Pa„ tienter nempe esse a subditis susti„ nendum Tyrannum, & subditis do„ lendum de peccatis, propter quae „ permittitur Tyrannus illos vexare. „ Tollenda est igitur culpa, ut cesset „ Tyrannorum plaga.

(1) *Opusculo* 20. *de Regimine Principum lib.* 1. *cap.* 6. *quod quidem opusculum esse genuinum foetum S. Thomae demonstrat pater De-Rubeis dissert.* 22. *de gestis, & scriptis, ac doctrina D. Thomae*.

ARTICULUS II.

An lex fundata in praesumtione obliget.

SUMMARIA

1. *Traditur definitio, & divisio praesumtionis*.
2. *Lex fundata in praesumptione periculi semper obligat*.
3. *Solvitur objectio*.
4. *Lex fundata in praesumptione facti nullam habet vim obligandi*.
5. *Exempla, quae a quibusdam afferuntur, non sunt ad rem*.

1. Praesumtio definiri potest judicium probabile, quo mens ex indiciis, seu circumstantiis judicat aliquid esse verum, vel aliquod factum intervenisse. Praesumtio dividitur in praesumtionem periculi & praesumtionem facti. Prior est illa, qua legislator ex communiter contingentibus prudenter judicat generatim adesse periculum mali v. g. doli, fraudis &c., unde factum non attendit, sed pro motivo habet periculum generale cujusdam mali. Haec praesumtio vere,

Digitized by Google

& proprie praesumptio non est, quum non innitatur judicio probabili, sed certo, quo mens sine ulla formidine judicat generatim periculum adesse. Sic quia in lectione librorum haereticorum generatim adest periculum perversionis, hinc Ecclesia ob illud periculum eorum lectionem vetat. Secunda est, qua legislator praesumit aliquod factum intervenisse, super quo disponit. Alias praesumptionis divisiones omittimus, quia non sunt hujus loci.

An lex fundata in praesumptione obliget.

2. ℟. Primo legem fundatam in praesumptione periculi semper obligare, etiamsi malum, quod timetur non intervenerit in particulari casu, nam ex dictis praesumptio periculi vere, & proprie praesumptio non est, quum lex innitatur judicio certo periculi, quod semper generatim adest, licet in particulari casu non sit; unde cum semper adsit tota ratio legis, lex obligare non desinet. Deinde bonum commune postulat, ut lex non cesset, etiamsi in particulari casu malum, quod timetur, non evenerit; alioquin fraus legi facile fiet; unusquisque enim diceret respectu sui malum non evenisse, & sic fere inutilis lex evaderet. Quare testamenta absque solemnitatibus condita, matrimonia absque praesentia Parochi, & testium celebrata nulla sunt, etiam in casu, in quo constaret nullas fuisse fraudes, quia lex (1) non illud spectare solet, quod perraro, sed quod frequenter, & ut plurimum, & facile evenit; facile autem, & ut plurimum contingit; ut in testamentis absque solemnitatibus conditis, & matrimoniis absque praesentia Parochi, & testium fraudes interveniant. Hinc cautum est, ut minoribus administratio rei suae non committatur, quamvis idonei sint ad negotia sua bene gerenda (2).

(1) *L.* 5. *ff. de Leg.*

(2) *L.* 1. §. *ult. ff. de Minoribus.*

Obj. Quamvis communiter contingeret, ut sponsi, qui post sponsalia ante Tridentinum copulam habebant, eam haberent affectu maritali; ideoque (1) sponsalia per hujusmodi copulam transire in matrimonium statueretur; tamen si constabat sponsos copulam non habuisse affectu maritali, non transibant sponsalia in matrimonium. Ergo &c.

(1) *Cap.* Veniens 15., *& cap.* Is, qui fidem 30. *de Sponsal.*

3. ℟. legem contentam in dictis capitulis fundatam non fuisse in praesumptione periculi, sed in praesumptione facti. Cum enim lex ecclesiastica non possit supplere consensum, qui jure naturae est necessarius in matrimonium; hinc Ecclesia ferre non poterat legem, qua statueret sponsalia per copulam quamcumque transire in matrimonium, sed solum per copulam habitam affectu maritali; proindeque si constasset copulam habitam non fuisse affectu maritali, matrimonium validum non erat.

Digitized by Google

4. ℟. Secundo legem latam ob solam praesumptionem facti non obligare, si factum veritati non nitatur, quia ex recepto axiomate praesumptio cedit veritati (1); enim vero lex tota innititur ipsi facto; ergo si factum non evenerit, lex corruat, necesse est; quum superior nonnisi dependenter a facto intendat obligare. Hinc si mulier coacta nupsit, & sesqui anno marito cohabitavit praesumit lex libere in matrimonium consensisse (2); si tamen vere in matrimonium non consensit, matrimonium est nullum (3). Similiter quamvis lex praesumat natum, & educatum inter Christianos baptizatum esse (4); si tamen constaret non esse baptizatum, erit baptizandus (5).

(1) *Can.* 4. *dist.* 8., *& arg. c.* Super hoc 5. *de renunciat.*, *l. ult. ff. quod metus caussa l.* Imperatores 29. *ff. de probationibus.*

(2) *Cap.* 21. *de sponsal.*

(3) *Cap.* 6. *de Condit. appos. Similia exempla inveniuntur in cap.* 15. *&* 30. *de sponsal. cap. un. in fine de despons. impub. l.* 22. *ff. de probat. toto tit. cod. de non numerat. pec.*

(4) *Cap. fin. de Presb. non bapt.*

(5) *Cap. un. de despons. impub. in* 6. *Similes praesumptiones invenies in l.* 9. 10. *cod. de servit.*, *l.* 8. *ff. de probat.*, *l.* 11. *ff. fin. regund. l.* 6. *ff. de his, qui sui. Cap.* 4. 6. *&* 10. *de despons. impub.*

5. Solent Theologi alia exempla in hanc rem afferre. Et primo de Judice Ecclesiastico, qui praecipiat interposita etiam excommunicatione mulieri, quae conscia est nullitatis sui matrimonii, ut reddat debitum ei, cui ipse praesumit esse valide conjunctam. Ista nec deberet, nec posset obtemperare judicis praecepto. Verum hoc exemplum non est ad rem, quia hic non agitur de praecepto, neque de sententia judicis, sed de lege. Aliud exemplum constituunt in Principe, qui lata lege imperet subditis, ne merces vendant finitimis populis, quos praesumit hostiliter egisse adversus se ipsum. Si hoc verum non sit, ajunt corruere eo ipso hanc legem. Idem sentiunt de Principe, qui vetet, ne certo e loco merces advehantur propter contagiosi morbi periculum; unde, inquiunt, legem non obligare, si nullus in eo loco serpat morbus contagiosus. Verum in hisce casibus crederem adhuc legem observandam esse, usque dum consuetudo, aut alia lex illam abrogaverit; ne alioquin, si via aperiretur privatis notitiis, quae ferme semper ex incertis rumoribus originem ducunt, vix aliqua lex in praesumtione facti fundata consisteret, unde maxima mala ex legum neglectu in republica evenirent; saepe enim finitimi populi animosiores fierent ad hostiliter agendum, & non raro morbus contagiosus ex alio loco in rempublicam inveheretur.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De natura obligationis orta ex lege humana

SUMMARIA

1. *Legislator in materia undequaque levi obligare non potest sub gravi.*
2. *Legislator in re gravi potest obligare tantum sub levi.*
3. *Solvitur prima objectio.*
4. *Solvitur secunda objectio.*
5. *Solvitur tertia objectio.*
6. *Solvitur quarta objectio.*
7. *Solvitur quinta objectio.*
8. *Assignatur, quando materia gravis sit reputanda.*
9. *Indicatur, quando materia censeatur graviter praecepta.*
10. *Leges humanae non obligant cum gravi damno.*
11. *Solvitur una objectio.*
12. *Excipitur, nisi lex humana conjungatur cum lege naturali, & indicatur quando id contingat.*
13. *Carthusiani tenentur comedere carnes, si nullos alios habeant cibos.*
14. *Nequeunt Carthusiani carnes comedere, si alii cibi suppetunt.*
15. *Solvitur una objectio.*

Dum inquiritur in naturam obligationis ortae ex lege humana, solet primo quaeri, an legislator in re levi possit obligare sub gravi.

1. Huic quaestioni respondemus non posse, si materia omnibus inspectis levis sit. Nam legislatoris potestas non est indefinita, sed limitata; sicut enim non potest praecipere quae mala sunt; ita non potest praecipere rem undequaque levem sub gravi. Deinde lex, ut sit vera, debet in bonum commune tendere, porro lex praecipiens in materia omnibus inspectis levi sub gravi non tenderet in bonum commune, & convenientem gubernationem, sed potius in animarum perniciem. Praeterea tantum possunt praecipere superiores quantum postulat bonum commune, sive spirituale, sive temporale; at bonum commune sive temporale, sive spirituale non exigit, ut res undequaque levis praecipiatur sub gravi; alioquin non esset undequaque levis, Ergo &c.

Dixi, si materia omnibus inspectis levis sit; nam si materia, etiamsi ex objecto levis, gravis tamen evadit in ordine ad circumstantias, praesertim in ordine ad finem a superiore intentum, tunc poterit legislator sub gravi praecipere. Nam ideo legislator potest materiam gravem praecipere sub gravi; quia valde conducit ad bonum commune; atqui materia ex objecto levis attentis tamen circumstantiis, potest quamplurimum conducere ad bonum commune; ergo haec materia praecipi poterit sub gravi. Sic esus pomi, licet in se res levis, attento tamen fine ipsius Dei, fuit res gravis, abstinentiam enim ab illo esu requirebat Deus ab Adamo, ut ipse tot donis instructus per illam abstinentiam suam ad Deum subjectionem recognosceret, ipsique

homagium supremi dominii in omnia creata exhiberet; sic quandoque duces belli furta levia, Episcopi ingressum in popinas sub gravi poena prohibent, quia, quamvis haec levia sint, attenta tamen disciplina militari, quae inde pessumdaretur, vel gravi scandalo, quod inde oriretur esse possunt quid grave. Plurima hujus rei exempla videre poteris penes Benedictum XIV. (1).

(1) *Lib.* 10. *cap.* 3. *de Synodo Dioeces.*

An legislator in re gravi possit obligare tantum sub levi.

2. ℟. Probabilius posse: nam tota vis obligationis pendet a voluntate legislatoris, qui potest legis materiam praecipere, vel non praecipere, vel proponere tantum sub consilio; ergo poterit quoque eam praecipere sub veniali tantum. Praeclare S. Thomas (1): „ Voluntas hominis non semper fertur in melius; „ & ideo, ubi obligamur ex solo „ hominis praecepto, non est gravius peccatum, ex eo quod majus bonum praeteritur, sed ex eo „ quod praeteritur illud, quod est „ magis de intentione praecipientis. Quantitas ergo obligationis ex S. Thoma non est repetenda ex gravitate materiae, sed ex intentione legislatoris. Hinc plures religionum constitutiones a summis Pontificibus approbatae in re gravi, puta in jejunio, vel auditione missae obligant solummodo sub levi; durum autem est dicere religiones plures in hac re errare.

(1) 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 2.

Obj. primo. Non minus simplex legis obligatio oritur a natura ipsius legis independenter a legislatoris voluntate, quam quantitas obligationis ex natura rei, & conditione materiae; si ergo legislator, posito quod legem ferat, non potest non simpliciter obligare, non poterit quoque non obligare sub gravi in materia gravi.

3. ℟. Quamvis simplex legis obligatio sit de natura legis, eique prorsus essentialis, quantitas tamen obligationis non est ipsi essentialis; nihil enim assignari potest, quod legislatorem cogat, ut totam materiae capacitatem impleat, unde poterit in materia gravi leviter solum obligare.

Obj. secundo. Quaelibet lex humana legi aeternae, & naturali, a qua dimanat, congruere debet; atqui lex aeterna, & naturalis obligat graviter in materia gravi, leviter in materia levi. Ergo &c.

4. ℟. Legem humanam legi aeternae, & naturali congruere debere in hoc scilicet, ut nihil praecipere debeat, nisi quod consonum, nihil prohibere, nisi quod difforme sit ipsis legibus; vel saltem bono publico expediat, ut id prohibeatur; quo in casu id erit dictis legibus consonum, non vero in hoc, ut in materia gravi graviter quoque obligare debeat. Ideo enim lex aeterna, & naturalis

in materia gràvi semper graviter obligant; quia independenter etiam a voluntate Dei versantur circa ea, quae sunt necessaria; at lex humana versatur circa res liberas, quae ideo malae sunt, quia prohibitae; unde nil mirum, si praedictae leges in materia gravi semper graviter obligant; lex autem humana in materia gravi possit leviter tantum obligare.

Obj. tertio. Non est in potestate emittentis votum simplex, vel solemne, vel jurantis, vel contrahentis matrimonium obligare se tantum sub levi in materia gravi; ergo non erit in potestate legislatoris obligare subditos sub levi in materia gravi.

5. ℟. Falsum est non esse in potestate emittentis votum simplex in materia gravi se obligare tantum sub levi, ut ostenditur in tractatu de religione. At quod pertinet ad emittentem votum solemne, vel matrimonium contrahentem, nil mirum, si isti non possint in materia gravi se obligare tantum sub levi; quia Ecclesia vult, ut ii, qui votum solemne edunt, vel matrimonium contrahunt, graviter se obligent propter gravia inconvenientia, quae inde orirentur; quum enim plures sint, qui parum curant abstinentiam a venialibus, hinc facile fieret, ut plures desererent religionem, vel discederent a comparte, quod cederet in grave damnum tum temporale, tum spirituale reipublicae Christianae. Quod demum pertinet ad eos, qui jurant, quum juramentum ex parte sui ipsius non recipiat materiae parvitatem, qui enim pejerat in materia levi semper graviter peccat, quia facit Deum testem falsitatis; hinc nil quoque mirum, si in materia gravi jurans sub levi non possit se obligare; quum ne in materia quidem levi quantum est ex vi ipsius juramenti sub veniali tantum possit se obligare.

Obj. Legislator non potest in materia levi obligare sub gravi; ergo nec in materia gravi obligare sub levi.

6. ℟. legislatores posse tantum praecipere ea, quae conducunt ad bonum commune, non vero res indifferentes, ut superius dictum est, ergo quae multum conferunt ad bonum commune, ut materia gravis, graviter, quae parum conferunt, ut materia undequaque levis, leviter tantum praecipere possunt. At quum sit in potestate legislatoris materiam gravem praecipere, vel non praecipere, poterit sub quacumque voluerit obligatione praecipere.

Obj. ultimo. Non potest assignari, ex quo capite peccatum esse possit veniale, quando materia est gravis, non ex indeliberatione actus, ut supponitur, non ex materiae parvitate, quia ex hypothesi materia gravis est.

7. ℟. peccatum hoc esse veniale ex materiae parvitate; nam quamvis materia ex se valde possit conferre ad bonum commune, & hoc sensu sit gravis; quia tamen non habet necessariam connexionem cum bono communi, hinc à se non po-

test recipere materiae gravitatem, sed solum a voluntate legislatoris; unde, si legislator eam leviter solum praecipiat, materia levis erit.

8. Ex his facile quisque intelligere potest legem tunc obligare sub gravi, quando materia gravis est, & est graviter praecepta. Porro materia gravis est, quando multum confert ad bonum commune; in casibus autem particularibus admodum difficile est id determinare; unde standum erit consuetudini, quae est (1) optima legum interpres, vel communi prudentum judicio; hinc jejunium, & missae auditio, quia ex prudentum judicio multum conferre censentur ad bonum spirituale, propterea qui violat legem jejunii, vel missae audiendae gravis peccati reus est.

(1) *Cap. ult. de consuet.*

9. Materia autem censetur graviter praecepta, primo quando legislatores graves poenas infligunt, vel comminantur; puta si ecclesiasticus praecipiat sub poena gravis censurae, vel irregularitatis &c., aut legislator civilis sub poena carceris, exilii, confiscationis bonorum &c.; quum enim poena debeat esse proportionata culpae, non adhiberet legislator tam graves poenas, nisi intenderet graviter obligare. Secundo quando utitur verbis graviter comminatoriis: v. g. *sub interminatione divini judicii*, *sub indignatione Dei*, *vel sanctorum*, *in virtute sanctae obedientiae &c.* Tertio etiam quando utitur verbis communibus *mandamus*, *prohibemus &c.*. Haec enim, & similia verba adhibere non solent legislatores, nisi ad significandam gravem obligationem.

An leges humanae obligent cum gravi damno.

10. ℟. Leges mere humanas per se non obligare cum gravi damno. Nam lex divina non obligat cum gravi damno; ergo nec humana. Antecedens ex S. litteris ostenditur. Solis Sacerdotibus licitum erat vesci propositionis panibus (1); & tamen David, ne cum suis fame periret, eosdem propositionis panes comedit, quod factum Christus (2) non solum probavit; sed eo est usus, ut ostenderet discipulos suos, qui sumendi cibi necessitate sabatho frumenti spicas evellerant, nihil mali egisse. Hinc in jure canonico statuitur (3) infirmos esse immunes a lege jejunii, *quum non subjaceat legi necessitas*; & alio loco (4): *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & sabathum custodiri praeceptum est: Machabei tamen sine culpa sua in sabatho pugnabant: sic & hodie, si quis jejunium fregerit aegrotus, reus voti non habetur*; & mercatores, ac viatores posse communicare ob necessitatem sumendae refectionis cum excommunicatis (5); licet lex esset prohibens communicationem cum excommunicatis. Et sane potestas legislativa data est Superioribus in ordine ad bonum commune; porro bonum commune non semper expostulat, ut quis cum gravi damno

Digitized by Google

legem observet; ergo Superior non vult, vel si velit, non potest cum gravi damno obligare; lex enim, quae est propter bonum commune sufficienter consequitur finem suum, si illa observetur communiter, & extra casus ordinarios gravis periculi, ac damni.

(1) *Lev.* 14. *v.* 19.

(2) *Apud Matth. cap.* 12. *v.* 3. & 4.

(3) *Cap.* 2. *de observ. jejun.*

(4) *Cap.* 4. *de reg. jur.*

(5) *Can.* Quoniam 103. *caus.* 11. *q.* 3. & *cap.* Inter 31. *de sent. excom.*

Obj. Innocentius III. (1) statuit non licere ob metum communicare cum excommunicatis, quia nullo metu est peccatum mortale committendum. Ergo &c.

(1) *Cap.* Sacris 5. *de his, quae vi, metusve causa fiunt.*

11. ℟. Innocentium intelligendum esse de communicatione cum excommunicatis, quae exigebatur in contemptum potestatis ecclesiasticae occasione schismatis eo tempore vigentis, ut ostendit Gonzales. Et sane jura sibi contraria non sunt; jam vero supra ostensum est fas esse communicare cum excommunicato ob necessitatem sumendae refectionis. Ergo &c.

Dixi primo leges mere humanas. Nam certum est legem naturalem negativam obligare cum gravi damno, quum non praecipiat, nec vetet, nisi id, cujus omissio, vel commissio in nulla unquam circumstantia esse possit bonum. Certum est pariter legem positivam divinam obligare etiam cum damno vitae in iis, quae sunt necessaria necessitate medii. Salus enim aeterna rebus omnibus temporalibus, adeoque etiam vitae est anteponenda. Hinc si quis ignorans fidei mysteria sit in regionem discessurus, ubi praevidet se illa addiscere non posse, nec amplius reversurus tenetur etiam cum vitae periculo ante discessum ea mysteria addiscere.

12. Dixi secundo per se; nam si lex humana conjuncta sit cum lege naturali, tunc obligat cum gravi incommodo; id autem contingit tribus in casibus. Primo quando observatio legis humanae in particulari casu ita necessaria est bono communi, ut inde illud periclitetur, nisi lex observetur; jubet enim ratio, ut bonum publicum privato anteferatur; aequum namque est, ut pars in discrimen adducatur ob conservationem totius. Hinc Sacerdos mandante Episcopo lue contagiosa infectis sacramenta administrare: miles mandante Principe, vel duce, excubias agere, in statione consistere, in hostilis civitatis muros conscendere, mare navigare, hostem aggredi: medicus mandante Magistratu infirmos invisere periculoso morbo laborantes, eosque curare tenetur. In hoc casu, ut quisque intelligit, lex naturalis praescribit bonum publicum privato esse anteferendum, sed indeterminate; lex autem humana determinat hunc Sacerdotem potius quam alium:

hunc militem potius quam alium &c. legem humanam observare debere. Secundo quando observatio legis humanae omitti non potest absque scandalo non unius, vel alterius, sed multitudinis. Si enim bonum publicum, & commune temporale anteferendum est vitae temporali unius privati; quanto magis bonum spirituale multitudinis erit quoque anteferendum. Jam vero scandalum multitudinis est damnum spirituale commune. Advertas me dixisse legem humanam obligare cum gravi damno, quando ejus observatio omitti non potest absque scandalo non unius, vel alterius, sed multitudinis, ut intelligas neminem teneri vitam suam mortis periculo objicere ad vitandum unius, vel alterius scandalum, nisi iste sit in extrema spirituali necessitate constitutus, ut traditur in commentario de caritate. Tertio quando violatio legis cederet in contemptum fidei, vel religionis, vel etiam legitimae potestatis; hic enim contemptus redundaret in ipsum Deum juxta illud: *Qui vos spernit, me spernit* (1). Sic Macchabei mortem potius oppetere voluerunt, quam manducare carnem suillam in contemptum legis veteris, sicut eis praeceperat Rex Antiochus (2).

(1) *Lucae* 10. *v.* 16.
(2) *Macchab.* 7.

An Carthusiani possint aliquo in casu carnes comedere contra legem suae Religionis.

13. ℟. primo Carthusianum posse & debere carnibus vesci, si nulli alii suppetunt cibi; nam primo qui non manducat carnes, quando ipsi praesto non sunt alii cibi, directe se interficit; quid enim interest, an gladio vitam tibi auferas, an fame voluntarie pereas? Nemini autem fas est directe se interimere, ut alibi docent Theologi. Secundo quia haec abstinentia a carnibus non cederet neque in bonum suae Religionis, neque in bonum temperantiae. Non in bonum suae Religionis; nam, quum haec necessitas sit evidenter extrema, & raro contingens, non est periculum, quod inde esus carnium vertatur in usum, & abusive in aliis casibus fictitiis usurpetur: nec proinde quod tepescat, vel decidat observantia regularis, & commune hujus Religionis bonum. Adde quod nulla lex humana est, quae cogere possit subditum fame perire; unde nec id poterit lex suae Religionis.

Non in bonum temperantiae, nam temperantia praecipit quidem, ut quis ab hoc, vel illo cibo, vel etiam ab omni ciborum genere abstineat, sed ad tempus tantum; nunquam vero, ut quis abstineat in perpetuum ab omni ciborum genere; ergo in his extremis abstinentia a carnibus, in Carthusiano ad nullum virtutis bonum referri potest; ergo vitiosa erit, & proinde Carthusianus tenebitur carnibus vesci, quando alii cibi desunt.

14. ℟. secundo, Carthusianum non posse vesci carnibus, si alii suppe-

Digitized by Google

tunt cibi; etsi ob abstinentiam carnium ex medicorum judicio vita ejus periclitetur. Et sane non desunt Religiones, quae subditis suis praecipiunt, ut inserviant infirmis lue contagiosa infectis, licet ex hoc servitio evidens mortis periculum incurrant. Quidni etiam Religio Carthusiana suis subditis abstinentiam a carnibus cum mortis periculo praecipere poterit? Deinde sicut Sanctimoniales, (exceptis quibusdam casibus in Bulla Pii V. incipiente *decori*, & *honestati* expressis, & aliis a consuetudine approbatis) non possunt e suo Monasterio egredi ad mutandum caelum, quamvis id eis ex Medicorum judicio necessarium reputetur. Ita nec Carthusianus poterit carnes comedere; etsi ex hac abstinentia medicorum judicio periclitetur ejus vita.

Objicies. Carthusianus tenetur vesci carnibus, si nullos alios cibos habeat, ut vitam suam conservet; ergo tenetur etiam vesci carnibus ob eamdem rationem, quando alii cibi, qui suppetunt, suae saluti sunt infesti.

15. ℟. abstinentiam ab omni cibo necessario mortem inferre, abstinentiam autem a carnibus in infirmo non mortem, sed tantum mortis periculum inducere. Unde in primo casu qui nullos alios cibos habet praeter carnem, comedere carnes tenetur; quia nemini licet se directe interficere. In secundo vero potest abstinere a carnibus, quia unicuique licet se indirecte interimere, seu probabili mortis periculo se exponere ob bonum virtutis, nempe ob bonum suae religionis, in qua, si ex medicorum judicio ob morbum carnis esus concedatur, statutum hujus abstinentiae a carnibus in morbo etiam periculoso, in quo consistit decor, & bonum hujus instituti, paullatim infringetur, primo in casibus periculosis, deinde sub periculi praetextu ad omnes graves infirmitates extendetur. Et quum facile contingat, ut omnes morbi in gratiam infirmi a medicis judicentur graves, passim carnibus vescentur Carthusiani; & sic evertetur statutum illud judicio plurium ex Carthusianis maxime necessarium, ut religiosae disciplinae vigor non tepescat, & ab instituti ratione non declinet.

ARTICULUS IV.

De legis contemptu.

SUMMARIA

1. *Contemptus alius est materialis, formalis alius.*
2. *Formalis dividitur primo in explicitum, & implicitum.*
3. *Dividitur secundo in perfectum, & imperfectum, & cujuscumque traditur definitio.*
4. *Contemptus formalis nullam admittit materiae parvitatem.*
5. *Qui trasgreditur legem ea solum de causa, quia leviter odio habet legislatorem, peccat ex contemptu;*

6. *Qui legem transgreditur eo ipso, quia levis est, non semper peccat ex contemptu.*
7. *Qui consilia evangelica omittit, quia ea reputat vana, & inutilia, ex contemptu peccat.*
8. *Qui ex pura malitia legem violat, ex contemptu non peccat.*
9. *Non peccat pariter ex contemptu, qui legem infringit ex habitu, & consuetudine.*

1. Theologi duplicem imprimis distinguunt contemptum, materialem unum, formalem alterum. Primum in eo constituunt, qui legem negligit, rebusque aliis postponit, non ex eo quod eam despiciat, & pro nihilo ducat, sed quia suis passionibus vult indulgere. Secundum vero in eo, qui legem violat hac directa intentione, ut eam rebus aliis postponat; unde definiri potest actus mentis, quo quis non alia de caussa legem infringit, nisi quia renuit se subjicere ordinationi, vel regulae Superioris. Haec definitio consonat cum doctrina D. Thomae, qui (1) ita de formali contemptu scribit: *Tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel regulae, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam.*

(1) 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3.

2. Dividitur primo contemptus formalis in explicitum, & implicitum. Primus est ille, quo quis directe, & expresse statuit nolle se subjicere legitimae Superioris auctoritati, ut si expresse dicat: *non serviam* (1). Secundus vero, quo quis non alia de causa facit id, quod prohibitum est, vel omittit id, quod est praeceptum, nisi quia prohibitum est, vel praeceptum; iste enim tacite parvipendit Superiorem, a quo latum est praeceptum.

(1) *Jerem. cap.* 2. *v.* 20.

3. Dividitur secundo in perfectum, & imperfectum. Perfectus contingit, quando quis renuit in toto se subjicere Superioris auctoritati. Imperfectus, quando quis in hac re sive parva, sive gravi non vult se subjicere, paratus tamen in aliis obedire.

4. Quamvis omnes Theologi doceant contemptum perfectum sive in re levi, sive in re gravi esse mortale peccatum, non desunt tamen, qui sentiant contemptum imperfectum in re levi esse solum veniale. Verum his adstipulari non possumus; qui enim rem omnino levem non alia ratione transgreditur, nisi quia non vult se subjicere auctoritati Superioris, parvipendit ipsam auctoritatem; ideoque etiam Deum, a quo talis potestas dimanat juxta illud Lucae (1): *Qui vos spernit, me spernit.* Hinc s. Bernardus (2) inquit: „Elatio contemnentis, atque impoenitentis obstinatio in minimis quoque mandatis, culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis naevum satis levem simplicis transgressionis." Et s. Thomas (3) sic scribit: *Nec etiam*

Digitized by Google

omne peccatum mortale est inobedientia, proprie, & per se loquendo; sed solum tunc, quando aliquis praeceptum contemnit. Ex quibus verbis quisque colligere potest s. Thomam sensisse quemlibet contemptum esse peccatum mortale.

(1) *Lucae* 10. *v.* 16.

(2) *Lib. de praec.*, & *dispens. cap.* 11.

(3) 2. 2. *q.* 105. *art.* 1. *ad* 1.

5. Sunt etiam plures Theologi, qui docent eum, qui legem infringit non alio fine, nisi quia leviter odio habet superiorem legitimum, eo quod nimis austerus, vel rigidus sit, non peccare ex contemptu, ideoque solum venialiter delinquere; quum hic, inquiunt, occurrat solum levis indignatio in Superiorem, quae non est nisi veniale peccatum. At concedimus quidem libenter levem indignationem in superiorem esse tantum venialem, sed insuper animadvertimus praeter levem indignationem esse quoque contemptum legislatoris, quatenus scilicet levis haec indignatio est causa, cur despectui Superior habeatur, ejusque auctoritas legitima nolit recognosci. Et sane si in allato casu nullus sit contemptus, quum quando adest contemtus, quis renuat se subjicere auctoritati Superioris ob aliquam causam ex parte Superioris ipsius ferme semper se tenentem, nullum fere amplius erit contemptus peccatum.

6. Iis etiam Theologis adhaerere non possumus, qui arbitrantur eum semper peccare ex contemptu, qui legem transgreditur eo ipso, quia levis est. Fieri enim potest, ut quis nolit leve praeceptum implere, quia putet facile se veniam illius obtenturum esse, ut sunt illi, qui jocosa mendacia proferunt, vel alia levia committunt, dicentes levia haec peccata simplici aqua benedicta deleri posse. Unde isti & recognoscunt Superioris auctoritatem, & non eo fine peccant, ut renuant subjici ordinationi legis, vel regulae.

7. Nemo tamen dubitat eum, qui omittit consilia evangelica, quia ea reputat vana, & inutilia, esse reum contemptus in Deum, imo blasphemiae, quasi Deus vana, & inutilia consulere posset.

8. Si natura contemptus bene inspiciatur, manifestum esse debet, eum, qui peccat ex pura malitia non peccare ex contemptu. Etenim ad naturam contemptus requiritur, ut quis non alia de causa legem transgrediatur, nisi quia non vult se se subjicere ordinationi legis, & regulae. At ille, qui peccat ex pura malitia, non hoc fine legem infringit, sed solum in se passiones excitat, ut iis indulgeat.

9. Ex eadem pariter contemptus natura colligitur eum, qui legem infringit ex habitu, & consuetudine non peccare ex contemptu. Id docet D. Thomas (1) scribens „ Religiosum, quando propter aliquam „ particularem causam puta concupiscentiam, vel iram inducitur ad

„ aliquid faciendum contra statuta „ legis, vel regulae, non peccare ex „ contemptu; etiamsi frequenter ex „ eadem causa, vel alia simili pec- „ catum iteretur. *Et rationem assignat* (2) quia diuturnitas, & assiduitas non est circumstantia trahens „ actum in aliam speciem, nisi forte „ per accidens ex aliquo superve- „ nienti. Non enim aliquid acquirit „ novam speciem ex hoc, quod multi- „ plicatur, vel protelatur; nisi forte „ in actu protelato, vel multiplica- „ to superveniat aliquid, quod va- „ riet speciem; pura inobedientia, „ vel contemptus, vel aliquid hu- „ jusmodi." Caeterum quamvis habitus, vel consuetudo peccandi ex se non importet contemptum, addit s. Thomas „ frequentia tamen (3) pec- „ cati dispositive inducit ad contem- „ ptum secundum illud prov. 18. „ *impius, cum in profundum venerit* „ *peccatorum, contemnit*.

(1) 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3.
(2) 1. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad prim.*
(3) 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3.

CAPUT VII.

De modo, quo observandae sunt leges.

SUMMARIA

1. *Lex non impletur, nisi opus fiat scienter, & voluntarie.*
2. *Objectio solvitur.*
3. *Legem non implet, qui jejunat coactus.*
4. *Qui invitus solvit debita, ab altera solutione liber est.*
5. *Satisfit legi, si finis, vel mala circumstantia non sit totalis caussa, cur opus praeceptum suscipiatur.*
6. *Non satisfit legi naturae, vel Ecclesiae, si finis, vel mala circumstantia sit totalis causa, cur opus peragatur.*
7. *Legem non servat, qui sacro interest unice ob vanam gloriam, vel jejunat, ut parcat sumptibus.*
8. *Solvitur prima objectio.*
9. *Solvitur secunda objectio.*
10. *Legi civili fit satis, etiamsi opus praeceptum unice suscipiatur ob finem, vel malam circumstantiam.*
11. *Ad legem implendam requiritur intentio faciendi id, quod praecipitur.*
12. *Ad legem implendam non requiritur intentio expressa illam implendi.*
13. *Aperitur status quaestionis.*
14. *Legi fit satis, etiamsi ponens opus praeceptum ei satisfacere nolit.*
15. *Solvitur prima objectio.*
16. *Solvitur secunda objectio.*
17. *Solvitur tertia objectio.*
18. *Solvitur quarta objectio.*
19. *Peccat qui neque per opus legis, quod ponit, neque per aliud vult implere legem.*
20. *Argumentum ad hominem in adversarios.*
21. *Duplex distinguitur finis, & modus legis, eorumque definitio traditur.*

Digitized by Google

22. *Lex non impletur sine fine legis intrinseco.*

23. *Sine modo legis intrinseco legi quoque non fit satis.*

24. *Lex servatur sine fine legis extrinseco.*

25. *In concursu plurium legum gravior est praeferenda.*

26. *Qui non potest totam legem implere, tenetur ad partem, modo pars sit divisibilis, notabilis, & in parte inveniatur legis ratio.*

27. *Solvuntur duae objectiones.*

28. *Peccat in legem qui sine causa impedimentum non removet, vel apponit legis impletioni.*

29. *Per plures actus eodem tempore positos legi fit satis, si unus actus alium non impediat.*

30. *Unico actu satisfieri non potest pluribus praeceptis in materia justitiae.*

31. *In aliis materiis pluribus praeceptis non satisfit, si simul non concurrant.*

32. *Si eodem tempore plura praecepta concurrant, aliquando iis per unicum actum fit satis.*

33. *Regula generalis assignari non potest, ex qua cognoscatur, num Superior velit per unicum actum pluribus obligationibus satisfieri.*

34. *Si per unicum actum non possit pluribus praeceptis satisfieri, explicatur, cuinam satisfiat, si unus actus ponatur.*

Circa modum, quo leges sunt observandae primo inquiritur, an ad legem implendam requiratur, ut opus fiat scienter, & voluntarie.

1. Huic quaestioni Theologi communiter respondent affirmative; quia cum lex praecipit actum virtutis, praecipit profecto actum humanum; porro actus humanus non est, nisi fiat scienter, & voluntarie; hinc si dormiens, vel ebrius recitâret horas, non satisfaceret legi, sed teneretur post somnum, aut ebrietatem iterum horas recitare.

Inquies, qui die jejunii tota die dormiens, nihil de cibo, & potu sumat, adimplet legem jejunii; atqui dormiens non est sciens, neque volens; ergo &c.

2. ℟. dormientem legem quidem non transgredi, eam tamen proprie non adimplere; quia ad adimpletionem requiritur actus humanus, qui in dormiente non est. Quare pueri, & amentes, licet legem non transgrediantur, eam tamen, quia ratione destituti, non implent.

3. Idem dicendum de eo, cui subtracti sunt cibi, ne violaret jejunium; quum enim iste jejunium servet invitus, atque coactus, non potest dici, quod servet legem; qui namque invitus, & coactus facit, censetur non facere; si tamen lata esset aliqua censura in non jejunantem, iste ab ea liber esset, quia censura in opus externum fertur dumtaxat.

4. Similiter si quis invitus solveret debitum, a solutione altera immunis esset, non quod adimpleverit praeceptum, sed quia subtracta est

materia praecepti; quum amplius non habeat rem alienam.

An satisfaciat legi, qui opus praeceptum ponit ex fine, vel mala circumstantia.

5. ℟. primo legi satisfieri, quando finis, vel mala circumstantia concomitanter se habet, seu non est totalis causa, cur opus suscipiatur: tunc enim, ut dicitur in tractatu de actibus humanis, opus non inficitur a prava circumstantia, vel fine; quum in hoc casu duo concurrant actus, quorum unus non dependet ab alio.

6. ℟. secundo, ut pariter dicitur in eodem tractatu, opus susceptum ex fine, vel circumstantia mala antecedenter se habente, seu quando finis, vel circumstantia mala est totalis causa, cur opus peragatur, malum esse; tunc enim opus suscipitur tamquam medium ad finem, vel circumstantiam malam obtinendam; unde nihil mirum, si inficiatur ab ipso pravo fine, vel circumstantia.

Quare in hoc casu non satisfit legi naturae, vel Ecclesiae. Non satisfit in primis legi naturae, quae non solum praecipit, ut opus bonum fiat, verum etiam ut bene. Non satisfit deinde legi Ecclesiae; nam Ecclesia praecipit opera, quae conducunt ad vitam spiritualem, hujusmodi autem non sunt opera facta pravo fine antecedenter se habente. Hinc Ecclesia damnavit propositiones asserentes fieri satis praecepto confessionis annuae per confessionem voluntarie nullam (1), & praecepto paschali per sacrilegam Domini manducationem (2).

(1) Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit praecepto Ecclesiae; *est propositio damnata ab Alexandro VII. die 14. septembris 1665.*

(2) Praecepto communionis satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem; *est propositio damnata ab Innocentio XI. die 2. martii 1679.*

7. Ex his consequitur eum, qui Missam audit unice ob vanam gloriam, vel jejunat, ut parcat sumptibus, praecepto non satisfacere; quia Ecclesia praecipit actum bonum; porro qui jejunat, ut parcat sumptibus, actum bonum non exerit; unde iste teneretur ad novum jejunium, si ad illud obligaretur ex proprio voto, si autem ex praecepto Ecclesiae, nulla esset obligatio novi jejunii: quia praeceptum Ecclesiae affixum est diei, quo transacto cessat praeceptum.

Dices primo, filius, qui metu a patre incusso pergit ad Ecclesiam ad Missam audiendam, si attente, ac devote Missam audiat, satisfacit praecepto; ergo satisfieri potest legi Ecclesiae, etiamsi opus suscipiatur ex fine, vel circumstantia mala.

8. ℟. in hoc casu duplicem esse distinguendum actum, unum, quo pergit ad Ecclesiam ad Missam audiendum, alias non perecturus, qui quidem actus malus est, alium, quo statim ac Missam incipit audire, vult

audire attente, ac devote, & ex motivo religionis; iste enim actus est a primo distinctus, & bonus est, neque enim fieri potest, ut finis malus sit totaliter causa auditionis Missae, & interea Missa attente, ac devote, & ex motivo religionis audiatur; nam finis malus, & motivum religionis simul consistere non possunt; quum nemo possit eodem tempore duobus dominis servire (1).

(1) *Matthaei cap. 6. v. 24.*

Similiter si adolescens ad hanc potius, quam ad aliam accedat Ecclesiam Missam auditurus, ut Amasiam videat, si ea ibi non inventa Missam attente, ac devote audiat, vel ea inventa, & visa per aliquod tempus, interea Missae devote assistat (quod tamen admodum est difficile post grave perpetratum peccatum), Missae audiendae praecepto satisfaciet; non enim iste refert auditionem Missae in mulieris aspectum turpem, sed occasione Missae audiendae turpem mulieris aspectum intendit; unde turpis mulieris aspectus non est totalis caussa, cur Missa audiatur, quia adhuc audiretur Missa, si eo die ob aliquam causam mulier Ecclesiam non adiret; sed est solum occasio, cur potius in hac, quam in illa sacro intersit.

Dices secundo, qui die jejunii ventrem immoderatis epulis replet, si abstineat a pluribus refectionibus, praeceptum implet; ergo impleri potest praeceptum ab eo, qui opus praeceptum exequitur ex mala circumstantia, vel fine.

9. ℟. Hunc peccare quidem contra temperantiam, neutiquam vero contra Ecclesiae praeceptum; non enim Ecclesia praecipit ciborum quantitatem, nec eamdem finire poterat ob varias corporum constitutiones, ut docet S. Thomas (1) his verbis: *Quantitas cibi non potuit omnibus taxari propter diversas corporum constitutiones*, sed solum praecipit abstinentiam a pluribus refectionibus, nec abstinentiam refert in circumstantiam, vel finem malum, puta vanam gloriam, avaritiam &c. ut supponimus; at ille qui jejunat, ut parcat sumptibus, jejunium refert in avaritiam; unde jejunium a pravo opere inficitur; nam jejunium utpote medium ad malum finem participat finis malitiam.

(1) 2. 2. *q.* 147. *art. 6. ad* 1.

10. Hactenus de lege naturae, vel Ecclesiae; si enim lex, quae aliquod opus praecipit, sit civilis; tunc fit satis praecepto, si illud impleatur unice ob finem, vel circumstantiam malam; quia legislator civilis non praecipit finem, ex quo est opus suscipiendum, imo nec praecipere potest, quum hic finis nihil conducat ad reipublicae tranquillitatem, quae est objectum legis civilis (1). Sic miles pugnans ex vana gloria antecedenter se habente implet praeceptum ducis.

(1) *Arg. l.* 18. *de poenis*; *& l.* 225. *de verb. signif.*

Digitized by Google

An ad satisfaciendum legi requiratur intentio illi satisfaciendi.

11. Certum est apud omnes requiri intentionem faciendi id, quod praecipitur; quia actus lege praescriptus est actus humanus, qui ut talis debet esse voluntarius, voluntarius autem esse nequit sine voluntate illum ponendi. Hinc Clericus, qui officium persolveret sola intentione, ut studeret, non satisfaciet praecepto recitationis horarum, quia non ponit actum a lege praeceptum, scilicet orationem in recitandis horis.

12. Convenit secundo fere penes omnes non requiri intentionem expressam adimplendae legis, sed sufficere interpretativam, praeeunte D. Thoma, qui sic scribit (1): *Licet actus virtutis cadat sub praecepto, potest tamen aliquis implere actum virtutis, non attendens ad rationem praecepti.*

(1) 2. 2. *q.* 104. *art.* 3. *ad* 2.

13. Quaestio esse solet, an satisfaciat praecepto ille, qui ponit actum praeceptum, sciens esse praeceptum, sed non vult per illum actum satisfacere praecepto, sed per alium postea ponendum; puta si quis, dum audit Missam die festo, eliciat actum, quo intendat non adimplere praeceptum per eamdem Missam, sed per aliam eo die audiendam.

14. Dicimus probabilius cum pluribus contra plures satisfieri praecepto. Ratio est primo; quia iste ponit totum id, quod praecipit legislator; non enim legislator praecipit, ut actus fiat cum intentione satisfaciendi legi, sed simpliciter, ut actus integre, & eo omni modo ponatur, quo fuit praeceptus; porro in hoc casu actus praeceptus ponitur eo modo, sicut praeceptus est; & sane quum obligatio legis pendeat a voluntate legislatoris, & non subditi; si subditus ponat opus praeceptum, quod dumtaxat praecipitur a legislatore, non vero intentio illi satisfaciendi, non erit in potestate subditi, ut impediat, quominus lex impleatur executione illius operis, quo Legislator vult impleri.

Dices primo, & est juris axioma: actus agentium non operantur ultra eorum intentionem (1): est iterum regula juris: in legem peccat, qui verba legis amplexus contra legislatoris nititur voluntatem (2); atqui in utraque hypothesi non adest intentio satisfaciendi praecepto, sed potius adest nisus contra legislatoris voluntatem; ergo &c.

(1) *L.* Non omnis 19. *ff. de rebus creditis.*

(2) *Reg. ult. juris in* 6.

15. ℟. ad primum, illud juris axioma locum dumtaxat habere in iis, quae pendent ab agentis voluntate, uti contractus, vota &c.; at in nostro casu opus praeceptum non pendet a voluntate illud ponentis, ut satisfaciat legi tale opus praecipienti, sed a voluntate legislatoris; tota enim legis obligatio est ex ipsius voluntate.

16. ℟. ad secundum, eum, qui sine intentione satisfaciendi praecepto opus praeceptum exequitur, non niti contra legislatoris voluntatem; intentio enim, seu voluntas satisfaciendi praecepto, non est a legislatore praecepta, sed hoc unum, ut nempe actus integre ponatur quoad substantiam; sed ille, qui non vult satisfacere praecepto per hunc actum, sed per alium, totum id ponit, quod praeceptum est; non igitur nititur contra legislatoris voluntatem.

Dices secundo, qui voto obstrictus tenetur audire Missam, ei non satisfacit, si positive intendat per eam Missam non satisfacere, & aliam audire tenetur; item qui nummos, quos debet creditori, tribuat titulo donationis, adhuc debitum solvere tenetur; ergo a pari &c.

17. ℟. Disparitatem quammaximam esse; quum enim votum sit privata quaedam lex, quam sibimetipsi vovens imponit, & debitum onus quoddam, quod debitor sibi pariter imponit; hinc sicuti voti, & debiti obligatio tota pendet a voluntate voventis, & debitoris; ita etiam ab utroque totaliter pendet prorogatio impletionis voti, & solutionis debiti; at vero e contra, quum obligatio legis a voluntate superioris, non vero subditi pendeat, aliunde vero superior intentionem satisfaciendi non praecipiat, sed solum, ut actus praeceptus ponatur; hinc a subdito pariter non pendet prorogatio satisfactionis legis, dum opus a lege praeceptum ponitur.

Dices tertio, si ille, qui ponit opus, praecepto satisfacit, non poterit habere voluntatem non satisfaciendi; at thesis supponit illum habere voluntatem satisfaciendi praecepto; ergo signum est illo opere non satisfacere praecepto.

18. ℟. Voluntatem, quam ille habet non satisfaciendi, procedere ex ignorantia, qua credit non fieri satis praecepto, dum ponit rem praeceptam; unde illa voluntas erit inefficax, proindeque non poterit destruere priorem voluntatem, qua rem praeceptam exequitur.

19. Si tamen quis ita mente affectus esset, ut dum ponit opus praeceptum, nolit per illud, neque per aliud satisfacere legi, is quidem peccaret non quidem re, siquidem opus praeceptum posuit secundum substantiam, sed in affectu, quia scilicet affectum habet non satisfaciendi praecepto.

20. Tandem sic ad hominem argumentamur contra adversarios; vel ad impletionem legis aliqua voluntas illi satisfaciendi requiritur, vel nulla; si primum, ergo neque ab illo, qui ex devotione tantum audit Missam ignorans esse diem festivum satisfit praecepto; quia in isto sola reperitur voluntas interpretativa, quae vera voluntas non est, sed esset voluntas, si haec, vel illa haberetur cognitio, ut dicitur in tractatu de actibus humanis; adversarii tamen affirmant hunc facere satis praecepto.

Digitized by Google

Si secundum, ergo posito opere praecepto, quaecumque ponatur intentio, semper erit praecepto satisfactum.

An ad satisfaciendum legi debeat intendi finis legis.

21. ℟. Duplicem esse distinguendum tum finem, tum modum legis, intrinsecum nempe, & extrinsecum. Finis legis intrinsecus est id, quod legislator praecipit, seu est ipsa res praecepta. Extrinsecus vero est id, in quod legislator rem praeceptam dirigit. Modus etiam intrinsecus est ille, sine quo res praecepta impleri nequit, extrinsecus autem sine quo res praecepta impleri potest.

22. Dico primo illum, qui non intendit finem legis intrinsecum, legi non satisfacere; quia, ut patet ex definitione finis intrinseci, non ponit rem praeceptam; hinc qui recitaret horas canonicas eo solo fine, ut studeret, non satisfaceret praecepto de recitatione horarum; quia non poneret finem intrinsecum legis, nempe animum Deum colendi, qui est de ratione rei praeceptae; unde non poneret rem praeceptam.

23. Dico secundo eum, qui non ponit modum legis intrinsecum, praeceptum non implere; nam modus intrinsecus pertinet ad substantiam rei praeceptae; ergo, qui non ponit modum intrinsecum praecepti, praecepto non satisfacit: quare qui recitaret horas canonicas sine attentione interna, non faceret satis praecepto; praetermitteret enim modum ad praecepti essentiam pertinentem; quum recitatio horarum sine attentione interna vera oratio non sit, sed orationis simulatio, & larva.

24. Dico tertio eum, qui non ponit finem extrinsecum legis, legi satisfacere; quia iste ponit totum id, quod a legislatore praecipitur; *Non enim*, inquit S. Thomas (1), *idem est finis praecepti, & id, de quo praeceptum datur; sicut neque in aliis rebus idem est finis, & id, quod est ad finem.* Ex quo intelligitur veritas illius axiomatis: *Finis praecepti non cadit sub praecepto*; quando scilicet finis distinguitur ab ipso praecepto, nec intentio ipsius finis praecipitur; hinc quamvis lex divina, & ecclesiastica eo tendat, ut opus non solum bene fiat, sed etiam meritorie, qui tamen poneret opus praeceptum absque caritate saltem habituali legem impleret, cujus finis extrinsecus est, ut opus fiat quodcumque cum caritate; alias opera omnia facra ante justificationem essent peccata; quod damnatum est a Tridentino (2), & damnatum est in hac propositione Baii: *Non est vera legis obedientia, quae fit sine caritate.*

(1) 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. *ad* 2.

(2) *Sess.* 6. *can.* 7.

Excipiunt aliqui casum, quo iste finis extrinsecus praeciperetur a superiore; tunc enim ajunt non fieri satis praecepto ab illo, qui illum sibi non proponeret; verum istiusmodi exceptio nulla est; nam in hoc casu finis hic non esset amplius extrinsecus, sed intrinsecus.

Digitized by Google

Quid agendum, quando plures leges concurrunt, quae simul servari non possunt.

25. ℟. Per se loquendo majorem, & fortiorem legem esse servandam; in concursu enim majoris cum minori, minor obligare desinit; unde lex naturalis praecipiens, vel vetans ea, quae necessario facienda sunt, vel vitanda, praeponderat legi positivae etiam divinae: divina humanae; *Oportet enim obedire Deo magis, quam hominibus* (1): lex altioris virtutis legi virtutis inferioris: lex negativa affirmativae, quia illa ad semper, & pro semper, non autem haec obligat: lex superioris supremi legi superioris subordinati.

(1) *Act.* 4.

Dixi per se loquendo, quandoque enim in concursu fortioris legis, et majoris lex inferior servanda est, quando nempe materia legis inferioris gravior est materia legis fortioris; unde non debet quis Missam omittere die festo, ut a levi molestia infirmum eripiat.

Si lex ecclesiastica & civilis simul concurrant, in materia spirituali lex ecclesiastica civili, in materia temporali lex civilis ecclesiasticae praeferenda est, ut superius ostensum est. In conflictu duarum legum ecclesiasticarum inter se, vel civilium pariter inter se posterior priori erit anteponenda, ut inferius ostendetur.

An, qui non potest totam legem implere, teneatur ad partem, quam potest.

26. ℟. teneri, modo pars sit divisibilis a toto, notabilis, et in parte inveniatur ratio legis. Id in primis constat ex jure canonico (1), ubi Pontifex statuit eum, qui non potest totum implere mandatum, obligari ad partem, ad quam est potens. Constat secundo ex hac propositione damnata (2): *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Et sane quando materia legis divisibilis est, lex, quamvis realiter sit una, est tamen virtualiter multiplex, & ita praecipit totam materiam, ut etiam omnes ejusdem partes praecipiat; quum singulae partes seorsim conferant ad finem legis. Tertio qui non potest mille aureos solvere, si possit centum, ad centum tenetur; ergo &c. Demum *sicut utile non debet per inutile vitiari* (3), ita nec pars possibilis ab impossibili.

(1) *Cap.* Cum dilecti *de dolo, & contumacia.*

(2) *Ab Alexandro XI. prop.* 54.

(3) *Ex regula juris* 37. *in* 6.

Dixi primo, modo pars sit divisibilis a toto; si enim pars sit indivisibilis, sicuti totum est impossibile, ita & pars.

Dixi secundo, modo pars sit notabilis. Hinc nemo est, qui obliget infirmum, qui totum officium recitare non potest, ad recitationem unius, vel alterius psalmi.

Dixi tertio, modo in parte inveniatur ratio legis; quare qui vovit

Digitized by Google

se perrecturum ad limina Apostolorum, quamvis magnam itineris partem facere possit, si tamen usque ad limina Apostolorum pertingere non possit, ad eam magnam itineris partem non tenetur, quia non conducit ad finem ipsius legis.

27. Facile autem solvuntur argumenta adversariorum petita a duobus axiomatibus; nempe quod major pars trahat ad se minorem, & quod accessorium sequatur naturam principalis; haec enim axiomata locum non habent, quando major, & minor pars, principale, & accessorium sunt divisibilia, & in minori parte, & in accessorio reperitur ratio majoris partis, & principalis. Sic qui vendidit equam cum suo pullo, mortua equa, non eximitur a tradendo pullo.

An peccet, qui apponit impedimentum legis impletioni.

28. ℟. primo materiam quandoque ita esse gravem, ut nunquam liceat impedimentum apponere legis impletioni, ut patet in iis, quae sunt necessaria, sive ad salutem aeternam consequendam, sive ad conservarionem boni communis tum spiritualis, tum temporalis: vidimus enim superius cum quovis incommodo tuendum esse bonum commune tum spirituale, tum temporale, & in quibusdam casibus notitiam mysteriorum, quae sunt necessaria necessitate medii, esse comparandam cum vitae periculo.

℟. Secundo nunquam licere impedimentum apponere legis impletioni directa intentione, ut a lege observanda subtrahatur; iste enim satis ostendit pravam, quam habet, dispositionem, & affectum in ipsam legem, agitque propterea in fraudem legis: quod sine culpa fieri non posse superius ostensum est.

℟. Tertio eum, qui sine justa caussa actionem non necessariam aggreditur tempore urgentis legis, aut impedimentum non removet peccare in ipsam legem. Enim vero, cum lex aliquid praecipit, virtualiter prohibet ea omnia, quae cum actione, aut omissione praecepta componi non possunt. Praecipiens enim finem praecipit etiam media necessaria ad talem finem consequendum. Et sane si obligatio legis non extenderetur ad talia impedimenta non ponenda, vel removenda, ludrica esset obligatio legis, quae pro arbitrio cujusque subditi posset sine culpa declinari. Hinc peccant, qui in die festo absque ulla caussa iter suscipiunt, praevidentes esse impediendos ab auditione Missae. Similiter qui ludendo ita defatigantur, ut praevideant se servando jejunio impares futuros.

Nec audiendi sunt Theologi contrarium sentientes, dum dicunt eum, qui ponit impedimentum legis adimpletioni, si hoc ex pravo fine non faciat, non peccare, eo quod utatur jure suo. Iste enim non utitur, sed potius abutitur jure suo. Et sane non ne abutitur jure suo, qui in eleemosynam tribuit eam pecuniam solvendo

suo debito omnino necessariam? Neque dicas obligationem solvendi debiti esse juris naturalis; adeoque illi nullum apponi posse impedimentum, aliam vero obligationem puta Missae audiendae, servandi jejunii esse juris positivi humani. Nam jus naturale etiam praescribit legitimis Superioribus sive ecclesiasticis, sive civilibus esse obediendum.

Dixi sine justa caussa, si enim justa caussa intercedit, puta grave incommodum in legis observatione, vel conflictus officiorum, puta si gravior lex eo tempore urgeret, nemini dubium esse potest legi impedimentum apponi posse.

An per plures actus eodem tempore positos satisfieri possit pluribus legibus.

29. ℟. posse, modo unus actus alium non impediat ratio haec communiter assignatur; quia cum in praeceptis praecipi non soleat diversitas temporum, sed operis executio, eodem tempore impletur totum id, quod a pluribus legibus praescribitur. Hinc qui peregrinatur ex voto potest in itinere recitare officium, ad quod obligatur. Similiter qui die festo audit Missam, potest eodem tempore horas canonicas, ad quas tenetur, persolvere; utrique enim praecepto satisfacit, quoniam duo haec praecepta ad finem eumdem referuntur, scilicet ad cultum Dei; & attentio ad Missam non impedit attentionem ad divinum officium.

Dixi modo unus actus alium non impediat; sic quis non potest eodem tempore & Missam audire, & Sacerdoti peccata confiteri; attentio enim ad confessionem peragendam alterius actus attentionem excludit.

An unico actu possit satisfieri pluribus legibus, vel praeceptis.

30. ℟. excipiendam in primis esse materiam justitiae, in qua totidem debent esse actus, quot sunt leges; vel obligationes; quia in hac materia semper attenditur aequalitas rei ad rem. Sic ex. gr. qui centum debet ex contractu, & alios centum ex delicto, certe non satisfacit huic duplici obligationi justitiae, si semel tantum centum solvat; nam sic non poneretur aequalitas rei ad rem.

31. Si autem sermo sit de aliis obligationibus extra materiam justitiae distinguendum erit, vel plures istiusmodi obligationes simul concurrunt, vel non. Si simul non concurrant, certum est unico actu non posse fieri satis; quia illae obligationes diversum tempus requirunt. Sic qui hodie jejunaret ex voto, non posset certe hoc unico jejunio satisfacere etiam pro jejunio crastino ab Ecclesia praecepto. Unde damnata fuit haec propositio (1): *Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti, & crastino.*

(1) *Ab Alexand. VII. & est n.35.*

32. Si vero simul concurrant hujusmodi obligationes, tunc solum unico actu eis satisfieri potest, quando id ex voluntate legislatoris colligitur. Etenim voluntas legislatoris to-

Digitized by Google

ta ratio est ipsius legis, aut praecepti; ergo ex sola ipsius voluntate unice petenda est adimpletio legis.

33. Regula tamen generalis assignari non potest, ex qua certo cognoscatur voluntatem legislatoris talem esse, ut unico actu possit satisfieri pluribus obligationibus; unde erit colligenda ex fine legis, circumstantiis, natura operis praecepti, aut ex communi piorum sensu. Quod si his omnibus pensatis adhuc dubium remaneat, judicandum erit pluribus praeceptis, plures praecipi distinctos actus. Id enim ne dum tutius, sed etiam probabilius est. Nam in dubiis interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus (1). Communiter autem contingit, ut legislator per suam legem obliget ad actum distinctum, seu ex alio praecepto indebitum, nisi aliud ex ejus mente eruatur. Hinc si poenitenti Confessarius imponat eleemosynam, ad quam poenitens ex voto est jam obligatus, unicam dando, praecepto non satisfaceret.

(1) *Reg.* 45. *jur. in* 6.

An qui multis praeceptis simul concurrentibus non potest unico actu satisfacere, si unicum actum ponat, cui nam praecepto censendum sit satisfecisse?

34. ℞. Quaestionem hic non moveri de iis praeceptis, quorum observatio non pendet a libero arbitrio actum ponentis. In hisce enim praeceptis illi obligationi erit satisfactum, quae fuerit a lege determinata. Sic si quis debeat Missam ex praecepto Ecclesiae, & ex voto, quamvis intendat voto satisfacere, erit tamen Ecclesiae praecepto satisfactum, ut superius ostensum est. Similiter si quis debeat sortem, & usuras, *primum usuris, deinde si quid superest, sorti accepto ferendum est* (1); non enim potuisset cogi creditor sortem accipere ante usuras.

(1) *L.* 35. *ff. de Pignor. act.*

Hisce positis: vel iste, qui unum actum ponit, intendit uni earum obligationi satisfacere, vel omnibus, vel indistincte quid solvit. Si primum illi satisfacit obligationi, cui intendit satisfacere; unde Ulpianus (1): „ Quoties quis debitor ex pluribus „ caussis unum debitum solvit, est „ in arbitrio solventis dicere, quod „ potius debitum voluerit solutum, „ & quod dixerit, id erit solutum. „ Possumus enim certam legem di„ cere ei, quod solvimus. " Si alterum tunc pro rata omnibus iis obligationibus satisfacit: *Si par, & dierum, & contractuum caussa sit*, inquit Paulus (2), *ex omnibus summis pro portione videri solutum*. Si demum tertium, tunc graviori caussae satisfecit. In iis enim rebus, *quae praesenti die debentur* (3) *constat, quoties indistincte quod solvitur, in graviorem causam videri solutum*. Quae autem caussa sit gravior explicat Papinianus (4).

(1) *L.* 1. *ff. de solut.*
(2) *L.* 8. *ff. de solut.*
(3) *L.* 5. *ff. de solut.*
(4) *L.* 97. *ff. de solut.*

C A P U T   VIII.

De legum humanarum renuntiatione.

SUMMARIA

1. *Sermo non instituitur de legibus permittentibus, aut suadentibus, sed de aliis.*
2. *Renuntiari non potest legibus latis primario ob bonum publicum.*
3. *Nec legibus, quae solemnitates requirunt, ut actus valeat.*
4. *Nec legibus latis ob utilitatem alicujus communitatis, aut ordinis.*
5. *Renunciari potest legibus primario latis ob bonum privatorum.*
6. *Afferuntur in hac re plura exempla.*
7. *Solvitur objectio.*
8. *Juramentum legum renuntiationi adjectum non facit eam validam, si lex primario ob bonum publicum, vel alicujus communitatis lata sit.*
9. *Referuntur aliqua exempla.*
10. *Objectio proponitur.*
11. *R. fuse ad objectionem.*
12. *Principes seculares possunt impedire vim juramenti contractibus adjecti, antequam praestetur.*

1. Sermo non est hic de legibus permittentibus, aut suadentibus, quibus renuntiari posse nemo est, qui dubitet, sed dumtaxat instituitur de aliis legibus, an iis renuntiari possit, unde .

2. Dico primo renuntiari non posse legibus, quoties latae sunt primario ob bonum publicum. Neque enim in privati potestate esse debet bono publico, quod intendunt leges, obesse. Quare merito statutum est jus publicum privatorum pactis immutari non posse (1).

(1) *L.* 38. *ff. de pact. l.* 2. §. Sed quia *cod. de jurejur.*

3. Ex his colligitur legibus, quae aliquas solemnitates requirunt, ut actus valeat, renuntiari non posse, quia leges primario ob bonum publicum hujusmodi solemnitates exigunt. Hinc minores valide contrahere non possunt absque solemnitatibus a jure requisitis in suum incommodum (1). Plura alia exempla afferri possent de testamentis, donationibus, subhastationibus &c., quae omnia nulla sunt absque praescriptis solemnitatibus, etiamsi quis expresse hisce legibus, & solemnitatibus renuntiaverit. Sed non vacat in re omnibus nota, & quae facile ex dicendis de lege irritante eruitur, operam ponere.

(1) *L.* Quod favore 6. *cod. de leg.*

4. Dico secundo renuntiari non posse legibus latis ob utilitatem alicujus communitatis, aut ordinis: sic Clericus renuntiare non potest fori privilegio: *Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat: sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice inductum, cui privatorum pactis derogari non potest* (1). Quamvis enim privatorum jus ex singulorum pendeat voluntate, non tamen illud, quod

respicit totam communitatem; & quia quaelibet privatorum dispositio alteri tertio nocere non potest (2).

(1) *Cap.* Si diligenti *de foro compet.*

(2) *Cap.* Non debet 22. *de Reg. jur. in* 6.

5. Dico tertio renuntiari posse legibus, quae singulorum privatam respiciunt utilitatem, & secundario bonum publicum, quatenus scilicet lex recte disponendo res privatorum bonum publicum quoque intendit; quia aequum est, ut quis in iis, quae ad se pertinent, totam habeat, quia dominus, disponendi facultatem (1), nisi forte jus suum esset cum alio jure etiam privato connexum, quo in casu nec juri suo poterit renuntiare, prout alibi ostendunt jurisconsulti, & facile deducitur ex citato capitulo (2). Sic licet pacisci contra edilitium edictum (3), quia lex haec ad privatam utilitatem pertinere visa est.

(1) *L.* 29. *cod. de Episc.*, *& Cler.*, *l. penult. cod. de Pact.*

(2) *Cap.* Non debet 22. *de Reg. jur. in* 6.

(3) *L.* 31. *ff. de Pact.*

6. Non desunt in hac re alia exempla. Sic minor potest renunciare beneficio restitutionis in integrum ex constitutione Friderici (1); & quamvis in hac constitutione, sicut & in rescripto Imperatoris Alexandri (2) mentio fiat de juramento adjecto, tamen absque juramento renunciatio est valida jure communi, quia juramentum sequitur naturam actus, cui adjicitur (3); unde si renunciatio fuisset invalida, eam non firmasset juramentum. Item filiusfamilias renuntiare potest mortuo patre querelae inofficiosi testamenti (4); sicuti pater renuntiare potest ususfructus juri sibi competentis in peculio adventitio filii: & maritus dimidio dotis emolumento sibi per consuetudinem, vel statutum delato (5). Demum, ut alia mittam exempla ex variis legibus (6), pars adversa remittere potest juramentum, quod a lege exigitur (7).

(1) *Auth.* Sacramenta puber. *cod. si advers. vendit.*

(2) *L.* 1. *cod. si advers. vend.*

(3) *L.* Non dubium 5. *cod. de legib.*

(4) *L. penult.* §. *pen.*, *& ult. ff. de Inoff. testam.*, *l.* 34. *in fin.* & 35. §. 2. *cod eod. tit.*

(5) *L.* 29. *cod. de Pact.*

(6) *L.* 65. §. 1. *ff. de ritu nupt.*, *l.* Et si contra 6. *cod. de Nupt.*, *l. unic.* §. 10. *de Contract jud.*, *l. ult. cod. Ad Senatusconsult. Maced.*

(7) *Cap.* Tuis 39. *de Testib.*

7. Nec opponas neminem efficere posse, quominus leges in suo testamento locum habeant (1); nam hoc verum est, si sermo habeatur de iis legibus, quae immediate bonum publicum respiciunt, non vero quae commodum privatorum pro objecto immediato habent, ut patet exemplo cautionis legatorum nomine praestandae, quam remitti posse a testatore sancitum est (2).

(1) *L.* Nemo 55. *ff. de legat.*

Digitized by Google

(2) *L.* Ipsis rerum experim. 2.^{a}, *& l. penult. cod. ut in posses. legator.*

Quid si legum renunciationi adjiciatur juramentum, eritne valida renunciatio?

8. ℟. Iis in casibus, in quibus supra dictum est renunciari non posse legibus, nullam esse facultatem renunciandi iisdem, etiamsi adjiciatur juramentum; alioquin leges non satis bono publico consulere possent, si subditi aliter agere valerent, ac ipsae disponunt. Et sane si actus per leges civiles nulli vim obligandi virtute juramenti inducerent, vanae ferme essent leges, nec proinde bono publico satis consuli posset; quandoquidem subditi per juramentum validum constituerent actum, quem leges nullum esse voluerunt; atque ita Principum potestas elusa prórsus evaderet, & propterea frustraneae essent prohibitiones horum, vel illorum actuum a Principibus factae, si subditi possent alia via, nempe adjecto juramento assequi, quod simplici pacto, seu contractu obtinere nequirent.

His adde, quod juramentum sortitur naturam ejus actus, cui adjicitur (1); ergo si renunciatio legibus facta sit invalida, erit quoque invalida, licet sit juramento stipata.

(1) *L. 5. cod. de legib., l. 7. §. 16. de pact., l.* Sed ei possessori 11. §. Item si juravero *ff. de jurejur., l. finali cod. de non numer. pecunia, cap.* Accessorium 42. *de Reg. jur. in 6.*

9. Hinc non valent pacta etiam juramento confirmata Advocati cum Cliente super quota litis (1); quia occasionem praebent Advocatis ad delinquendum, & fallaciter in judicio agendum: pacta, quae turpem causam continent, puta ne furti vel injuriarum agatur (2), quia sublato poenae metu via injustitiis aperitur: pacta inter duos de successione, seu hereditate tertii inter se dividenda (3); quia Romanis continere visa sunt votum captandae mortis, nisi vivens testator consentiat. Quanti aestimanda sit haec ratio, & quid sibi velit usus fori, vel jus Regium in pactis futurae successionis, alibi, Deo dante, expendemus.

(1) *L. 53. ff. de Pact., l. 5. cod. de Postulando.*

(2) *L. 27. §. 4. ff. de pact.*

(3) *L. fin. cod. de pact.*

10. Objicitur. Valere pacta a jure civili reprobata constitutum est in jure canonico; sancit enim jus canonicum *pactum patri factum a filia dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, quamvis improbet lex civilis*, esse servandum, *cum non vergat in aeternae salutis dispendium* (1). Hinc valent pacta super alienatione rerum dotalium jurata (2), super solutione usurarum (3); & ita in utroque foro judicandum esse decernit Bonifacius VIII. (4).

(1) *Cap. 2. de pact. in 6.*

(2) *Cap. 28. de jurejur.*

(3) *Cap. 6. eod. tit.*

(4) *Cap. 2. de jurejur in 6.*

Digitized by Google

11. R/. id merito constitutum esse a jure Canonico. Enim vero antiquis temporibus saeculo praesertim XII., & XIII. saepe saepius sponsalibus, aliisque contractibus adjiciebatur juramentum, ut vix contractus fieret, cui illud non esset appositum (1); unde fiebat, ut juramentum ob jurandi facilitatem, & fere quotidianum usum contemneretur, ideoque frequentissima essent perjuria (2). Ut huic malo summi Pontifices occurrerent, sanxerunt, ut jusjurandum servaretur etiam in iis casibus, in quibus nulla esset illud implendi obligatio, modo illius obligatio non vergeret in aeternae salutis dispendium. Rati enim sunt nullum efficacius malo occurrenti remedium afferri posse, quam si obligarentur ii, qui jurarunt ad servanda in quocumque casu, modo legi naturali non adverso, sua juramenta, ut sic evitarent jurisjurandi facilitatem, & perjuriorum pericula.

(1) *Cap.* 4. 5. 9. 10. 12. 13. *de Sponsal. Cap.* 3. *de Condit. appositis. Cap.* 7. *& seq. de Jurejur.*

(2) *Cap.* 16. *de Jurejur.*

Non desunt in hanc rem exempla in jure canonico. Alexander III. scribit (1), eum, qui juravit usuras se soluturum, cogendum esse domino reddere juramentum, sed postquam usurae solutae fuerint, vult creditores ad eas restituendas ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendos esse. At quis non videat frustraneum esse solvere, quod statim recipiendum est: una scilicet manu solvere, & altera repetere. Idem Alexander interrogatus de quodam, qui post contracta sponsalia, eademque juramento confirmata Religionem ingredi volebat, rescripsit (2): *Tutius esse religione juramenti servata prius matrimonium contrahere, & postea si elegerit, ad religionem migrare.* Verum quid opus erat matrimonium contrahere, si postmodum erat per religionem dissolvendum?

(1) *Cap.* 6. *de Jurejur.*

(2) *Cap.* 16. *de Sponsal.*

Id evidentissime confirmatur ex capitulo 28. de jurejurando, quod nobis objicitur. Agebatur ibi de mulieribus, quae constante matrimonio alienationem fecerant rerum dotalium jurejurando confirmatam: interrogatus fuit Innocentius III., an tales mulieres ad datam jurisjurandi fidem servandam essent adigendae. Quid ad haec summus Pontifex? Agnoscit inprimis consensum a dictis mulieribus praesertim in alienatione bonorum dotalium, utut jurejurando firmatum, nullius roboris esse, utpote datum contra civilium legum statuta, quae talem alienationem prohibent, & irritam faciunt, inquiens: *Etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones:* deinde statim subdit: *ne tamen tali praetextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipsae servare debent hujusmodi Sacramenta sine vi, & dolo sponte praestita.* Vult itaque Ponti-

fex servandum a mulieribus tale juramentum, non quod contractum firmaverit, & validum sit, jam enim illud declaraverat non obligare, utpote contra legitimas sanctiones, sed ideo solum vult illud esse servandum, ne tali praetextu *viam contingat perjuriis aperiri*. Tota ergo ratio, quae tunc temporis movebat Pontifices summos ad inculcandam jurisjurandi observantiam, haec erat: *Ne viam contingat perjuriis aperiri* (1): *ne via perjurii aperiatur* (2): *ut auferatur materia dejerandi* (3), ut jurantes jurisjurandi observantiae onere pressi discerent aliquando a talibus juramentis abstinere, & sic via perjuriis praecluderetur. Verum quum nostris hisce temporibus ferme ubique a Principibus constitutum sit, ut quodcumque juramentum contractibus adjectum pro non interposito habeatur; imo nostris in regionibus eo ipso corruant actus, quibus fuerit adjectum (4); non est cur judices ecclesiastici nunc temporis ad juramenta contra leges emissa implenda adigant, prout statutum est in eodem jure canonico (5); quum positis supradictis Principum legibus non amplius vigeat illud periculum, quod lex cavere intendebat.

(1) *Cap.* *cit.* 28. *de jurejur.*

(2) *Cap.* Cum dilectus 6. *de his, quae vi*.

(3) *Cap.* Verum 15. *de jurejur.*

(4) *Lib.* 5. *tit.* 11. *n.* 14.

(5) *Cap.* 2. *de jurejur. in* 6.

12. Nobis autem non arridet sententia Theologorum, & jurisconsultorum quorumdam, qui docent non posse Principes seculares irritare indirecte directe juramentum contractibus appositum, impediendo illius vim, antequam praestetur. Sicut enim Ecclesia, quamvis nullam habeat potestatem in Sacramenta, potest tamen destruere contractum humanum, quo destructo tamquam fundamento, corruit pariter Sacramentum ipsi innixum. Ita a pari, licet Principes seculares nequeant sua lege directe irritare jusjurandum, utpote rem spiritualem, jurisdictioni spirituali subjectam; at possunt, indirecte nempe & remote, irritando contractum humanum, quo destructo corruat necesse est juramentum, quod ipsi superstruebatur.

CAPUT IX.

De legum humanarum interpretatione.

ARTICULUS I.

De interpretationis definitione, & divisione.

SUMMARIA

1. *Ratio exponitur, ob quam accurate de legum humanarum interpretatione disserendum est.*
2. *Interpretationis definitio, ejusque ab usu legis distinctio.*
3. *Recensentur variae interpretationis species.*

Digitized by Google

4. *Quaenam authentica sit, traditur.*
5. *Authentica vim legis habet.*
6. *Usualis definitio, ejusque pondus.*
7. *Ad usualem revocatur, quae fit Magistratuum judicio.*
8. *Doctrinalis interpretatio definitur, eamque licitam esse ostenditur.*
9. *Doctrinalis suum pondus habet ex ratione, cui innititur, non vero ex auctorum numero.*
10. *Declarativae, extensivae, & restrictivae interpretationis definitiones traduntur.*

1. Quum leges ita scribi non possint ut casus omnes comprehendant, qui contingere possunt (1); & saepe eveniat, ut singulis jus congrue reddi non possit, nisi interpretatio adhibeatur (2), quum sub eadem littera non raro lateat multiplex intellectus (3), & hac interpretatione non raro uti debeat Magistratus, ut auctor est Justinianus (4), sicut & doctores in sua scientia versati, ut ex infra dicendis constabit; quia ubi in canone, seu lege ambiguitas est, interpretatio necessaria est (5); ideo de hac legum humanarum interpretatione accurate, quantum fieri poterit a nobis disserendum erit.

(1) *L.* Neque leges 10., *l.* Non possunt 12. *de legib.*

(2) *L.* Nam ut ait 13. *de leg.*: „ Quoties lege aliquid unum, vel „ alterum introductum est, bona oc- „ casio est caetera, quae tendunt ad „ eamdem utilitatem vel interpreta- „ tione, vel jurisdictione suppleri. Convinir *l.* Et ideo 11. *ff. de legib.*

(3) *Extravag. Joannis XXII.* Quia nonnunquam *de verb. signif.* §. Nos autem.

(4) *L.* Dedit nob. 3. §. Si vero 18. *Cod. de vet. jure enucl.*

(5) *Cap.* Inter alia 31. *de sententia excommunicationis* §. Ut igitur.

2. Interpretatio definiri solet explicatio sensus in lege contenti. Differt ab usu legis, quatenus interpretatio tota est in manifestanda legislatoris voluntate, usus verò legis voluntatem legislatoris jam manifestatam singularibus facti speciebus accommodat inspectis omnibus inspiciendis, omnibus nempe circumstantiis personarum, temporum, locorum &c.

3. Ratione causae dividitur interpretatio in authenticam, usualem, & doctrinalem; ratione modi in declarativam, ampliativam, & restrictivam.

4. Authentica ea est, quae prodit ab ipso legislatore, vel successore, vel superiore per rescriptum legitime instar juris editum, vel ab inferiore ad hoc specialiter delegato ab ipso superiore, vel legislatore, vel successore. De hac interpretatione intelligendum jus civile (1), tum canonicum (2), tum Regia Constitutio (3).

(1) *L. ult. cod. de leg.*

(2) *Cap.* Inter alia 31. *de sent. excomm.*: Ut unde jus prodiit interpretatio quoque procedat.

(3) *In proemio* §. 3.: Non potrà verun Magistrato, o Tribunale, ben-

chè supremo usare sopra le medesime (*Costituzioni*) per qualunque caso, che occorra, interpretazione alcuna, non volendo, che siano soggette a limitazione, dichiarazione, ampliazione, o moderazione, che non dipenda da Noi, o da nostri successori.

5. Authentica interpretatio, quum ab eo oriatur qui tota fruitur ferendi leges potestate, vim legis sortitur: unde non erit amplius inquirendum, an legis menti congruat, nec ne, sed lex prior erit observanda eo modo, quo fuit explicata.

6. Usualis interpretatio ea dicitur, quae ex usu, & consuetudine proficiscitur. Haec maximi ponderis quoque est, cum ex utroque jure canonico (1) & civili (2) consuetudo sit optima legum interpres.

(1) *Cap. 8. de consuetud.*

(2) *L.* Si de interpret. 37. *de leg.*

7. Huc revocari potest ea interpretatio, quae fit judicio Magistratuum; unde a Severo rescriptum est (1): *in ambiguitatibus, quae ex legibus oriuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem* vim legis obtinere. Verum penes nos solae Magistratuum supremorum decisiones vim legis sortiuntur (2).

(1) *L.* 38. *ff. de leg.*

(2) *R. Constit. lib.* 3. *tit.* 22. §. 15.

8. Doctrinalis seu didascalica ea dicitur, quae fit a doctoribus, seu magistris in sua scientia versatis. Haec autem, si fiat secundum regulas communiter a doctoribus probatas, licita est (1), non secus ac authentica, & usualis. Nam quum saepe contingat, ut leges sint obscurae, ideoque dubitetur, num hunc, vel illum casum comprehendant, continuus fere esse deberet recursus ad Principem; quod fieri non posset absque gravi tum Principis, tum subditorum incommodo. Caeterum si Princeps speciali aliqua ratione motus alicujus legis interpretationem prohiberet, tunc non solum frivola, sed quaecumque alia interpretatio esset interdicta. Quare cum Pius IV. (2) interdixerit Concilii Tridentini interpretationem exprofesso susceptam, & typis editam, Praelatis sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae, aliis vero sub poena excommunicationis latae sententiae, nemini licebit absque licentia Apostolicae Sedis quamcumque interpretationem in Tridentinum facere. Verum eas poenas non incurrunt ii, qui incidenter in suis libris aliquem Tridentini textum interpretantur. In eo autem differt doctrinalis interpretatio ab authentica, & usuali, quod hae jus faciant, doctrinalis autem solam probabilitatem.

(1) *L. un. cod. de Profess. qui in urbe*, *l.* 1. *ff. de Reg. Cat.*, *l.* 17. 18. 19. *ff. de leg. & arg. cap.* 2. *de priv. in* 6.

(2) *Sua Bulla incipiente* Benedictus Deus.

9. Doctrinalis interpretatio ex ratione, cui innititur, non autem ex

Digitized by Google

auctorum numero metienda erit; quum enim isti nulla polleant leges interpretandi authentice facultate, hinc non eorum numerus, sed solum eorum ratio erit attendenda. *Non sequeris*, inquit Deus (1), *turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiae*. Quod docuit etiam Seneca, dum inquit (2): *Nihil ergo magis praestandum est, quam ne pecorum vitia sequamur antecedentium gregem pergentes, non quo eundum est, sed quo itur*. Quod etiam confirmat Justinianus (3) inquiens: " Sed neque ex multitudine „ auctorum quod melius, & aequius „ est judicatore: quum possit unius „ forsan, & deterioris sententia, & „ multas, & majores aliqua in par„ te superare. " Sapienter igitur a nostris Principibus in suis constitutionibus (4) sic cautum est: " Proi„ biamo agli Avvocati di citare nelle „ loro allegazioni veruno de' dotto„ ri nelle materie legali, ed i Giu„ dici tanto supremi, che inferiori, „ di deferire all' opinione di essi sot„ to pena tanto contro detti Giudi„ ci, che Avvocati della sospensio„ ne da' loro uffizi, sino a che ne „ abbino da noi riportata la grazia.

(1) *Exodi* 23.

(2) *Lib. de vita beata cap.* 1. *in principio*.

(3) *L.* 1. §. 6. *cod. de vet. jure enucl.*

(4) *Lib.* 3. *tit.* 22. §. 15. *R. Const.*

10. Declarativa interpretatio ea est, quae legis verba obscura, vel dubia explicat.

Ampliativa ea dicitur, quae legis dispositionem ad similes casus verbis tamen non comprehensos extendit.

Restrictiva demum verba legis in sua generali significatione coarctat, & restringit ad quosdam solummodo casus.

ARTICULUS II.

De regulis interpretationis.

SUMMARIA

1. *Exponitur, quid facere debeat Theologus, vel jurisconsultus, antequam ad interpretationem accedat*.
2. *Prima regula interpretationis legis: verba sunt explicanda secundum nativam, & propriam significationem, nisi aliter constet de mente legislatoris*.
3. *Unde desumenda mens, & intentio legislatoris*.
4. *Numquam lex floci facienda, etiamsi de legis ratione non constet*.
5. *Quandonam verba non sint secundum propriam, & nativam significationem accipienda*.
6. *Distincta duplici verborum proprietate, naturali, & civili ostenditur attendendam esse verborum proprietatem naturalem*.
7. *Privata legis interpretatio a Principe facta nullam inducit obligationem*.
8. *Secunda regula: lex generalis generaliter est intelligenda*.
9. *Regula tertia: leges per interpretationem inter se conciliandae sunt*.

10. *Regula quarta: leges favorabiles extendendae secundum utramque verborum proprietatem naturalem, & civilem.*

11. *Regula quinta: leges poenales, servata verborum proprietate, sunt coarctandae.*

12. *Lex, nec ratione culpae, extenditur ad casum sub lata verborum forma non comprehensum.*

13. *Enumeratis legibus, quae ampliationem refugiunt; statutis scilicet, decretis, edictis etc. asseritur leges caeteras esse ob paritatem rationis ad casum sub lata verborum forma non comprehensum extendendas.*

14. *Regula sexta: in omnibus causis potior esse debet ratio aequitatis, quam stricti juris; sed haec regula fusius explicatur in sequenti articulo.*

1. Antequam Theologus, vel Jurisconsultus accedat ad interpretationem, duo sunt ei animadvertenda: primo de legis mente judicandum non esse, antequam totam legem perspexerit (1), conferendo antecedentia verba cum subsequentibus (2): secundo legis sententiam sat manifestam nulla indigere interpretatione (3); ut quid enim clarius exprimeretur, quod per se jam clarum est: *In manifestis*, inquit S. Thomas (4), *non est opus interpretatione, sed executione*.

(1) Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua ejus particula proposita judicare, vel respondere. *L.* Incivile 24. *ff. de leg.*

(2) *L.* 20. §. 6., *l.* 23. *de heredit. petitione. Unde Augustinus contra Adamantium cap.* 4. *reprehendit eos, qui* particulas quasdam de scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos non connectentes, quae supra, & infra scripta sunt, ex quibus voluntas, & intentio scriptoris possit intelligi.

(3) *Arg. l.* Licet 74. *de leg.* 1., *& l.* Ille 25. §. 1. *de leg.* 3.

(4) 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. *ad* 3.

PRIMA REGULA.

2. Verba legis sunt explicanda secundum nativam, & propriam eorum significationem, nisi aliud constet sensisse legislatorem (1); sicut enim in communi sermone verba accipiuntur in propria, & nativa significatione, quanto magis, quando agitur de legibus; quum legislatores curare debeant, ut leges exprimant verbis perspicuis, ut non sint circumventionibus, & falsis interpretationibus expositae.

(1) *Arg. l.* Non aliter 69. *ff. de leg.* 3. Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est aliud sensisse legislatorem. *Et arg. cap.* Ad audientiam 12. *de decimis.*

Dixi nisi aliud constet sensisse legislatorem; nam quocumque modo mens, ac intentio legislatoris appareat, interpretatio facienda erit secundum ipsam, & non secundum legis verba; non enim ex verbis, sed ex voluntate legislatoris lex vim suam habet; quum non debeat *aliquis* (1)

Digitized by Google

verba considerare (nude scilicet, & materialiter), *sed intentionem*, *& voluntatem*, *quia non debet intentio verbis deservire*, *sed verba intentioni*: *& scire leges* (2) *non est earum verba tenere*, *sed vim*, *& potestatem*. *Hinc is committit in legem* (3), *qui legis verba complectens*, *contra legis nititur voluntatem*. Et sane eo tendit interpretatio, ut mens legis cognoscatur; quando ergo mens legis aperta est, servanda erit lex, non interpretanda. Egregie Cicero (4); " Quid? verbis satis hoc cautum erat? minime: quae res igitur valuit? voluntas: quae si tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non uteremur; quia non potest, verba reperta sunt, quae non impedirent, sed quae indicarent voluntatem.

(1) *Can.* Humanae aures 11. *causa* 22. *q.* 5. *l.* 96. *ff. de regulis juris*.

(2) *L.* Scire 17. *ff. de leg.*

(3) *Cap.* Certum est 88. *de reg. juris in* 6., *l.* Non dubium *ff. de leg.*

(4) *Orat. pro Caecina.*

3. Mens autem, & intentio legislatoris desumenda est, tum ex materia legis, tum ex adjunctis personarum, temporum, & locorum, tum praecipue ex ratione in lege posita, quae saepe invenitur in proemio, & initio legis. Unde S. Thomas (1) referens verba capituli *Intelligentia* de verborum significatione: *Intelligentia dictorum ex caussis est assumenda dicendi*; *quia non sermoni res*, *sed rei debet sermo esse subjectus* subdit: *ergo magis attendendum est ad caussam*, *quae movet legislatorem*, *quam ad ipsa verba legis*.

(1) 1. 2. *q.* 96. *art.* 6. *in argumento sed contra*.

4. Si de caussa finali, & ratione legis non constaret, non erit ob hoc lex spernenda: *alioquin* (1) *multa ex his*, *quae certa sunt*, *subvertentur*: saepe enim Principes justam habent, ita bono publico exigente, occultandae rationis causam.

(1) *L.* Et ideo 21. *ff. de leg.*

5. Aliud porro constare debet sensisse legislatorem, quando verba secundum propriam, & nativam significationem accepta legem redderent inutilem, nullis accommodatam casibus, & sic omni effectu destitutam (1), aut in alterius dispendium torquerent, quae in favorem ipsius instituta sunt (2), vel involverent absurditatem, impossibilitatem, vitium, vel significationem non satis aptam rei gerendae (3): uno verbo quando verba naturaliter intellecta bonum publicum, vel aequi, bonique regulas oppugnarent.

(1) *Arg. l.* 1. §. *ult. ff. ad municipalem*.

(2) *L.* 25. *ff. de leg.*, *& l.* 6. *cod. eodem*.

(3) *L.* 19. *ff. de leg.*, *& l.* 96. *ff. de reg. juris*.

Attendenda ne est in legum interpretatione proprietas verborum naturalis, an civilis?

Digitized by Google

6. Duplex a Theologis distinguitur verborum proprietas, naturalis una; civilis altera. Prima ex communi hominum acceptione proficiscitur. Secunda ex sola juris fictione, & per quamdam quasi translationem: cedo exempla. Nomen mortis ex communi hominum acceptione morti naturali tribuitur, at fictione juris, & per quamdam quasi translationem exilio, & professioni religiosae accommodatur; sic pariter nomen filii ex communi hominum intelligentia ad filium naturalem refertur, at juris beneficio etiam adoptato adscribitur. Hisce positis.

℟. Attendendam esse proprietatem naturalem, & secundum hanc legem esse interpretandam. Constat haec propositio ex jure civili (1), ubi legitima, & perfecta aetas illa dicitur, quae naturalis est, non vero illa, quae beneficio Principis obtinetur. Idem colligitur ex jure canonico (2). Si tamen ageretur de lege favorabili, haec erit intelligenda secundum utramque verborum proprietatem naturalem, & civilem, ut inferius videbitur.

(1) *L. ult. cod. de his, qui veniam aetatis.*

(2) *Cap.* Susceptum *de rescriptis in 6.*

Quid, si Princeps privatim suam legem interpretetur contra naturalem verborum proprietatem, eritne ejus interpretationi standum?

7. ℟. Standum non esse, ideoque ejus interpretationem non obligare: sicut enim non obligat lex, quae privatim, non publice promulgetur, ita nec obligat legis interpretatio a Principe facta, quae publice non sit promulgata.

REGULA SECUNDA.

8. Quando de propria, & naturali verborum significatione constat, lex generalis generaliter est intelligenda tam in favorabilibus, quam in odiosis; ita ut comprehendat omnes casus, qui veniunt sub propria significatione (1). Nam ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus (2).

(1) *L.* 1. §. Quod *ff. de Aleator.*, *l.* 9. §. *ult. ff. de juris, & facti ignorantia*, *l.* 1. §. Generaliter 1. *ff. de leg. praestand.*

(2) *L.* De pretio 8. *ff. de publiciana in rem actione.*

REGULA TERTIA.

9. In concursu legum contrariarum ineunda est, quantum fieri potest, earum concordia per interpretationem (1); quum mutatio legum saepe reipublicae noceat. Hinc priores leges per posteriores (2), & vicissim posteriores per priores explicandae sunt (3); si tamen earum conciliatio haberi non possit, lex posterior derogat priori (4).

(1) *L.* 3. §. 15. *cod. de vet. jure enucl. cap.* Cum expediat 29. *de elect. in 6.* Cum expediat concordare jura juribus, & eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari.

Digitized by Google

(2) *L.* 26. *&* 27. *ff. de legibus*: Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur.

(3) *L.* 28. *ff. de leg.* Posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariae sint.

(4) *L. ult. ff. de Const.*: Constitutiones tempore posteriores potiores sunt his, quae ipsas praecesserunt.

REGULA QUARTA.

10. Leges favorabiles ampliandae, & extendendae sunt non solum secundum verborum proprietatem naturalem, sed etiam civilem (1). Quare privilegia concessa filiis legitimis, intelliguntur quoque concessa adoptivis, & legitimatis (2).

(1) *Arg. Reg.* 15. *jur. in* 6.

(2) *Arg. cap.* 16. *de verb. signif.*, *& l.* 3. *ff. de Const. Princ.*

REGULA QUINTA.

11. Leges poenales, & odiosae, seu melius versantes in materia odiosa (omnis enim lex, etsi poenam infligat, bono publico consulit, unde odiosa dici non potest) intacta verborum proprietate restringendae sunt, cum conveniens sit odia restringi (1). Idipsum docet s.Thomas (2) his verbis: „ Unde jurisperitus dicit, quod nulla „ ratio juris, aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro „ salute hominum introducuntur, ea „ nos duriori interpretatione contra „ ipsorum commodum perducamus „ ad severitatem.

(1) *L.* 42. *ff. de poenis*. Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam exasperandae. Quod est poenas restringi potius convenit, quam laxari *cap.* 22. *de elect. in* 6.

(2) 1. 2. *q.* 96. *art.* 6.

12. Ex his colligitur legem poenalem non solum quantum ad poenam, sed neque quantum ad praeceptum extendi ad casum sub lata verborum forma non comprehensum; quia quum poena in hoc casu infligatur ob legis violationem, ubi nulla est poena, ibi nulla esse debet legis violatio.

Sunt qui divisionem legum in favorabiles, & odiosas omnino rejiciunt (1); sed eam aequitati innixam esse tum ex dictis, tum ex dicendis facile eruitur.

(1) *Vide les Remarques de Barbeyrac sur Grotius, & sur Pufendorf.*

An ubi eadem est ratio, ibi eadem esse debeat juris dispositio, seu an lex extendatur ad casum sub lata verborum forma non comprehensum ob rationis paritatem..

13. ℟. Distinguendas esse leges a legibus, aliae enim sunt, quae ampliationem refugiunt, aliae, quae extensionem admittunt.

Et primo quidem ampliationem respuunt statuta, sive leges municipales (1), nisi forte favorabilia, aut Reipublicae utilia sint, quorum in numero sunt statuta, ex quibus in successionibus ab intestato agnati cognatis, fratres sororibus dotatis, & nuptis praeferuntur (2).

Digitized by Google

(1) *Edicto D. Amedei VIII. apud Solam pag. 1. Faber in cod. lib. 1. tit. 5. defin. 1.*

(2) *Ex var. decision. Senatus apud Thesaurum dec. 37. & 65. n. 5.*

Secundo. Decreta, quae plerumque jus constituunt solum inter eos, pro quibus lata sunt (1).

(1) *L.* Leges 3. *cod. de leg.*

Tertio. Edicta (1) juri communi contraria. Hinc cum Carolus Emmanuel felicis recordationis suo edicto (2) prohibuisset proprietariis domorum, quae sitae sunt in hac urbe, conductores etiam post finem locationis expellere sine justa causa, censuit Senatus Taurinensis (3) restringendum esse edictum ad proprietarios, & conductores, *inter quos contractus locationis, & conductionis jam fuerat antea initus, atque servatus*, neutiquam vero ad emptores domorum esse extendendum, ideoque istis facultatem esse expellendi conductores, quibus facta erat locatio a venditoribus.

(1) *L.* 32. §. *ult. cod. de Appellat.*: Quidquid autem hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum, constitutionumque regulis omnes relictum intelligant.

(2) *Emanato die 2. nov. 1750.*

(3) *Die 3. aug. 1765. in causa societat. mercatorum, Joannis Baptistae Peona, & Josephi Tron adversus Franciscum Robertum.*

Quarto, leges, quae liberorum exheredationem permittunt (1), quae privilegia continent contra jus (2), quae naturalem disponendi libertatem laedunt (3), quae generalibus receptis regulis adversantur (4), quae creditoribus favent in debitorum dispendium (5).

(1) *L.* Cum quidam 19. *ff. de lib. & posth.*

(2) *L.* 1. §. *ult. ff. de const. Principum.*

(3) *Argum. L.* 47. *ff. de Obl. & act.*

(4) *L.* 14. *ff. de leg.* Quod vero contra juris praeceptum est, non est producendum ad consequentias.

(5) *L.* Adrianus 47. *ff. de Oblig. & act.*

Demum, exceptis legibus poenalibus, de quibus supra, caeterae leges erunt ad casus similes probabilius extendendae. *Quia non possunt* (1) *omnes articuli singillatim aut legibus, aut Senatus consultis comprehendi: Sed cum in aliqua caussa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni praeest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet.* Nam (2), ut ait Pedius, *quoties lege aliquid, unum, vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera, quae tendunt ad eamdem utilitatem vel interpretatione, vel certe jurisdictione suppleri.* Æquum enim est, ut quod cautum fuit de uno, licet de alio non fuerit expressum, propter expressam similitudinem, vel potius identitatem debeat de alio intelligi, quum de similibus idem judicium sit habendum (3).

(1) *L.* 12. *ff. de leg.*

Digitized by Google

(2) *L.* 13. *ff. eodem*: *Quibus legibus addi possunt l.* 32. *ad l. Aquil.*, *l.* 4. *de Fundo dot. l.* 7. §. 2. *de Jurisd. l.* 2. §. 39. *ad S. C. Tertil.*

(3) *Cap.* Inter corporalia 2. *de translat. Ep.*

14. Addunt alii regulam sextam, ut nempe in omnibus causis potior esse debeat ratio aequitatis, quam stricti juris (1); sed quum haec regula speciales habeat difficultates, ideo singulari articulo erit pertractanda.

(1) *L.* Placuit *cod. de judic.*

ARTICULUS III.

De aequitate, seu epichia.

SUMMARIA

1. *Distincta triplici aequitate, secundum jus, praeter jus, & contra jus, earum definitio traditur.*
2. *Fas est uti epichia secundum jus.*
3. *Licet pariter uti epichia praeter jus.*
4. *Docet s. Thomas adhuc licere sequi epichiam contra jus.*
5. *Duobus in casibus uti licet epichia contra jus. Primo quando observatio legis litteralis nocet bono publico. Secundo quando cedit in damnum grave alicujus privati.*
6. *Adhiberi non potest epichia contra jus, quando lex solum aspera est, & dura.*
7. *In casu legis admodum durae recurrendum ad Superiorem: si ad Superiorem recursus non pateat, lex observanda.*
8. *Errant Theologi, qui docent epichiae contra jus locum ad huc esse, quando probabilius est legislatorem voluisse ad talem casum obligare.*
9. *Nullus est epichiae locus in humanis legibus actum irritantibus.*
10. *Sola aequitas contra jus, vere, & proprie epichia dicitur.*
11. *Variae traduntur regulae a jure canonico, civili, & Marco Tullio depromptae.*

1. Triplex distinguitur aequitas, seu epichia, una secundum jus, altera praeter jus, tertia contra jus. Prima tendit ad humanitatem & benignitatem, declarando talem esse mentem legislatoris ex antecedentibus, & consequentibus legis verbis, praefatione, epilogo, vel ex ratione legis, quamvis verba aliter prae se ferre videantur. Secunda casus quosdam in lege non comprehensos ex generalibus juris principiis, vel ex rationis identitate ad humanitatem, & benignitatem flectit. Tertia humanitate, & benignitate duce excipit a lege casus quosdam, qui attentis verbis legis antecedentibus, & consequentibus, praefatione, epilogo, vel ratione legis essent comprehendendi. De hac communiter loquuntur Theologi, quam Aristoteles (1) sic definit: *Emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter universale.* Dissimilis non est definitio aequitatis tradita a Grotio (2): aequitas est *virtus correctrix ejus, in quo lex propter universalitatem deficit*; similia scribit s. Thomas (3).

Digitized by Google

(1) 5. *Ethic. cap.* 10.

(2) *Lib. de aequitate, indulgentia, & facilitate cap.* 1. §. 3.

(3) 1. 2. *q.* 96. *art.* 6.

An aequitate, seu epichia uti liceat.

2. ℟. Primo fas esse sequi epichiam, seu aequitatem secundum jus, quamvis verba resistere videantur, tum quia verbis legis praeferenda est voluntas legislatoris (1); tum quia ita faciendum esse cautum est ab ipsis legibus (2).

(1) Potentior est quam vox mens dicentis, *l.* Labeo 7. §. 2. *in fin. ff. de Suppell. leg.*: Sed etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult *l.* Scire oportet 13. §. 2. *ff. de Excusat.*

(2) Placuit in omnibus rebus praecipuam esse justitiae, aequitatisque, quam stricti juris rationem *l.* Placuit 8. *cod. de Jud.*

3. ℟. Secundo, licere pariter sequi aequitatem praeter jus, quia „ quoties lege aliquid unum, vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera, quae tendunt ad eamdem utilitatem, vel interpretatione, vel certe jurisdictione suppleri (1). " Sic quamvis nulla expressa lege cautum sit patruum teneri ad alendos nepotes pauperes, censuit tamen Senatus (2) aequitate motus adigendum esse D. Advocatum Brunonem Falletti ad alimenta praestanda nepotibus ex fratre pauperibus, quia agebatur de patruo satis divite, cujus facultates maxima ex parte proveniebant ab ipsius patrui patre. En verba Senatusconsulti: „ Quamobrem solam facti veritatem „ inspicientes, & aequitatis majorem, quam stricti juris rationem „ habentes, ut perpetui Ordinis nostri moris est; in omnibus etenim „ maxime tamen in jure aequitas „ spectanda (3) ...... declaravimus „ patruum teneri subsidiaria alimenta praestare nepotibus, statuto provisionali modo lib. 15. in singulos menses pro unoquoque nepotum a die factae petitionis, usque „ ad aetatem cujusque annorum 25. „ Quod hanc assecutus quilibet eorum ipse se exhibere, imo sibi „ omnino prospicere queat, & debeat.

(1) *L.* Nam ut ait 13. *ff. de leg. vide*, & *l.* 11. *ff. eod.*

(2) *Die* 14. *jun.* 1760. *ref. D. Scala in causa Dominorum Cajetani, Ferdinandi, Alberti, Joannis Alberti, & Ceciliae fratrum, & sororis filiorum quondam D. Auditoris Joannis Baptistae Falletti, interveniente D. Anna Lucia Berlenda vidua dicti Auditoris, eorum matre, adversus D. Advocatum Brunonem Falletti patruum.*

(3) *L.* 90. *ff. de reg. jur.*

4. ℟. Tertio licitum pariter esse sequi aequitatem contra jus. Hoc ipsum docet, & probat s. Thomas his verbis (1): „ Quia humani actus, „ de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, „ quae infinitis modis variari possunt, non fuit possibile aliquam

„ regulam instituì, quae in nullo „ casu deficeret (2); sed legislatores attendunt ad id, quod pluribus accidit secundum hoc legem „ ferentes (3); quam tamen in aliquibus casibus servare est contra „ aequalitatem justitiae, & contra „ commune bonum, quod lex intendit. Sicut lex instituit, quod deposita reddantur (4), quia hoc in „ pluribus justum est. Contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium, „ & eum reposcat dum est in furia, „ vel si aliquis reposcat, depositum „ ad patriae impugnationem. In his „ ergo, & similibus casibus, malum „ est sequi legem positam; bonum „ autem est praetermissis verbis legis sequi id, quod poscit justitiae „ ratio, & communis utilitas, & ad „ hoc ordinatur epichia, quae apud „ nos dicitur aequitas. " Doctrinae D. Thomae consonat jus civile (5): *Et si nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen, ubi aequitas evidens poscit, subveniendum est*, inquit Marcellus.

(1) 2. 2. *q.* 120. *art.* 1.

(2) *L.* Neque leges 10., *L.* Non possunt 12. *ff. de leg.*

(3) Ex iis, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur *L.* 4. *ff. de leg.*

(4) *L.* 31. *ff. depositi.*

(5) *L.* 183. *ff. de reg. jur.*

Quandonam uti liceat epichia.

5. ℟. Nemini dubium esse, quin semper uti liceat epichia sive secundum, sive praeter jus; difficultas solum in eo versatur, quandonam adhiberi possit epichia contra jus. Nobis dicendum videtur duobus in casibus adhiberi posse.

Primo, quando observatio legis in aliquo casu particulari secundum verba generalia noceret bono publico. Quum enim leges ferantur a legislatoribus ob bonum commune, ut superius dictum est, nullo modo ipsi intendere possunt, ut lex obliget in eo casu, in quo publicum bonum perverteretur. Quare si legislator legem tulisset, ne nocturno tempore portae civitatis aperirentur, nullum esse poterit dubium, quin portae essent aperiendae, ut copiae auxiliares in urbem reciperentur. Similiter lata lege, ne cives nocturno tempore muros conscenderent, damnosissimum esset civitati, si cives urbis muros conscendere non possent ad impediendos hostes, ne eam occuparent, & sic omnia caedibus, & rapinis implerent.

Secundo, quando observatio legis litteralis vergeret in grave praejudicium alicujus privati; „ nulla enim „ juris ratio (1), aut aequitatis benignitas patitur; ut quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, duriore interpretatione, contra ipsorum commodum producantur ad severitatem. " Et sane quando lex privato grave affert detrimentum, eo ipso damnum affertur bono publico, quum ex bono privatorum exurgat. Hinc Principes no-

stri religioſiſſimi (2) aperte profeſſi ſunt eam ſe nolle legem, quae in alicujus privati damnum cedere poſſit. Sic injuſtum eſt reddere depoſitum, ſi ille, qui gladium ex. gr. depoſuit, eo ſit abuſurus in ſuum, vel alterius damnum (3); nec poſſet quis in die jejunii abſtinere a carnibus, ſi omni alio cibo careret ad vitam propriam ſuſtentandam.

(1) *L.* Nulla juris ratio 25. *ff. de leg.*

(2) *Reg. Conſt. lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 15.

(3) *L.* 31. *depoſiti*. *Cic. de offic. lib.* 1. *cap.* 11.

Quid, ſi lex bono publico, vel privatorum non noceat, ſed tantum aſpera, & dura admodum ſit, poterit ne quis inde uti epichia?

6. ℟. in hoc caſu nec privato, nec judici unquam fas eſſe legem ad aequitatem flectere; aperti enim in hac re ſunt juris civilis textus: *Quia* (1) *ita verba faciunt ..... quod quidem perquam durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt.* Et alio loco (2) „ Si quid „ vero in iiſdem legibus latum for- „ taſſis obſcurius fuerit, oportet id „ ab imperatoria interpretatione pa- „ tefieri, duritiamque legum noſtrae „ humanitati incongruam emendari." Adde quod quum fere ſemper lex ſubditis admodum dura appareat, ſi liceret judici, vel privato cuilibet humanitatis, & benignitatis ſpecie legem emendare, nulla amplius firma, & inconcuſſa erit lex, ſed variis, iiſque contrariis expoſita erit interpretationibus pro diverſa judicantium indole non ſine graviſſimo publicae, & privatae utilitatis diſpendio.

(1) *L.* 12. §. 1. *Qui, & a quibus manumiſſi*.

(2) *L.* Sacratiſſimae 9. *cod. de leg.*

Quid ergo judici praeſtandum, quando lex admodum dura videatur?

7. ℟. nil aliud illi ſupereſſe, quam ut recurrat ad Superiorem (1); quod ſi ad Superiorem recurrere non poſſit, legem obſervare debebit, quum ad judicem pertineat ſecundum legem, neutiquam vero contra eam, ut docet Auguſtinus (2), judicare, & facti quidem quaeſtio, non vero juris auctoritas penes ipſum ſit (3).

(1) *L.* 1. 9. *penult.*, *& ult. cod. de leg.*

(2) *De vera relig. cap.* 2. In temporalibus legibus ...... quando ſunt inſtitutae, & firmatae, non licebit de his judicare, ſed ſecundum ipſas.

(3) *L.* 1. §. 4. *Ad Senatusconſult. Turpil. juncta l.* 12. §. 1. *Qui, & a quib. manumis.*

8. Ex his colligitur quantum aberrent ii Theologi, inter quos Viva (1), qui docent epichiae contra jus locum eſſe, etiamſi detur major probabilitas, quod legiſlator potuerit, & voluerit ad talem caſum obligare. Si enim in re dubia melius eſt verbis edicti ſervire (2), quanto magis, quando major eſt probabilitas epichiae contra jus locum non eſſe. Id docet s. Thomas; nam, quum ſibi oppoſuiſſet hoc argumentum (3): „ Ad eum ſolum pertinet

Alaſia m m

„ leges interpretari, cujus est condere legem: sed omnium subditorum legi non est leges condere: „ ergo eorum non est interpretari „ legislatoris intentionem, sed semper „ secundum verba legis agere debent. Illi argumento sic respondet. „ Ad „ secundum dicendum, quod ille, „ qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretetur legem simpliciter; sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam nocumenti legislatorem aliud intendisse. „ Si enim dubium sit, debet vel secundum verba legis agere, vel „ superiorem consulere.

(1) *Q. 6. art. 6. n. 4. de leg.*

(2) *L.* 1. §. 20. Licet autem *ff. de exercit. act.*

(3) 1. 2. *q.* 96. *art. 6. ad* 2.

9. An epichiae locus sit in legibus humanis actum irritantibus?

℟. Locum non esse, quia lex actum irritans, personam inhabilem reddit ad eum actum praestandum; at epichia hanc ad actum habilitatem conferre non potest; quum ad hoc requiratur actus positivus legislatoris. Et sane si liceret uti epichia in lege ex. gr. irritante matrimonium clandestinum, vel contractus minorum, passim aequitatis praetextu inirentur matrimonia clandestina, passim celebrarentur contractus a minoribus sine debitis solemnitatibus, non sine gravissimo publici boni dispendio.

SCHOLION

10. Nos, ut morem gereremus quibusdam Theologis, & Jurisconsultis, triplicem distinximus aequitatem, seu epichiam; verum, si proprie loqui velimus, aequitas secundum jus confunditur cum ipsa interpretatione, aequitas praeter jus cum ea quaestione, an lex ob paritatem rationis extendatur ad casum sub lata verborum forma non comprehensum. Relinquitur ergo solam aequitatem contra jus esse veram, & proprie dictam epichiam; & propterea definitionem traditam ab Aristotele, Grotio, de qua supra, esse legitimam.

11. Ad obtinendam rectam legum interpretationem multum inservire possunt plures aequitatis regulae, quas tum a jure canonico, & civili, tum a Marco Tullio decerpsit Paulus Comitolus, quas nos hic subjiciemus depromptas a Concina.

PARAGRAPHUS I.

Æquitatis regulae a jure canonico haustae.

Sequentium regularum princeps, unde omnes proficiscuntur, haec est, quam Christus dominus Luc. cap. 6. statuit: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Quae sequuntur ex jure Pontificio collectae sunt.

1. Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debet uti eo. *Cap. Cognoscentes de constitut.*

Digitized by Google

2. Patere legem, quam tu ipse tuleris. *Ex eod. cap. & tit.*

3. Constitutio Apostolicae sedis omnes adstringit, & nihil debet vel ambiguum, vel obscurum continere. *Cap. Quoniam de const.*

4. Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit. *Cap. Cognoscentes eod. tit.*

5. Laicis super Ecclesiis, & personis ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, *cap. Ecclesia s. Mariae de constitut.* Quomodo haec regula sit intelligenda, vidimus superius.

6. In rescripto Apostolico, ut valeat, intelligitur haec clausula, si preces veritate nitantur; quamvis non apponatur. *Cap. Ex parte de Rescrip.*

7. Papa patienter sustinet, si non fiat quod prava fuerit ei insinuatione suggestum. *Cap. Si quando eod. tit.*

8. Exprimens falsum, vel tacens veritatem per fraudem, ex rescripto Pontificio nullum consequitur emolumentum. *Cap. Super litt. de Rescr.*

9. Consuetudo, quae canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti. *Cap. Ad nostrum de consuetud.*

10. Juri naturali quacumque consuetudine aliquatenus derogari non potest. *Cap. Cum tanto eod. tit.*

11. Romanus Pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere. *Cap. 1. de const. lib. 6.*

12. Propter officium ecclesiasticum beneficium datur. *Cap. ultim. de Rescript. lib. 6.*

13. Quae dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. *De reg. jur. cap. 11.*

14. Utilius scandalum nasci permittitur, quam ut veritas relinquatur. *Cap. 3. eod. tit.*

15. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. *Cap. 4. eod. tit.*

16. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. *Cap. 5. de reg. jur.*

17. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori. *De reg. jur. in 6. reg. 10.* sumpta *ex ff. eod. tit. l. Favorabiliores.*

18. Cum quis in jus succedit alterius justam ignorantiae causam censetur habere. *Ex reg. jur. lib. 6. reg. 14.*

19. Odia restringi, favores convenit ampliari. *Reg. 15. eod. lib.*

20. Non debet aliquis alterius odio praegravari. *Reg. 22.*

21. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. *Reg. 33.* ex lege, *Nemo potest mutare ff. de reg. jur.*

22. Utile non debet per inutile vitiari. *Reg. 37.*

23. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare. *Reg. 38.*

24. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo. *Reg. 39.*

25. Imputari non debet ei per quem non stat, si non facit quod per eum fuerat faciendum. *Reg. 44.*

Digitized by Google

26. Inspicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit. *Reg.* 45.

27. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. *Reg.* 48. ſumpta *ex ff. eod. tit. l. Jure naturae.* Verum in lege civili legitur conjuncte, *detrimento*, & *jactura*, niſi dicamus *et* uſurpatum eſſe pro *vel.*

28. In poenis benignior eſt interpretatio facienda. *Reg.* 49.

29. Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum. *Reg.* 51.

30. Cui licet quod eſt plus, licet utique quod minus. *Reg.* 53. *ex leg. eod. tit. Non debet.*

31. Qui prior eſt tempore, prior eſt jure. *Reg.* 54. *ex l. Quoties utriuſq. ff. eod. tit.*

32. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra. *Reg.* 55. *ex l. Secundum naturam ff. eod. tit.*

33. Non eſt obligatorium, quod contra bonos mores eſt praeſtitum juramentum. *Reg.* 58.

34. Non eſt in mora qui poteſt exceptione legitima ſe tueri. *Reg.* 60. *ex. l. Nulla intelligitur. ff. eod. tit.*

35. Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non ſit, obligatur. *Reg.* 62. *ex l. Conſil. ff. eod. tit.*

36. Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. *Reg.* 64. *ex l. Non dubium c. de legib.*

37. In pari delicto, vel cauſa potior conditio poſſidentis. *Reg.* 65. *ex l. Cum par delictum ff. de reg. jur.*

38. Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum. *Reg.* 72. *ex l. Quod juſſu alterius ff. eod. tit.*

39. Factum legitime retractari non debet. *Reg.* 73. *ex l. In ambiguis §. 1. ff. eod. tit.*

40. Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *Reg.* 74.

41. Fruſtra ſibi fidem poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe praeſtitam ſervare recuſet. *Reg.* 75.

42. In malis promiſſis fidem non expedit obſervari. *Reg.* 75.

43. Delictum perſonae non debet in detrimentum Eccleſiae redundare. *Reg.* 76.

44. Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. *Reg.* 77.

45. In argumentum trahi nequeunt, quae propter neceſſitatem aliquando conceſſa ſunt. *Reg.* 78.

46. Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur. *Reg.* 79.

47. Qui contra jura mercatur, bonam fidem praeſumitur non habere. *Reg.* 82.

48. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. *Reg.* 84.

49. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur. *Reg.* 85. *ex l. Contractus ff. eod. tit.*

50. Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare. *Reg.* 86. *ex* l. *Quod quis ff. eod tit.*

51. Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba comple-

Digitized by Google

ctens contra legis sua culpa nititur voluntatem. *Reg.* 88. *ex l. Non dubium cod. de leg.*

52. Frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem. *Cap. Quia frustra de usuris & c. ult. de immunit. Eccles.*

53. Quae metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. *Ex cap. Abbas de iis, quae vi, metusve, & ex l. 1. ff. eod tit.*, in qua legere est his verbis: *Quod metu factum est, ratum non habebo, dicit Praetor.*

PARAGRAPHUS II.

Regulae e jure civili selectae.

1. In omnibus quidem, maxime tamen in jure aequitas spectanda est. *ff. de reg. juris. Reg.* 91.

2. Qui jurisdictioni praeest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. *ff. de leg.*, *l.* 11. 12. & 26.

3. In iis, quae contra rationem juris constituta sunt, non possumus sequi regulam juris. *L.* 14. *eod. tit.*

4. Scire leges, non est earum verba tenere, sed vim, ac potestatem habere. *L.* 16. *eod. tit.*

5. Benignius leges interpretandae sunt, quo voluntas earum conservetur. *L.* 17. *eod. tit.*

6. In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quae vitio caret; praesertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit. *L.* 18. *eod. tit.*

7. Cum lex in praeteritum quid indulget, in futurum vetat. *L.* 21.

8. Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua ejus particula proposita, judicare, vel respondere. *L.* 23. *eod. tit.*

9. Nulla juris ratio, aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra commodum ipsorum perducamus ad severitatem. *L.* 24. *eod. tit.*

10. Contra legem facit qui id facit quod lex prohibet; in fraudem vero legis facit, qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit. *L.* 24. *eod. tit.* est Pauli jurisconsultissimi.

11. Fraus legi fit, ubi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit: & quod distat verbum ab intellectu, hoc distat fraus ab eo, quod contra legem fit. *L.* 29. *eod. tit.*

12. Rectissime illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium abrogentur. *L.* 31. *eod. tit.*

13. Optima legum interpres consuetudo *L.* 36. *eod. tit.*

14. In ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudo, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritas vim legis obtinere debet. *L.* 37. *eod. tit.*

15. Beneficium Imperatoris, quod ab ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus. *L. ult. ff. de Constit. Princ.*

16. Actionem ex improbitate sua

nemo conſequitur. *ff. de furtis, l. Itaque fullo*.

17. Si, ut maleficium fiat, promiſſum ſit, nulla eſt obligatio ex hac conventione ff. de pactis. *L. Juris gentium §. ſi ut maleficium.*

18. Quoties pactum a jure communi remotum eſt, ſervari hoc non Oportet. *In ead. l. §. Si paciſcar.*

19. Si ſtipulatio ſit interpoſita de his, pro quibus paciſci non licet, ſervanda non eſt, ſed omnino reſcindenda. *In ead. l., & eod. §.*

20. Pacta, quae turpem cauſam continent, non ſunt obſervanda. *L. Si unus §. Pacta ff. de pactis*.

21. Illud nulla pactione effici poteſt, ne dolus praeſtetur. *ff. de pactis l. Si unus §. Illud, & l. 1. §. Illud ff. depoſiti.*

22. Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt. *De juriſdictione omnium judicum l. 2.*

23. Quid enim tam contrarium eſt conſenſui, quam error, qui imperitiam detegit? *ff. eod. tit., l. Si per errorem, & in l. Ad probationem c. de loc. & cond.* dicitur in ſcientiam errantis non habere conſenſum, & in *l. Cum teſtamentum c. de juris, & facti ignorantia,* dicitur errantis nullam eſſe voluntatem, & in *l. Nota idcirco eod tit.* habetur errantis nullam eſſe voluntatem.

24. Nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit. *ff. de adimendis legatis, & fideicomm., l. Rem legatam*.

25. Non donat, qui neceſſariis operibus ſuccurrit. *ff. de donat. inter virum & uxorem, l. Si quis pro uxore.*

26. Digna vox eſt majeſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem profiteri. *ff. de leg., & conſtit. Princ. l. 4.*

27. De auctoritate juris noſtra pendet auctoritas *in ead. l.*, & revera major imperio eſt ſubmittere legibus Principatum. *In ead. l.*

28. Non quidquid judicis poteſtati permittitur, id ſubjicitur juris neceſſitati. *L. Omnem ff. de judiciis.*

29. Si delictum non ex animo, ſed extra venit, noxa non committitur. *Cap. Si adverſus delictum, l. 1.*

30. Id demum, quod major pars omnium judicavit, ratum eſt cum & omnes judicaſſe palam eſt. *L. 1.*

31. Si ex tribus arbitris unus in quindecim, alius in decem, tertius in quinque condemnet, quinque praeſtari debent: quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt *ex l. Diem proferre §. Si plures arbitri ff. de arbitris.* Eadem ſententia repetitur in *l. Inter pares ff. de re judicata*: ubi ſic: *Si diverſis ſummis condemnent judices, minimam ſummam ſpectandam eſſe Julianus ſcribit.*

32. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt, quam tutius. *ff. de reg. juris, l. Ea quae, reg. 153.*

33. Omnia, quae animi deſtinatione agenda ſunt, nonniſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt. *ff. eod. reg. 77.*

34. Non debeo melioris conditionis eſſe, quam auctor meus, a quo in me jus tranſit. *ff. eod. l. In omnibus offic.*

Digitized by Google

35. Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus. *ff. eod. l. Cum amplius.*

36. Nemo ex suo delicto conditionem meliorem facere potest. *ff. eod. reg.* 177.

37. Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere jus non habet. *ff. eod. l. Nemo damnum, reg.* 195.

38. Non videtur vim facere, qui jure suo utitur. *ff. eod. reg.* 198.

39. In pari causa possessor potior haberi debet. *ff. eod. reg.* 171.

40. Bona fides tantum possidendi praestat, quantum veritas; quoties lex impedimento non est. *ff. eod. l. Bona fides. reg.* 177.

41. Minus est actionem habere, quam rem. *ff. eod. reg.* 204.

42. Cum de lucro quaeritur, melior est conditio possidentis. *ff. de reg. juris reg.* 169.

43. Æquissimum visum est creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret. *ff. de solut. l.* 1.

44. Libertas omnibus rebus favorabilior est. *ff. de reg. juris l. Libertas reg.* 165.

45. Infinita est aestimatio libertatis, & necessitudinis. *Reg.* 137. *ff. eod.*

46. Servitutem mortalitati comparamus. *ff. eod. Servitutem reg.* 209.

47. Et si nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi aequitas exposcit, subveniendum est. *ff. eod. Et si nihil.*

48. Omnis definitio in jure civili periculosa est: parum est enim, ut subverti possit. *ff. eod. Omnis definitio reg.* 202.

PARAGRAPHUS III.

Sententiae ex diversis Marci Tulii libris collectae.

1. Lex est ratio summa insita in natura, quae jubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria. *Lib.* 1. *de leg.*

2. Lex est recta ratio imperandi, & prohibendi. *In eod. lib.*

3. Legem bonam a mala nulla alia re, nisi naturali norma dividere possumus. *In eod. lib.* 1. *de leg.*

4. Honesta, & turpia natura, non opinione judicanda sunt. *In eod. lib.*

5. Ipsum bonum non est in opinione, sed in natura. *Ibidem.*

6. Omnes viri boni ipsam aequitatem, & jus amant: nec est viri boni errare, & diligere quod per se non sit diligendum. 1. *de leg.*

7. Nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligere nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse jus. *In eod. lib.*

8. Injustam legem, non esse legem, probat. *In lib.* 2. *de leg.*

9. Natura norma legis est. *In eod. lib.* 2.

10. Opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. *In eod.*

11. Perjurii poena divina exitium, humana dedecus. *In eod.*

12. Ad divos adeunto caste: pie-

tatem adhibento: opes amovento, si qui secus, faxit, Deus ipse vindex erit. *In eod.* 2. *de leg.* Sancte vota reddunto. *Ambae hae sententiae in legibus erant Romanorum.*

13. Magistratus haec est vis, ut praesit, praescribat recta, & utilia, & conjuncta cum legibus. *In* 3. *de leg.*

14. Ut enim Magistratibus leges, ita populo praesunt Magistratus: vereque dici potest Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum Magistratum. *In eod. lib.*

15. Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est. *In eod.*

16. Non solum ut obediant Magistratibus, sed etiam ut eos colant, & diligant, praescribimus. *Ex eod.*

17. Justa imperia sunto: iisque cives modeste, & sine recusatione parento. *Lex erat haec Romanorum, in* 3. *de leg.*

18. Salus populi suprema lex esto. *Ex eod.* 3. *lib.*

19. Recte praecipiunt, qui fieri vetant, quod dubites, aequum sit, vel iniquum. *In* 3. *offic.*

20. Est iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectus. *Lib.* 3. *de leg.*

21. Ut enim cupiditatibus Principum infici solet tota civitas, sic emendari, & corrigi continentia. *In eod. lib.*

22. Nobilium vita, victuque mutato, mores mutari civitatum puto. *In eod.*

23. Principes vitiosi, plus exemplo, quam peccato nocent. *Lib.* 3. *de leg.*

24. Vi opprimi in bona causa est melius, quam male cedere. *In eod.*

25. Impediri bonam rem melius, quam concedi male. *In eod.*

26. Nihil tam contrarium juri, & legibus nihil minus civile, & humanum, quam composita, & constituta Republica quidquam agi per vim. *In eod.* 3.

27. Noxae poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur: vis capite, avaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia sanciatur. *In eod.* 3. *lib. de leg.*

28. Fundamenta justitiae sunt, ut ne cui noceatur, ut communi utilitati serviatur, & cum tempora commutantur, commutare officium, ut non semper sit idem. *In* 1. *de off.*

29. Fundamentum justitiae est fides, idest dictorum, conventorumque constantia, & veritas. *In eod. lib.*

30. Fides appellata est, quia fiat quod dictum est. *In eod.*

31. Promissa servanda non sunt, quae sunt iis, quibus promiseris inutilia. *In* 1. *&* 3. *off.*, nec si tibi plus noceant, quam illi prosint, cui promiseris. *In* 1. *off.*

32. Illis promissis standum non est, quae coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit. *In* 1. *off.*

33. Quod verum est, simplex, sincerumque, id est naturae hominis aptissimum. *In eod.*

34. Duobus modis fit injuria, vi, & fraude. Fraus quasi vulpeculae vis leonis videtur. Utrumque alienissi-

Digitized by Google

mum ab homine; sed fraus odio digna majore. *In eod.*

35. Totius injustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui tum cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur. *In* 1. *de off.*

36. Nullum officium referenda gratia magis necessarium est. *In eod. lib.*

37. Dare beneficium in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet. *In eod.*

38. Quidquid sine detrimento potest commodari, id cuique tribuendum est, vel ignoto. *In eod. lib.*

39. Vinculum humanae societatis est ratio, atque oratio. *In eod.* 1. *off.*

40. Offerre se periculis sine causa nihil stultius. *In eod. lib.*

41. Quae parva videntur esse delicta, neque a multis intelligi possunt, ab iis est diligentius declinandum. *In* 1. *off.*

42. Non attinet quidquam sequi, quod assequi nequeas. *In eod. lib.*

43. Studia nostra naturae regula metiamur. *In* 1. *off.*

44. Victus, cultusque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. *In eod. lib.*

45. Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia: nec vero agere quidquam, cujus non possis causam probabilem reddere: haec est enim fere descriptio officii. *In* 1. *de off.*

46. Cavendum, ne major poena, quam culpa sit. *In eod. lib. & in* 3. *de leg.*

47. Nobis a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sunt. *In* 1. *off.*

48. Sine verecundia nihil rectum esse potest; nihil honestum. 1. *offic.*

49. Opifices omnes in sordida arte versantur; nec vero quidquam ingenuum potest habere officina. *In eod. lib.*

50. Nihil est agricultura melius, nihil uberius, nil dulcius, nihil libero homine dignius. *In eod. lib.*

51. Nihil laudabilius, nihil magno, & praeclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. *In eod. lib.*

52. Ut enim tutela, sic procuratio Reipublicae ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa gerenda est. *In* 1. *off.*

53. Negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. *Ex* 1. *de off.*

54. Contemnuntur ii, qui nec sibi, nec alteri prosunt, ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. *In* 2. *off.*

55. Jus non esset, nisi esset aequabile. *In eod. lib.*

56. Fundamentum perpetuae commendationis, & famae est justitia. *In eod.*

57. Rem familiarem dilabi sinere flagitiosum est. *In* 2. *off.*

58. Habere quaestui Rempub. non modo turpe est, sed sceleratum, & nefarium. *In eod.*

59. Omnes immemores beneficii oderunt. *In* 2. *off.*

60. Multa, quae natura videntur honesta, temporibus fiunt non honesta.

Digitized by Google

In 3. *off.* (Id tamen de lege naturali non est intelligendum).

61. Vir bonus nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. 3 *off.*

62. Hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors. *In eod. lib.* Ubi id praeclaris conficit argumentis.

63. Homo naturae obediens homini nocere non potest. *In eod. lib.* Suae cuique utilitati, quod sine alterius injuria fiat, serviendum est. *In eod. lib.*

64. Hoc ipsum utile putare, quod turpe sit, calamitosum est. *In* 3. *offic.*

65. Eadem quae utilitatis, honestatis est regula. *In eod.*

66. Dolus malus est, quum aliud est simulatum, aliud actum. Ex definitione Aquilii. *In eod.* 3. *de offic.*

67. Vir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet nemini. *In eod. lib.* Sed post aliquanto addit; nisi lacessitus injuria.

68. Nihil, quod crudele, utile: est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. *In eod. lib.* 3. *de off.*

69. Qui non propulsat injuriam a suis, injuste facit. *In eod. lib.*

70. Vir bonus ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat praedicare. *In eod.* 3. *off.*

71. Caro ad fidem bonam statuit pertinere notum esse emptori vitium, quod nosset venditor. *In* 3. *off.*

72. Ratio postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter (fiat) *In* 3. *off.*

73. Quoniam juris natura fons est; hoc intelligitur secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscitia: nec ulla pernicies vitae major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiae. *In* 3. *off.*

74. Nihil quisquam debet, nisi quod est turpe, non reddere: in eo paradoxo, quod sapientes liberi, & stulti servi.

75. Id quod imperatur necessarium; illud, quod permittitur, voluntarium est. *In* 2. *de invent.*

76. Leges in consilio scriptoris, & utilitate communi consistunt. *In eod. lib.*

77. Indignum est aequitatem litteris legis urgeri, quae voluntate ejus, qui scripsit, defenditur. *In eod. lib.*

78. Velle, quod non deceat, idipsum miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat. Ex lib. de philosophia, sive Hortensio, *apud Augustinum lib.* 13. *de Trinit. cap.* 3.

79. Quae perdifficilia sunt, perinde habenda saepe sunt, ac si effici non possint. *In partitionib. orat., ubi de genere deliberandi.*

80. Quod per magni interest, pro necessitate saepe habetur.

81. Infelices, qui omnia sibi licere existimant. *Ex incerto ad Varronem.*

CAPUT X.

De legum humanarum abrogatione & cessatione.

ARTICULUS I.

De humanarum legum abrogatione.

SUMMARIA

1. *Exponitur differentia inter abrogationem, derogationem, subrogationem, & cessationem legis.*
2. *Lex primo abrogari potest ab ipso legislatore.*
3. *Secundo a successore.*
4. *Tertio ab ipso Superiore.*
5. *Ad abrogationem requiritur justa caussa.*
6. *Sine justa causa lex quidem valide, sed non licite abrogatur.*
7. *Duae numerantur justae causae abrogationis legis.*
8. *Potest Episcopus leges synodi Dioecesanae tam extra, quam intra synodum editas abrogare.*
9. *Episcopus non potest abrogare constitutiones synodi Dioecesanae a Pontifice confirmatas in forma specifica, bene vero, in forma communi.*
10. *Lex generalis per aliam generalem, specialis per specialem contrariam censetur revocata.*

An lex possit abrogari, & a quo.

1. Ante responsionem attendenda est differentia, quae intercedit inter abrogationem, derogationem, subrogationem, & cessationem legis. Abrogatio legis est abolitio legis in totum: derogatio abolitio legis in parte (1): subrogatio est adjectio legi facta (2): cessatio est simplex, & pura legis desitio. His praemissis.

(1) Derogatur legi, cum pars detrahitur, abrogatur lex, cum prorsus tollitur. *L.* 102. *ff. de verb. sign.*

(2) *Ulpianus in fragment. tit.* 1. §. 1.

℞. Legem ex justa caussa licite, & valide posse abrogari, primo a legislatore, secundo ab ejus successore, tertio ab ejus superiore.

2. Et primo lex abrogari potest ab ipso legislatore. Cum enim legis vis tota pendeat a summi imperantis voluntate, & potestate (1), ejus voluntate cessante, cessare debet lex. Hinc ajebat Augustinus (2): „ lex „ temporalis, quamvis justa sit, com- „ mutari tamen pro tempore juste „ potest. Quare si populus sit (3) „ bene moratus, & gravis, commu- „ nisque utilitatis diligentissimus cu- „ stos, recte lex fertur, qua tali „ populo liceat creare sibi Magi- „ stratus, per quos Respublica admi- „ nistratur. Porro si paullatim idem „ populus depravatus habeat venale „ suffragium, & regimen flagitiosis, „ sceleratisque committat, recte adi- „ mitur populo talis potestas dandi „ honores, & ad paucorum bonorum „ redit arbitrium. " Item Justinianus (4) *nostras*, inquit, *leges emendare nos non piget.*

Digitized by Google

(1) *Arg. L. 1. ff. de Const.*

(2) *Lib. 1. de lib. arbitr.*

(3) *Augustinus ibid.*

(4) *Nov. 187. Adde cap. 8. de Consanguin., & affin., & cap.* Alma mater 24. *de sent. excom. in 6.*

3. Potest quoque lex abrogari a successore legislatoris; nam iste succedit cum aequali potestate; ergo potest id totum, quod ipsemet legislator, *Quia praedecessor nullum successoribus potest praejudicium afferre, qui pari, imo eadem potestate functuri sunt* (1). Hinc Carolus Emmanuel non solum suas, sed & suorum praedecessorum leges abrogavit, quae in Regiis constitutionibus a se editis non essent comprehensae, iisdemque essent contrariae (2).

(1) *Cap.* Innotuit *de elect.*

(2) *In proemio R. Const.* §. 3.

4. Potest demum lex abrogari ab ipso Superiore in eodem genere. Etenim Superior majori donatus est jurisdictione, quam ipse legislator; ergo si legislator potest legem abrogare, poterit & ipse Superior. Dixi in eodem genere; nam si quis alteri antecellat gradu, & dignitate, neutiquam jurisdictione, non poterit ejus leges abrogare. Sic summus Pontifex, quamvis ejus potestas, & jurisdictio sit excellentior omni alia dignitate, & potestate Principum secularium; quia tamen haec potestas est in alio genere, nec subordinata potestati Pontificis, non poterit leges temporales a Principibus constitutas abrogare.

5. Dixi ex justa caussa; quia „ non „ debet reprehensibile judicari, si „ canonum conditor canones a se, „ vel a suis praedecessoribus editos; „ vel aliqua in iisdem contenta ca- „ nonibus revocare, modificare, vel „ suspendere studeat, si ea obesse „ potius viderit, quam prodesse (1).

(1) *Extravag. Joannis XXII.* Quia nunquam *de verb. signif.*

6. Si tamen justa causa non intercedat, valide quidem, sed non licite lex abrogabitur. Valide; nam, ut dictum est, tota vis legis pendet a voluntate legislatoris; ergo ea cessante corruere debet lex. Illicite tamen; peccaret enim sive legislator, sive successor, sive Superior legem abrogando absque justa causa. Primo quia abuteretur potestate sua in damnum communitatis, cujus utilitati lex inserviebat. Secundo quia nova lex saepe novas excitat querelas, & ad commotiones populos inducit; quare ajebat Augustinus (1): *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam qua adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Et Benedictus II. (2): *plerumque pariunt novitates discordiam, praesertim cum ab eo, quod diu aequum visum est, per novam constitutionem receditur; nec quare recedatur utilitas evidens, vel alia caussa subest.* Concinit jus civile (3): *In rebus nostris constituendis, evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod jure diu aequum visum est.* Hinc abrogatio legis non praesumitur, cum credibile non sit,

Digitized by Google

legem a se latam evertere velle legislatorem (4).

(1) *Epist.* 88. *cap.* 5.

(2) *In extrav.* Inter cunctas 1. *de Privil.* §. Sane.

(3) *L.* 2. *ff. de Const.*

(4) *L.* 35. *in princ. cod. de Inoff. test. l.* Praecipimus *cod. de Appellat.*

7. Duae sunt justae caussae, ob quas lex humana abrogari potest. Prima petitur ex parte legislatorum, *qui non valentes omnia ex seipsis considerare, instituerunt quaedam imperfecta in multis deficientia, quae posteriores mutaverunt instituentes aliqua, quae in paucioribus deficere possunt a communi utilitate. Altera ex parte hominum ...... quibus secundum diversas eorum conditiones* (addi potest vicissitudines, & tempora) *diversa expediunt*. Haec ex s. Thoma (1).

(1) 1. 2. *q.* 97. *art.* 1.

8. An Episcopus abrogare possit leges Synodi Dioecesanae.

℟. Episcopum non solum leges extra, sed intra Synodum editas, & promulgatas abrogare posse; quia potestas ferendi leges tota residet in solo Episcopo, non vero in Parochis, Abbatibus, Doctoribus, qui synodo intersunt, non ut judices, sed ut consiliarii; habentque propterea vocem solum consultivam, non vero decisivam; ergo & potestas abrogandi leges in solo Episcopo invenitur. Quamvis autem summus Pontifex possit abrogare omnes leges editas ab Episcopo sive extra, sive intra synodum propter potestatem jurisdictionis, quam obtinet in universam Ecclesiam; non poterit tamen Archiepiscopus leges Episcoporum etiam suffraganeorum abrogare, cum gradu, & dignitate Episcopis praemineat, non vero jurisdictione.

An, si constitutiones synodi Dioecesanae a sede Apostolica fuerint confirmatae, possint adhuc ab Episcopo abrogari.

9. ℟. Benedictum XIV. (1), postquam recensuit varias hac de re sententias, ita scribit: „ Caeteris praeferenda videtur sententia Fagnani in capitulum si quis a num. 11. usque ad 24. *de confirmatione utili, vel inutili*, ubi distinguendum docet inter confirmationem, quam vocant *in forma communi*, & confirmationem *in forma specifica*. In forma specifica fieri dicitur, cui praemittitur caussae cognitio, & singula statuta diligenter expenduntur, ac deinde nulla adjecta conditione auctoritate Apostolica cum clausula *motu proprio*, atque ex *certa scientia* confirmantur. In forma communi confirmari dicuntur statuta, quae non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice *motu proprio*, & ex *certa scientia*, atque Apostolicae auctoritatis robur illis non adjicitur absolute, sed solum conditionate, *videlicet si juste, canonice, aut provide facta sint, & dummodo sacris canonibus, Tridentini concilii decretis, & constitutionibus Apostolicis non adversentur*: quam postre-

Digitized by Google

„ mam conditionem omnibus statu-
„ torum confirmationibus in forma
„ communi hodie exprimi, atque
„ apponi solere idem Fagnanus n.
„ 18. testatur. Jam vero pergit Fa-
„ gnanus, statuto confirmato *in for-*
„ *ma specifica*, cum naturam indue-
„ rit legis Pontificiae nulli inferio-
„ rum fas est derogare, statutum
„ vero confirmatum *in forma com-*
„ *muni* integrum est statuentibus de-
„ lere, atque ab illius obligatione
„ aliquem ex justa causa subtrahe-
„ re. Etenim talis confirmatio nihil
„ novi juris, aut efficacitatis illis
„ tribuit, qua antea carerent.

(1) *De syn. Dioec. lib.* 13. *cap.* 5. *num.* 11.

An lex censeatur revocata per aliam legem posteriorem contrariam.

10. ℟. Legem generalem per generalem contrariam, & legem specialem per specialem contrariam esse revocatam, ne alioquin inutilis sit lex posterior. Hinc in jure civili dicitur (1): *Sed & posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariae sint.* At lex specialis non censetur revocata per generalem posteriorem sibi contrariam, nisi de ea fiat specialis mentio. Ita Bonifacius VIII. (2) his verbis: „ licet Romanus Pontifex,
„ qui jura omnia in scrinio pectoris
„ sui censetur habere constitutionem
„ condendo posteriorem, priorem,
„ quamvis de ipsa mentionem non
„ faciat, revocare noscatur; quia
„ tamen locorum specialium, & per-
„ sonarum singularium consuetudi-
„ nes, & statuta (cum sint facti,
„ & in facto consistant) potest pro-
„ babiliter ignorare ipsis (dum ta-
„ men sunt rationabilia) per con-
„ suetudinem a se noviter editam,
„ nisi expresse caveatur in ipsa, non
„ intelligitur in aliquo derogare; "
vel nisi aliunde ex quibusdam nempe indiciis constet talem esse mentem legislatoris (3). His adde illud juris principium (4): per speciem generi derogari, non vero speciei per genus.

(1) *L.* Sed & posteriores *ff. de leg.*

(2) *Cap.* Licet 10. *de Const. in* 6.

(3) *L.* Praetor 3. §. 5. *ff. de Sepulc. violat.*

(3) *L.* Sanctio 41. *ff. de Poenis. L.* In toto 81. *ff. de Reg. jur.*

11. Vidimus jam supra (pag. 117. n. 3.) Utramque potestatem, Ecclesiasticam scilicet, & civilem in suo ordine absolutam esse, & independentem; ergo nec Ecclesia Principum leges abrogare, ejusque jura invadere, nec Princeps Ecclesiae leges tollere, ejus jura destruere, vota relaxare, jurisdictionem Episcoporum, aliorumque Superiorum in suos subditos, utpote spiritualem evertere poterit. Audiant haeretici aliter sentientes Grotium (1): *Imperatorum & Regum aliquod esse officium etiam circa res Ecclesiae in confesso est: at non quale in saeculi negotiis; ad tutandos, non ad violandos canones jus hoc comparatum est. Namquum Principes filii sint Ecclesiae,*

non debent vi in matrem uti. Omne corpus sociale jus habet quaedam constituendi, quibus membra obligentur. Hoc jus etiam Ecclesiae competere apparet Act. 15. Heb. 13. ...... *in membris autem Ecclesiae sunt & Principes Christiani. Faciendus de Martiano ait: Imperator Sacerdotalium non praevius, sed pedissequus praeceptorum.*

(1) *Rivetiani Apologetici discussio tom.* 4.

ARTICULUS II.

De cessatione legis humanae.

SUMMARIA

1. *Praemittitur finem legis cessare dupliciter* contrarie, & negative.
2. *Asseritur cessare legem cessante fine legis totali, & adaequato in communi.*
3. *Tali fine cessante, opus non est, ut fiat recursus ad Principem.*
4. *Cessante fine totali, & adaequato in aliquo particulari casu, cessat quoque ipsa lex.*
5. *Assignatur primum exemplum cessationis legis in aliquo casu particulari.*
6. *Assignatur aliud exemplum.*
7. *Assignatur tertium exemplum.*
8. *Non est praesumendum legem in aliquo particulari casu cessare, nisi aperte constet de mente legislatoris.*
9. *Solvitur prima objectio.*
10. *Solvitur secunda objectio.*

An cessante fine legis lex ipsa cesset.

Ante responsionem praemittendum, primo legis cessationem esse puram, & simplicem legis desitionem.

1. Praemittendum secundo finem legis cessare posse dupliciter, *contrarie* scilicet, & *negative*. Cessat finis legis *contrarie*, quando lex fini a legislatore intento evadit non solum inutilis, sed etiam nociva, puta si materia legis ex aliquo eventu, aut circumstantia fiat juri naturali, aut divino repugnans. Cessat autem finis legis *negative* tantum, quando lex fini a legislatore intento fit simpliciter inutilis, puta si non amplius consistat ratio, ob quam lex fuit condita, sed materia iniqua non evadat. His positis

2. Dico cessante simpliciter, & absolute fine legis totali, & adaequato in communi, seu respectu totius communitatis, sive *contrarie*, sive *negative* legem omnino cessare. Enim vero omnis lex ut vera sit, & obligationem inducat, debet esse utilis bono communi (dissert. 1. cap. 1. n. 7.); atqui cessante totali ratione, propter quam erat utilis lex, jam evadit inutilis bono publico; ergo cessante simpliciter, & absolutae fine legis totali, & adaequato in communi, lex desinit obligare; cessante enim caussa, cessat effectus (1), & sicuti lex ab initio sine ratione lata, seu non subsistente causa finali non obligaret, cum ratio legis sit anima

legis (2); ita etiam postquam lata est, desinente totali ejus caussa, & ratione debet desinere ejus obligatio, cum inutilis tunc sit, & supervacanea. Hinc cum Apostoli tulissent legem de abstinentia a sanguine, & suffocato a fidelibus praestanda, ut Judaei ab iis abhorrentes facilius ad nostram religionem pervenirent, cessante interea temporis progressu tali fine, cessavit pariter ea lex.

(1) *Cap.* Cum cessante 60. *de Appellat.* cum cessante caussa cesset effectus *l.* 6. §. 2. *de jurepat.*

(2) *Arg. legis* Cum ratio *ff. de bonis damnat.*

Dixi primo cessante fine legis totali, & adaequato, quia si cessaret tantum finis partialis, non ideo desineret lex obligare, cum adhuc persisteret alter finis; quamobrem si a Pontifice indictum esset jejunium ob duos fines, puta ad obtinendam serenitatem, & pacem, obtenta serenitate, sed non pace, non propterea desineret lex.

Dixi secundo cessante simpliciter, & absolute, nam si finis totalis, & adaequatus ad tempus solum cessaret, ad tempus solum lex desineret, seu pro eo tempore suspendetur lex; reviviscente autem fine legis, suas iterum lex recuperabit vires.

3. Ex his consequitur cessante simpliciter, & absolute fine legis totali, & adaequato in communi, nullo opus esse recursu ad Principem, ut legem abroget. Quare si jejunium indictum esset ad pacem obtinendam, pace obtenta, cessaret lex sine ulla Principis declaratione. Ut quid enim requireretur haec declaratio in re omnino evidenti? Audiamus D. Thomam (1): *Nam si caussa sit evidens*, inquit ipse, *per seipsum licite potest homo statuti observantiam praeterire, praesertim consuetudine interveniente, vel si non possit de facili recursus ad Superiorem haberi.*

(1) 2. 2. *q.* 147. *art.* 4.

An cessante in aliquo particulari casu fine legis totali, & adaequato, cesset ipsa lex.

4. ℟. Cessare non solum quando finis legis respectu alicujus personae cessat *contrarie*, cum nempe fit lex illi personae graviter nociva; quo in casu utendum esse epichia supra ex legibus probavimus; verum etiam quando finis legis respectu alicujus personae cessat *negative*; nam finis legis est anima legis (1); ergo eo sublato lex cesset, necesse est. Adde quod lex suam exerit obligationem non tantum respectu omnium, sed & respectu singulorum; ergo sicuti deficiente fine legis in communi, lex deficit, ita deficere quoque debet deficiente fine legis respectu alicujus particularis personae.

(1) *Argum. leg.* Cum ratio *ff. de Bonis damnat.*

5. Hinc cum finis totalis, & adaequatus correctionis fraternae sit emendatio delinquentis, cessante spe emendationis respectu alicujus personae, cessabit pariter lex, etiamsi nullum damnum spirituale timeatur ex ipsa

correctione, cum Spiritus Sanctus his verbis (1) nos moneat: *Ubi non est auditus, ibi non effundas sermonem.*

(1) *Ecclesiastici cap.* 32. *v.* 6.

6. Similiter quamvis lege cautum esset (1) amitti patronatum, si Patronus libertum adegisset jurejurando ad uxorem non ducendam, respondet tamen jurisconsultus *quamvis nulla persona a lege excipiatur, tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt*, ideoque si a castrato liberto tale exactum sit juramentum, patronus poenam non incurrit, quia in hoc casu particulari deficit finis legis.

(1) *L.* 6. §. 2. *ff. de jur. patron.*

7. Sic etiam quamvis reservatio lata in Clericos omnes in quocumque ordine constitutos incedentes sine habitu nigri coloris (1) generalis sit, non comprehendit tamen eos, qui aut in proprio viridario deambulant, aut in loco exteris hominibus inaccesso (2), cum in hoc casu locum non habeat finis a Superiore intentus.

(1) *Casu* 7. *reserv.*

(2) *In explic. ejusd. cas.* 7. *facta ab Archiep. Rorà fel. rec.*

8. Verum cum leges in singulares personas non constituantur (1), & non respiciant communiter casus speciales, sed ea, quae ferme semper contingunt (2); nunquam judicandum est legem in aliquo casu particulari cessare, nisi de mente legislatoris aperte constet.

(1) *L.* 8. *ff. de leg.*

(2) *L.* 4. Ex his. *ff. de leg.*

Ergo, inquies, cum lex prohibeat matrimonium clandestinum ob periculum fraudum, lectionem librorum prohibitorum ob periculum perversionis, si quis prudenter judicet nullum sibi esse in matrimonio contrahendo probabile periculum fraudum, vel in lectione librorum prohibitorum perversionis periculum, poterit matrimonium clandestine contrahere, vel libros prohibitos legere absque licentia.

9. ℟. Finem legis totalem, & adaequatum in prohibitione matrimonii clandestini, vel lectionis librorum prohibitorum (idem dic de similibus legibus) non esse periculum fraudis, vel perversionis periculum respectu hujus, vel alterius personae, sed quod ex matrimonio clandestino ut plurimum fraudes, dissensiones, ex lectione librorum prohibitorum ut plurimum morum, & fidei perversiones oriantur. Ergo, cum lex non respiciat in matrimonio contrahendo periculum fraudis in his, vel illis personis, in lectione librorum prohibitorum periculum perversionis in hoc, vel illo homine, dici non potest, quod finis totalis, & adaequatus respectu alicujus personae cesset.

Inquies secundo, in casibus allatis non cessat lex in aliquo particulari casu, sed potius lex casus illos non comprehendit.

10. ℟. re bene inspecta idem esse legem casus illos non comprehende-

Digitized by Google

re, ac finem legis totalem, & adaequatum in particulari casu cessare, ut attendenti patet.

CAPUT XI.

De quibusdam legibus peculiaribus poenali scilicet, irritante, & tributorum.

ARTICULUS I.

De lege poenali.

SUMMARIA

1. *Tres distinguuntur leges a pluribus, praecipientes, aut prohibentes tantum, poenales, & mixtae.*
2. *Referuntur sententiae circa has leges.*
3. *Impugnatur sententia Puffendorfii, aliorumque.*
4. *Solvitur objectio.*
5. *Refellitur sententia Navarri.*
6. *Nullas esse admittendas leges mere poenales probatur.*
7. *Objectiones proponuntur.*
8. ℟. *ad primam.*
9. ℟. *ad secundam.*
10. ℟. *ad tertiam.*
11. *In legibus sub disjunctione latis solvenda est ante judicis sententiam statuta poena.*
12. *Assignatur regula ad cognoscendum, an lex lata sit sub disjunctione, an sub poena implicite continens praeceptum.*

1. Tres quoad praesentem disputationem distinguuntur leges a Theologis: aliae sunt, quae praecipiunt, aut prohibent tantum, nulla adjecta poenae sanctione: aliae, quae poenam solum imponunt, quas mere poenales appellant: aliae demum, quae praecipiunt, vel prohibent, & simul poenam addunt, & has mixtas dixerunt.

2. Variae circa has leges fuerunt sententiae. Puffendorfius, Barbeyracius, aliique censuerunt leges, quibus nulla adjecta esset poena, non esse perfectas, ideoque perfectam obligationem parere non posse. Salmanticenses (1) arbitrati sunt leges mere poenales, in quibus nempe non exprimitur Superioris praeceptum, quamvis gravissimas poenas, puta mortis, exilii &c. sanciant, in conscientia non obligare. Navarrus (2) demum, aliique pauci sententiam e diametro Puffendorfii opinioni oppositam tutati sunt. Isti enim, eo ipso, quo legi etiam praecipienti adjecta est poena, collegerunt legislatorem ad poenam solum voluisse obligare.

(1) *Tract.* 11. *cap.* 11. *punct.* 3.

(2) *In manual. cap.* 23. *n.* 55.

3. Puffendorfii, Barbeyracii, aliorumque sententiam falsam esse constat ex superius dictis, ubi demonstravimus leges in genere vim obligandi in conscientia habere. Et sane tota vis legis pendet a voluntate Principis (1), ergo si praecipiat, vel vetet absque poenae sanctione, erit ei in conscientia obtemperandum; cum a Principe poena legi adjiciatur, non ut inde oriatur obligatio

Digitized by Google

in subditis, sed ut poenae timore inducantur ad legem implendam.

(1) *L.* 1. *ff. de Constit. Princ.*

4. Nec est, quod reponant, perfectam obligationem nonnisi perfectae legi respondere; perfectam autem legem non esse, quae poenae sanctione careat; nam quamvis haec lex dici possit aliquo modo imperfecta quantum ad sui observantiam, eo quod cum pauci sint, qui virtutis amore ducantur, ab his solum, non vero a reliquis lex observaretur. Ast tamen est perfecta quantum ad sui obligationem, ut ostensum est. Re enim vera finge singulos unius Reipublicae cives justos esse, isti tamen legibus indigerent, ut Reipublicae status ordinaretur, legibus inquam dirigentibus, non vero poenam sancientibus, quia vir justus ex solo virtutis amore, non vero ex poenae timore ad suum implendum officium inducitur. Si autem dixeris cives hujus Reipublicae obligatos non esse ad leges, idem est, ac si dixeris nulla obligatione teneri ad bonum publicum promovendum, quod ex legum observatione consurgit.

5. Non minus falsa est sententia Navarri, aliorumque contendentium leges humanas, si praecepto poenam adjiciunt, ad poenam quidem, neutiquam ad culpam obligare. Haec enim sententia merito ab omnibus est rejicienda, quia poena legibus non adjicitur, ut obligatio tollatur, sed ut potius ad eas observandas efficacius homines inducantur; neque enim poenae adjectione praecepti natura immutatur (1). Id eruitur etiam ex hac lege divina (2): *De ligno scientiae boni, & mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eò, morte morieris*. Idem ex hac alia (3) constat: *Septem diebus fermentum non apparebit in domibus vestris. Qui comederit fermentatum peribit anima ejus de coetu Israel*. Et sane si vera esset Navarri sententia, posset miles, cui in bello sub poena mortis imponitur vigilia, absque mortali peccato non vigilare: modo *tam caute legem transgredi possit, ut non subsit periculo, ut deprehendatur*, ait Viva ex Diana (4). At quis non videat, quantum haec doctrina Principum potestati, & publicae tranquillitati adversa sit.

(1) *Arg. l. ult. de Ritu nupt.*, *l.* 5. *& 6. cod. de Incest. nupt.*

(2) *Genesis* 2. *v.* 17.

(3) *Exodi* 12. *v.* 15.

(4) *Tom.* 1. *de leg. q.* 4. *art.* 2.

Superest difficultas, an admittendae sint leges pure poenales, quae scilicet, quia nullam mentionem praecepti, aut prohibitionis faciunt, sed solius poenae, hinc plures sentiunt obligare solum ad poenam, non vero ad culpam.

Nobis probabilior videtur ea sententia quae docet has leges, quae mere poenales vocantur, ad utrumque, ad poenam scilicet, & ad culpam obligare.

6. Et primo quidem leges, quae ab Imperatoribus infidelibus ferebantur, nullam ferme semper expressam prae-

Digitized by Google

cepti, aut prohibitionis mentionem continebant; imo ne de obliganda quidem conscientia Imperatores cogitabant; & tamen leges illae ex Apostolis Petro (1), & Paulo (2) non solum ad poenam, sed ad culpam obligabant.

(1) Subditi estote propter Deum ... Quia sic est voluntas Dei. 1. *Petri c.2.*

(2) Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. *Ad Rom.* 13.

Secundo. Natura legis, ut distinguitur a consilio, veram obligationem importat (1); ergo, si leges poenales sunt verae leges, veram in conscientia obligationem inducunt.

(1) *L.* 2. *ff. & l.* 3. *cod. de leg. & cap.* 1. *de constitut.*: Canonum statuta custodiantur ab omnibus.

Tertio. Omnis poena nonnisi propter culpam infligitur: omnis enim poena juridica ultio est, atque vindicta; ultio autem, atque vindicta nonnisi pro vera culpa infligenda est. *Omnis poena*, inquit Augustinus (1), *si justa est, peccati poena est, & supplicium nominatur*. Sed leges poenales poenam infligunt in transgressores; ergo culpam supponunt.

(1) *Lib.*1. *retract. cap.* 9.

Quarto. Demum, qui ignorantia invincibili ductus, legem poenalem transgreditur, nulla mulctatur poena; quorsum ita? nisi quia nullam committit culpam.

7. Quid ad haec adversarii? objiciunt primo regulam juris (1) his conceptam verbis: *Sine sua culpa, (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus*; ergo, cum subest caussa, sine culpa etiam poena infligenda est. Ajunt secundo odia esse restringenda (2), ideoque leges poenales esse ad solam poenam coarctandas. Subdunt tertio dari leges, quae statuunt, aut ne quid fiat, aut si fiat, certa poena solvatur, sed hujusmodi leges, omnibus fatentibus, ad culpam non obligant, sed solum ad poenam, ergo dantur leges mere poenales, quae ad poenam solum, non vero ad culpam adstringunt.

(1) *Reg.* 23. *juris in* 6.

(2) *Reg.* 15. *juris in* 6.

8. ℟. ad primum, regulam illam intelligendam esse de eo casu, in quo bonum publicum expostulat, ut quis re sua privetur, ut est in praescriptione, in qua ob bonum publicum res de uno in alterum transfertur, licet in primo possessore nulla sit culpa; unde regula illa sic interpretanda est: sine sua culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus, idest non est re sua privandus. At in legibus poenalibus aliter disserendum est; nam bonum publicum exposcit, ut subditi non solum obligentur ad poenam, verum etiam ad culpam, ut sic efficacius finis legislatoris obtineatur, qui est, ut subditi abstineant ab iis actibus, quibus poena imposita est.

9. ℟. ad secundum, leges quidem poenales esse emoliendas eo modo, quo diximus de legum interpretatione, sed non ita, ut legis natura de-

Digitized by Google

struatur. Lex enim, quae vera est, ad sui observantiam necessario inducit, ut ex secunda probatione constat.

10. ℟. ad tertium, latissimum esse discrimen inter leges, quae feruntur sub disjunctione, & inter leges poenales. Primae propriae leges non sunt; quia non obligant determinate ad actum ponendum, vel omittendum, sed optionem faciunt ex. gr. aut non gestandi gladii, aut pecuniam solvendi; unde si quis velit gestare gladium, tenebitur quidem solvere pecuniam; sed hujusmodi solutio habebit rationem oneris, vel pretii, vel compensationis, neutiquam vero poenae; cum poena proprie dicta culpam supponat, ut patet ex tertia probatione. Huic sententiae favet S. Thomas (1), qui postquam dixit in religione Ordinis Praedicatorum dari transgressiones, vel omissiones non obligantes *ad culpam neque mortalem, neque venialem, sed solum ad poenam tantum sustinendam* in responsione ad secundum tradit: *Non omnia, quae continentur in lege tradi per modum praecepti, sed quaedam proponi per modum ordinationis cujusdam, vel statuti obligantis ad certam poenam.*

(1) 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1.

11. Caeterum, etsi concedamus leges sub disjunctione latas esse veras leges; eo quod, posito actu, qui permittitur sub tali poena, obligent ad poenam subeundam, aberrant tamen plures Theologi, dum concludunt non esse solvendam poenam ab iis, qui posuerunt actum, qui permittebatur sub tali poena, nisi fuerint deprehensi; ajentes poenam non esse solvendam ante sententiam judicis. Quum enim in hoc casu actus permittatur a lege sub conditione aliquid solvendi; qui beneficio gaudet introducendi ex. gr. merces in alienum territorium, eo ipso incommodum sentire debet solvendi ante sententiam judicis statutam poenam.

Undenam cognosci possit, quando lex expresse praeceptum non continet, an sit lex poenalis praeceptum implicite continens, an lex sub disjunctione dans facultatem aliquid faciendi, modo certa solvatur poena?

12. ℟. primo id cognosci ex verbis, quibus lex concepta est. Si enim lex his verbis exprimatur: *Quicumque voluerit mercem in civitatem invehere, solvat centum* lex haec, ut per se patet, non erit poenalis, sed sub disjunctione: secundo, si ex verbis cognosci non possit, attendenda erit materia legis, quae si multum conferat ad bonum publicum, lex erit poenalis continens implicite praeceptum. Tertio ex poenae qualitate: lex enim, quae graves imponit poenas, puta mortis, exilii perpetui &c. censeri debet praeceptiva. In dubio lex judicari debet praeceptum continere; quia lex ex sui natura obligat ad agendum; unde, si non obligat, est exceptio a regula, quae praesumi non debet, sed probari.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS UNICUS.

De modo, quo leges ad poenam obligant.

SUMMARIA

1. *Definiuntur poenae latae, & ferendae sententiae.*
2. *Explicatur, quaenam sit sententia judicis condemnatoria, quaenam declaratoria.*
3. *Poenae aliae sunt activae, aliae privativae, aliae conditionales, & simul definiuntur.*
4. *Poenae ferendae sententiae non incurruntur ante judicis sententiam.*
5. *Plures poenae latae sententiae nullam requirentes delinquentis actionem sunt subeundae ante judicis sententiam declaratoriam.*
6. *Poenae latae sententiae activae, seu positivae regulariter non incurruntur ante sententiam judicis declaratoriam.*
7. *Solvitur objectio.*
8. *Beneficiarius ob delictum beneficio ipsum privans non tenetur dimittere beneficium ante judicis sententiam declaratoriam.*
9. *Poenae latae sententiae conditionales suum obtinent effectum ante quamcumque judicis sententiam.*
10. *Poenae inhabiles reddentes personas ante omnem sententiam obligant.*
11. *Reus tenetur in se exequi poenam positivam, si moderata sit, secus si sit ab hominum moribus aliena.*
12. *Judex inferior, non vero supremus tenetur poenam a legibus statutam infligere.*

1. Poenae aliae sunt latae, aliae ferendae sententiae. Primae illae sunt, quae ab ipsa lege infliguntur; secundae vero, quas lex decernit per judicem infligendas.

2. Sententia judicis alia est condemnatoria, alia declaratoria criminis. Illa reum condemnat, eique poenam infligit, & effectum suum sortiri incipit a tempore, quo profertur. Haec declarat crimen commissum fuisse, cui lex ipsa poenam infligit, & retrotrahitur ad tempus delicti, statimque ab eo tempore effectum suum sortitur.

3. Rursus poenae aliae sunt activae, quae executioni mandari non possunt absque aliqua actione delinquentis, ut occisio, mutilatio, pecuniae solutio &c.; aliae sunt privativae, quae consistunt in mera privatione alicujus rei, nec ulla indigent actione delinquentis, ut suum effectum habeant, ut censurae, irregularitates, & his similes; aliae juxta plures sunt conditionales, quae privant aliquo jure sub certa conditione alicui concesso. Hae autem proprie poenae non sunt, sed negationes alicujus favoris sub conditione concessi, qua non posita non acquiritur favor. Idem dicendum de poenis actum irritantibus. His positis.

4. Dico primo, poenae ferendae sententiae non incurruntur ante judicis sententiam; nam lex hoc in casu

Digitized by Google

poenam non infligit, sed solum decernit infligendam per judicem, ergo vi legis nullus tenetur subire poenam ante judicis sententiam.

5. Dico secundo, poenae latae sententiae, quae nullam delinquentis actionem requirunt, a transgressoribus sunt subeundae ante judicis sententiam declaratoriam; id enim constat ex usu, & consuetudine ubique recepta; sic censurae, irregularitates &c. nullam requirunt sententiam judicis declaratoriam. Sic usu, & consuetudine receptum pariter est, ut absque ulla judicis sententia incurratur poena, qua conjuges ob incestus crimen cum alterius consanguineo intra secundum gradum arceantur a debiti petitione. Aliter sentiunt plures de privatione vocis activae, & passivae, quia, inquiunt, poenae privativae non incurruntur ante sententiam judicis declaratoriam, nisi aliud ferat consuetudo; nulla autem est consuetudo, ut poena privationis vocis activae, & passivae incurratur ante sententiam judicis declaratoriam. "Ratio, quam assignant, *ait Concina* (1), valde „ congrua est, quoniam lex opportu„ na, & apta esse debet hominum „ conditioni, & nimiae severitatis „ expers. Nimium autem rigorem, „ & severitatem praefert, quod ho„ mines non auditi sponte suis bonis „ jam acquisitis se se privent.

(1) *Dissert.* 5. *de leg. cap.* 4. *n.* 11.

6. Dico tertio, poenae latae sententiae positivae, quae scilicet requirunt externam delinquentis actionem, non incurruntur regulariter loquendo ante judicis sententiam declaratoriam. Etenim leges humanae (1) decernunt in haereticos ipso facto confiscationem bonorum; atqui tamen haec poena ex iisdem legibus (2) non incurritur ante sententiam judicis declaratoriam; ergo, cum de similibus poenis idem judicium sit habendum (3), nulla alia poena positiva ante sententiam judicis declaratoriam incurretur.

(1) *Cap.* Vergentis *de Haeret. & capit.* Cum secundum leges *eod. tit. in 6.*

(2) *Cap.* Cum secundum leges *cit.*

(3) *Capit.* Inter corporalia 7. *de traslat. Episc.*

His adde, quod, si hae leges positivae obligarent ante judicis sententiam declaratoriam, non essent satis humanae fragilitati accommodatae. Quis enim est, qui sponte, & nemine cogente, velit in se ipso exequi non dico mortem, aut mutilationem, sed in exilium pergere, bonis propriis se spoliare &c.

Imo sunt qui dicunt, etiamsi lex his verbis uteretur; non expectata judicis sententia, seu nulla declaratione praemissa, vel alia simili, poenas latae sententiae positivas non incurri ante sententiam judicis declaratoriam; quia, inquiunt, sic praxi, & usu receptum est. Unde menti legilatoris in sua lege per contrariam consuetudinem in hac parte derogatum est.

Digitized by Google

At si ita est, inquies, nulla esset amplius differentia inter poenam latae sententiae, & poenam ferendae, quia utrobique judicis sententia requiritur.

7. ℟. Differentiam adhuc maximam esse; nam in poenis latae sententiae lex privat suo jure delinquentem, ea tamen conditione, ut sequatur judicis sententia declaratoria. Unde haec sententia non privat reum titulo, & dominio, cum his jam sit privatus per ipsam legem, sed privat sola possessione, & retrotrahitur ad tempus commissi delicti; e contra in poenis ferendae sententiae lex per se ipsam poenam non irrogat, sed mandat judici, ut poenam infligat. Quare requiritur sententia condemnatoria, quae non tantum reum privat possessione, sed & titulo, jure, ac dominio; quaeque non retrotrahitur, sed solum incipit obligare ab eo tempore, quo lata est.

Dixi regulariter loquendo; nam si poenae non sint admodum graves, quum tunc sint humanae fragilitati adcommodatae, nil occurrit, quod reum excusare possit, ne legem observet poenam ipso facto decernentem.

8. Ex his consequitur Beneficiarium, qui delictum commisit, cui annexa est beneficii privatio, non teneri beneficium dimittere, vel restituere fructus perceptos ante judicis sententiam declaratoriam, modo officia, & onera beneficio annexa adimpleat.

9. Dico quarto, poenae latae sententiae conditionales incurruntur ante quamcumque judicis sententiam, si conditio non fuerit impleta; nam in hoc casu lex non concedit aliquod jus absolute, sed sub conditione, si nempe conditio fuerit posita; ergo deficiente conditione deficit jus sub ea conditione concessum, cum legislator non velit aliter jus illud concedere, nisi posita conditione. Hinc Episcopus intra sex menses consecrationem negligens episcopatum amittit (1); similiter Parochus, si intra annum praesbyteratum non suscipiat, Parochiam perdit (2).

(1) *Trid. sess.* 23. *cap.* 2. *de reform.*

(2) *Capit.* 14. *de elect. in* 6.

10. Dico quarto, poenae, quae homines declarant inhabiles ad jus acquirendum, effectum suum sortiuntur ante omnem sententiam. Quum enim nemo acquirere possit id, ad quod nullum jus habet, hinc nulla sententia judicis requiritur, qua declaretur personam ex lege ineptam ad jus aliquod, non esse illud jus consecutam. Quare, qui secundum obtinent beneficium incompatibile cum primo, fiunt inhabiles ad alia assequenda, nisi renuntient (1). Haeretici etiam inhabiles fiunt ad beneficia consequenda, unde eorum electio est nulla ante omnem sententiam (2). Sic pariter beneficiarii non recitantes divinum officium (3), vel non residentes in propriis Ecclesiis (4) tenentur restituere fructus beneficii ante quamcumque sententiam. Id quod diximus de poenis, quae inhabiles homines con-

Digitized by Google

stituunt ad aliquod jus, dicendum etiam de actibus irritantibus ipso facto, quia lex ipso facto actum irritans personam inhabilem reddit ad illum actum praestandum.

(1) *Cap.* Cum singula 32. *de praeb. in* 6.

(2) *Cap.* Quicumque 2. §. 2. *de Haeret. in* 6.

(3) *Ex Lateranensi primo can.* 10.

(4) *Ex Trid. ses.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

An post sententiam judicis teneatur in conscientia legis transgressor in se exequi poenam positivam.

11. ℟. Teneri, si poena moderata sit, nihilque contineat inhumani, & ab hominum moribus alieni; nam subditus tenetur parere justo superioris praecepto: porro superioris praeceptum est justum, si nihil contineat ab hominum moribus alienum; unde tenetur primo solvere poenam pecuniariam, modo petatur; alioquin juxta plures censetur condonata. Secundo si ad mortem fuerit damnatus tenetur scalas conscendere, praebere collum, manum, & similia. Si autem poena gravis sit, & ab hominum moribus aliena, non tenetur eam in semetipsum infligere; quia judex vel non potest, vel non vult obligare reum ad exequendam in semetipso poenam, quae tantopere humanae naturae repugnat. Hinc reus non tenetur, imo juxta plures nec licite potest, in se exequi poenam mortis, vel mutilationis &c., quia hoc valde inhumanum est.

An judex teneatur infligere poenam a legibus statutam.

12. ℟. Judicem inferiorem teneri. Nam judex non secus, ac quilibet privatus tenetur legibus parere: nec ei fas est *de ipsis judicare, sed secundum ipsas* (1); & quamvis *facti quaestio in arbitrio judicantis, sit poenae tamen persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur* (2).

(1) *Can.* 3. *dist.* 4.

(2) *L.* 1. §. 4. *ff. ad Senatus C. Turpill.*

Dixi judicem inferiorem; nam judex supremus, Princeps scilicet, sicut tollere legem potest, ita a lege dispensare, quominus poena infligatur. Nimia tamen Principis indulgentia obest quammaxime bono publico. Ansam enim praebet improbis, ad quaevis immania scelera committenda; quare clementia Principis in improbos saepe est immanis crudelitas in innocentes. Quia *nonnullorum Rectorum negligentia, dum spem impunitatis promittit, multam nutrire pestilentiam consuevit in subditis*, inquit Clemens V. (1). *Quare est compescenda malorum audacia, ut saltem poenae formidine retrahantur a noxiis, sicque boni sectando virtutem, meliores effecti, non cogantur cum illis perire* (2).

(1) *Clem. lib.* 3. *tit.* 14. *cap.* 1.

(2) *Extrav. un. Joannis XXII. de poenis.*

Alasia

P p

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De lege irritante.

SUMMARIA

1. *Actus prohibitus a lege naturae ob vitium actus substantiae inhaerens, est nullus; non vero ob circumstantiam solum actui advenientem.*
2. *Dum quaeritur, an actus contra legem positivam sint nulli, sermo hic instituitur de lege solum prohibente, non vero praecipiente, aut permittente.*
3. *Definitur lex irritans.*
4. *Est in Ecclesia, & in Republica potestas actus quosdam irritandi.*
Divisio traditur legis irritantis numeris 5., 6., 7.
8. *Actus gesti contra legem Ecclesiasticam non sunt ipso jure nulli, nisi aliter constet de mente Legislatoris.*
9. *Probatur primo ex jure canonico.*
10. *Probatur secundo ex variis exemplis.*
11. *Objectiones proponuntur.*
12. ℟. *Ad primam.*
13. ℟. *Ad secundam.*
14. ℟. *Ad tertiam.*
15. *Solvitur adhuc alia objectio.*
16. *Actus gesti contra legem civilem, regulariter sunt ipso jure nulli, & probatur ex ipsis legibus.*
17. *Actus gesti contra legem civilem non sunt nulli, si aliud eruatur ex mente Legislatoris.*
18. *Item non sunt invalidi, si aliter constet ex praxi, & usu judiciorum.*
19. *Solvitur objectio.*
20. *Actus contra leges gestus est nullus, etiamsi ei fuerit aliud pactum adjectum.*
21. *Lex irritans reddit actum nullum pro utroque foro.*
22. *Solvitur prima objectio.*
23. *Solvitur secunda objectio.*
24. *Nemo uti potest actu a lege irritato tamquam valido.*
25. *Peccat, qui actum exercet a lege irritatum quandoque venialiter, quandoque mortaliter.*
26. *Si lex non irritet actum, sed irritandum tantum decernat, non erit habendus ut irritus ante judicis sententiam.*

An actus gesti contra legem naturalem suapte natura sint validi?

1. R. videndum esse, an lex naturae actum prohibeat ob vitium inhaerens actus substantiae, an ob circumstantiam solum actui advenientem. Si primum actus non solum illicitus, sed & invalidus erit. Vitium enim rei inhaerens inficit ejus substantiam. Quare collatio beneficii vel alterius rei spiritualis ob pecuniam alteri facta non solum illicita, verum etiam nulla erit, quia sic venditur res, quae suapte natura est invendibilis; ideoque vitium hoc venditionis naturam destruit. At si lex actum prohibeat ob circumstantiam solum actui advenientem, illicitus quidem erit, non vero invalidus. Quia cum circumstantia extrinseca sit actui, non potest actum, qui suapte natura validus est, destruere. Sic ille, qui con-

Digitized by Google

trahit matrimonium invitis parentibus, illicite quidem non tamen invalide contrahit, quia circumstantia consensus parentum non afficit matrimonii substantiam, sed solum accidentia. Quare matrimonium illicitum quidem erit, non tamen invalidum.

An actus gesti contra legem positivam sint ipso jure nulli.

2. Ante responsionem notandum primo sermonem hic non esse de lege permittente, puta, ut quis testamentum condat, hereditatem repudiet &c. quia huic legi nullitas, ut patet, applicari non potest: neque de lege praecipiente, (nisi formalitates praeciperet, quibus omissis actus erit nullus, quia forma dat esse rei, unde cessat res existere, si forma desit). Sermo igitur hic tantummodo instititur de lege prohibente.

3. Notandum secundo legem irritantem eam dici, quae actum nullum reddit, qui alioquin validus foret.

4. Notandum tertio in Ecclesia, & in Republica esse potestatem actus quosdam irritandi, sive id fiat personas inhabiles reddendo ad actum praestandum: sive forma actibus praestituatur, quae si desit, nulli sint. Enim vero tum Ecclesia, tum Respublica ea esse debent praedita potestate, quae maxime necessaria est ad bonum commune; jam vero potestas quosdam actus irritandi necessaria quammaxime est ad bonum publicum. Sine ea enim saepe averti nequirent fraudis, & deceptionis pericula, neque satis consuli posset aetatis, vel sexus imbecillitati; neque scelus, & fraus satis puniri.

5. Lex irritans dividitur primo in poenalem, & non poenalem. Prima actum nullum reddit in odium, & vindictam delicti. Sic irritum reddit lex matrimonium illius, qui contrahit cum ea, quam per adulterium polluerat sub promissione futuri conjugii. Secunda irritat actum ex consideratione boni publici ad avertendum fraudis periculum, uti lex, quae irritat actus destitutos solemnitatibus a lege praescriptis. Utraque ex his legibus ob bonum publicum lata est, alioquin verae leges non essent, sed prima supponit peccatum, neutiquam secunda.

6. Dividitur secundo in legem irritantem ipso facto actum, & legem mandantem irritationem per judicis sententiam. Sic lex irritat ipso facto matrimonium clandestinum, vel cum consanguinea in gradu prohibito celebratum; at contractum, quo quis deceptus est ultra medietatem justi pretii, non irritat per se, sed per sententiam judicis; unde tamdiu subsistet, quamdiu judex eum irritaverit.

7. Dividitur tertio in explicitam, quae expressis verbis declarat actum esse ipso jure nullum v. gr. *actus sit ipso facto nullus, nullius roboris, nullas vires habeat*; & implicitam, quae non expressis verbis, sed aequivalentibus declarat actum irritum esse; ut si lex actui formam praescri-

bat necessario observandam. His in antecessum positis.

℟. Gravem, & implexam quaestionem esse, num actus gesti contra legem positivam prohibentem sint ipso jure irriti. Nobis vero in hac re distinguendum videtur legem Ecclesiasticam inter, & civilem.

8. Et primo, quod pertinet ad legem Ecclesiasticam, sentimus actus gestos contra legem Ecclesiasticam prohibentem non esse ipso jure nullos, nisi clausula irritans expresse, vel tacite adjecta fuerit, vel aliter ex consuetudine eruatur.

9. Id constat primo ex jure canonico. Joannes VIII. (1) sic scribit: *Vides fili carissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur.* Non ergo quod fit contra leges est irritum, sed solum irritatione dignum. Quare ferme adagii loco habentur haec Innocentii III. verba: *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent firmitatem* (2). Et sane actum prohibere, & eum irritare sunt effectus valde diversi: ergo nisi legislatoris intentio alio modo manifestetur, actus gesti contra legem prohibentem Ecclesiasticam non erunt ipso jure nulli.

(1) *Can.* 10. *dist.* 10.

(2) *Cap.* Ad Apostolicam 16. *de Regul.*

10. Id constat secundo innumeris exemplis. Olim prohibebatur professio ante annum integrum probationis, fuit tamen valida usquedum Tridentinum innovando eamdem prohibitionem eidem clausulam irritantem apposuit (1). Prohibet Tridentinum, ne Abbatissa admittat puellam ad professionem emittendam, nisi Episcopus puellae voluntatem diligenter exploraverit; at si Abbatissa sine hoc Episcopi examine eam admiserit (2), professio non irritatur; quum ibi dicatur solum Abbatissam esse puniendam per suspensionem ab officio. Prohibet quoque Tridentinum (3), ne tonsura detur iis, qui dotibus ad eam requisitis carent; si autem iis conferatur, valet tonsura; quamvis tonsura ab Ecclesia pendeat, & sit nullitati obnoxia. Tridentinum item sic statuit (4): *Nullus praeterea Clericus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur*; at si sine iisdem litteris fuerit admissus, valide confessiones excipiet, nuptiisque benedicet. Constat insuper benedictionem ornamentorum sacrorum, benedictionem Abbatum, & Abbatissarum &c. validam esse; licet omnia non observentur, quae a legibus praescripta sunt. Jure veteri prohibita erant matrimonia clandestina, non erant tamen irrita (5). Alexander III. (6) validum pronunciavit matrimonium initum contra Episcopi prohibitionem, & adhuc pendente lite super praeviis sponsalibus a contrahentium altero cum alia persona stipulatis. Et Benedictus XIV. (7), in eo solum casu matrimonium celebratum contra interdictum Papae invalidum censuit,

quando esset munitum decreto irritante.

(1) *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 15.

(2) *Sess. ead. cap.* 17.

(3) *Sess.* 23. *de reform. cap.* 4.

(4) *Sess.* 23. *de reform. cap.* 16.

(5) *Sess.* 24. *de reform. cap.* 1.

(6) *Cap. ex litteris Secundo de Matrim. contract. contra interdict. Eccles.*

(7) *Lib.* 12. *cap.* 5. *n.* 3. *de Syn. dioeces.*

Haec, & alia exempla, quae possent afferri, aperte demonstrant nunquam fuisse a jure canonico canonizatam illam Imperatorum Theodosii, & Valentiniani legem (1), qua omnes actus gesti contra legem prohibentem irriti omnino declarantur.

(1) *L.* Non dubium 5. *cod. de leg.*

11. Objiciunt primo Gregorium, qui approbavit (1) sententiam Imperatorum Theodosii, & Valentiniani aperte statuentium (2) actus contra legem prohibentem nullos esse: tum regulam juris (3) sancientem *ea, quae fiunt contra jus, pro infectis* habenda esse: tum demum Caelestinum asserentem (4): *Quod contra interdictum, & ordinem Ecclesiae factum est, ratum non haberi.*

(1) *C.* Imperiali 13. *causa* 25. *q.* 2. *his verbis*: Imperiali constitutione sancitum est, ut quae contra leges fiunt non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.

(2) *L.* Non dubium 5. *cod. de leg.*

(3) *Reg.* 64. *de Reg. juris in* 6.

(4) *C.* 2. *causa* 35. *q.* 6.

12. ℟. Ad primum, Gregorium ad canonicas sanctiones Imperialem constitutionem non transtulisse, sed solum epistola illa explicasse vim ejusdem constitutionis; loquitur enim ibi non de lege Ecclesiastica, sed de quodam testamento, quod erat irritum secundum leges Imperiales.

13. ℟. ad secundum, *ea, quae contra jus fiunt, pro infectis* haberi debere secundum modum, & conditionem legis, contra quam facti sunt: ita ut, si fuerint contra legem irritantem, a judice irriti declarari debeant, si autem contra legem prohibentem solum, erunt pro infectis habendi a judice, seu irritandi per suam sententiam. Alioquin omnes actus legi Ecclesiasticae contrarii nulli erunt, quod falsum esse constat ex superius dictis.

14. ℟. ad tertium, illud, quod contra interdictum, & ordinem Ecclesiae factum est, ratum non haberi, idest non approbari, quia *tamquam inordinatum tam divinae, quam humanae legis auctoritas proclamat*; subdit idem Caelestinus. Agitur enim ibi de matrimonio; at supra demonstravimus matrimonium initum contra interdictum, & ordinem Ecclesiae validum esse, nisi clausula irritans adjecta fuerit, vel ab Ecclesia, vel a Pontifice.

15. At, inquies, nullus erit effectus legis mere prohibentis, si actum sibi contrarium irritum non faciat. Falleris, etiam si lex prohibens actum sibi contrarium non irritet, habet tamen adhuc duplicem effectum, quorum primus est obligatio ad non fa-

Digitized by Google

ciendum id, quod vetat: alter est subjectio poenae, quae ex neglecta obligatione nascitur, quia poenam merentur, qui suum non implent officium,

Quod pertinet secundo ad legem civilem, communis est jurisconsultorum sententia actus gestos contra legem prohibentem regulariter eo ipso irritos, & nullos esse: cui sententiae subscribimus,

16. Id imprimis Theodosius, & Valentinianus sanxerunt his clarissimis verbis (1): „Nullum pactum, nullam „ conventionem, nullum contractum „ inter eos videri volumus subsecu- „ tum, qui contrahunt lege contra- „ here prohibente, quod ad omnes „ legum interpretationes tam vete- „ res, quam novellas trahi genera- „ liter imperamus. Hoc est ut ea, „ quae fieri lege prohibentur, si fue- „ rint facta non solum inutilia, sed „ etiam pro inferis habeantur." Quae quidem Imperatorum verba sic referuntur in jure canonico (2): *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint*. Similia scribunt Imperatores Leo, & Antoninus his verbis: *Ea, quae contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt* (3). Idque tamquam certum supponit Antoninus Imperator: *Pacta*, inquiens, *quae contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est* (4).

(1) *L.* Non dubium 5. *cod. de leg.*

(2) *Can.* 13. *caussa* 25. *q.* 2.

(3) *L.* 14. §. 1. *in fin. cod. de Sacrosanct. Eccl.*

(4) *L.* 6. *cod. de pact.*

17. Dixi regulariter, quia actus legi contrarius validus est, quando aliud eruitur ex legislatoris intentione, vel ex praxi, & usu judiciorum. Porro aliud eruitur ex mente legislatoris, vel quando expresse declarat actum contra legem gestum validum esse: sic sententia sub conditione dici prohibetur, dicta tamen valet (1), vel quando suppeditat remedium ad actum rescindendum. Frustra enim ipse remedium suppeditaret, quo nullus fiat actus, si jam ipso jure irritus esset. Quare licet lex prohibeat filii praetermissionem in testamento a matre facto jure communi (2), validum tamen est testamentum; quia potest filius querelam inofficiosi testamenti apud judicem instituere, ut rescindatur (3); verum jure Regio (4) nullum est testamentum, in quo filius a matre fuerit praeteritus. Similiter actus metu, errore, vel dolo initi, licet prohibeantur, validi esse non desinunt, donec judicis decreto irritentur (5). Idem dicendum de fidejussione mulieris contra Senatusconsultum Vellejanum (6), vel de obligatione filiifamilias contra Senatusconsultum Macedonianum (7).

(1) *L.* 1. §.5. *Quando appellandum.*

(2) *Princip. instit. de Inoff. testam.*

(3) *Toto tit. ff. de Inoff. testam.*

(4) *R. Const. lib.* 5. *tit.* 1. §.22.

Digitized by Google

(5) *Lib.* 4. *Instit. tit.* 13. §. 1.

(6) *L.* 1. *ff. Ad Senatusconsult. Vellej.*

(7) *L.* Qui exceptionem 40. *ff. de Condict. indeb.*

18. Similiter ex praxi, & usu judiciorum actus quidam contra legem gesti non sunt ipso jure nulli. „ Sic „ quamvis nostra constitutio, *inquit* „ *Ab-Ecclesia* (1), requirat eadem die, „ qua facta fuit pignoratio, illam „ notificari debitori, & per publicum proclama omnibus volentibus „ licitare; Senatus tamen non annullat acta executorialia, quamvis „ una die facta sit pignoratio, alia „ die debitori notificatio, & publicum proclama. Ita censuit 5. februarii 1626. referente D. Senatore „ Amedeo Bentio in caussa D. Malabailae contra D. D. Scalias; & „ 30. augusti 1641. me referente in „ caussa D. Cernuschae contra D. „ Comitem Cernuscum. " Item quamvis judices inferiores debeant intra mensem a distributione processus sententiam ferre (2); attamen, si post mensem fuerit lata, non erit propterea invalida, ut censuit Senatus Taurinensis (3).

(1) *Observat.* 120. *n.* 12.

(2) *Lib.* 3. *tit.* 23. §. 6. *Reg. Const.*

(3) *Die* 15. *febr.* 1772. *in caussa Joannis Petri Roux contra Joannem Antonium Vola.*

Saltem, inquies, in nostris regionibus lex prohibens eo ipso non est irritans: plures enim numerantur in R. constitutionibus actus, quibus apposita est clausula nullitatis (1). At si lex prohibens irritos faceret actus sibi contrarios, inutile fuisset adjicere iisdem actibus nullitatem.

(1) *Vide R. constitutiones lib.* 1. *tit.* 8. *cap.* 5. *n.* 12., *lib.* 2. *tit.* 16. *cap.* 3. *n.* 37., *lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 12., *lib.* 4. *tit.* 26. *n.* 8., *lib.* 5. *tit.* 11. *n.* 2. 8. 14. *eod. lib., tit.* 14. *n.* 1. 12. 13. 14., *lib.* 5. *tit.* 22. *cap.* 1. *n.* 9., *cap.* 4. *num.* 1. & 11., *lib.* 6. *tit.* 2. *n.* 8., *tit.* 12. *n.* 2. 12.

19. R. numerari etiam plures actus a nostris constitutionibus prohibitos, qui tamen invalidi sunt, licet iis clausula nullitatis non fuerit apposita. Sic prohibentur conjuges (1) legare sibi proprietatem bonorum, si a proprio eorum, vel alio matrimonio habuerint filios, vel descendentes; verum haec legata, nemine dissentiente, nulla sunt, licet ibi non fuerit clausula nullitatis adjecta. Unde censuit Senatus Taurinensis (2) legatum proprietatis a marito uxori relictum existente filia herede ita nullum esse, ut ne in usumfructum quidem resolvatur. Item donationes minorum etiam stipatae conditionibus jure Regio requisitis ad alias donationes (3), etiam judicialiter, factae, excepto casu matrimonii eorum, prohibentur (4), nullae tamen sunt, quamvis ibi nullae non declarentur. Mitto alios actus, quibus in iisdem constitutionibus non est poena nullitatis inserta, qui nulli omnino sunt. Nil ergo ex allato argumento colligitur, quam superflua non nocere.

Digitized by Google

(1) *Lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 17. *R. Const.*

(2) *Die* 18. *maii* 1782. *in causa Caligaris & Calza c. Caramellin.*

(3) *Lib.* 5. *tit.* 14. *n.* 1. 2. 3. 4. 5. *R. Const.*

(4) *Eod. lib.* 5. *tit.* 14. *n.* 13.

Quid, si actui adversus legem gesto adjectum fuerit pignus, vel fidejussio, vel aliud pactum, eritne validum?

20. R. Irritum esse (1): aequum enim est, ut corruente principali, corruat pariter accessorium (2).

(1) *L.* Non dubium 5. *de leg.*

(2) Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quae sequuntur locum habent. *L.* Nihil 129. §. 1. *ff. de reg. jur.*

An lex irritans reddat actum nullum pro utroque foro tum externo, tum interno.

21. R. Conveniunt Theologi actum nullum esse pro utroque foro, si lex expressam mentionem faciat fori interni, puta, *ut actus nec coram Deo, nec in conscientia valeat &c.* At si lex irritat tantum actum, quin fori interni expressam mentionem habeat, non desunt plures, qui sentiant actum nullum esse pro foro tantum externo; cui sententiae subscribere nullo modo possumus. Sane leges non obtinerent finem suum, si actus esset simpliciter irritus pro foro externo, non autem pro foro interno. Etenim jura indemnitati, & infirmitati quarumdam personarum prospicere volunt, irritando ex. gr. contractus pupilli; qui finis plane non obtineretur, si pupillus in conscientia, & in foro interno obligaretur stare contractui sibi pernicioso; sicque inefficaces, & enerves essent leges. Quid enim homini probo, & Deum timenti prodesset actum esse irritum pro foro externo, si gravi conscientiae obligatione teneretur stare contractui? Certe talis irritatio prodesset solum sceleratis: isti enim, ut ut obligarentur in conscientia, pro foro tamen externo, quod solum curant, tuti essent, sicque peccatis praeberetur occasio.

Quid ad haec adversarii? ajunt primo pupillum, vel alium posse recurrere ad judicem, ut declaretur nullus contractus, qua declaratione facta contractus erit etiam nullus pro foro conscientiae.

22. Verum egregie falluntur. Sententia enim judicis nil aliud est, quam legis declaratio, declarat nempe, quid sibi velit lex; si lex non obligat pro foro interno, neque sententia judicis: sententia judicis non est fortior ipsa lege; quum judex vi legis obliget; ergo si per adversarios sententia judicis obligat pro utroque foro, licet nullam fori interni mentionem habeat, id erit dicendum de ipsa lege. Sic lex Tridentini (1) irritando matrimonium clandestinum obligat pro utroque foro, licet fori interni ne verbum quidem habeat. Sic pariter professio religiosa ante decimum sextum annum expletum (2) irrita est pro utroque foro; quam-

Digitized by Google

vis Tridentinum quoque nullam fori interni mentionem fecerit.

(1) *Ses.* 24. *cap.* 1. *de reform.*

(2) *Ses.* 25. *cap.* 15. *de Regular.*

Ajunt secundo leges actum ipso jure irritantes esse correctorias juris naturalis; ergo tamquam odiosae restringendae sunt ad forum externum, nec ad forum internum extendendae, nisi de eo expressa fiat mentio.

23. ℟. sententiam judicis, non minus, quam legem, esse correctoriam, improprie tamen, juris naturalis; nihilominus fatentur adversarii eam non restringi ad forum tantum externum, sed ad forum internum extendendam esse; ergo idem sentiendum de lege.

COROLLARIUM

24. Ergo, quum lex actum irritans obliget pro utroque foro, nemini licitum erit eo uti tamquam valido. Quare cum irrita sit provisio simoniaca in beneficiis (1), fas non erit simoniace provisis uti eo beneficio tamquam valide adepto. Unde fructus omnes percepti ante quamcumque sententiam erunt restituendi.

(1) *Extravag.* 2. *de Simonia inter com.*

25. Peccat ne ille, qui actum edit a lege irritatum? puta qui testamentum minus solemne condit.

℟. hunc peccare venialiter, quia actum otiosum exercet, & quandoque mortaliter, si id materia legis expostulet, puta si Sacramentum nullum efficiat.

Alasia

Sed quid, si lex ipso jure actum non irritet, sed irritandum decernat per judicem, eritne actus irritus habendus ante judicis sententiam?

26. ℟. nequaquam. Etenim cum actus irritatio ad publicam pertineat potestatem, & aliunde non fiat a lege, praestanda erit a judice; ideoque actus irritus non erit habendus, nisi judicis sententia accesserit. Hinc plures sunt contractus, qui in Regiis constitutionibus (1) prohibentur, irriti certe non habentur, quia R. constitutio judici mandat, ut eos attentis casuum circumstantiis circumscribat (2). Item contractus, in quo quis ultra dimidium justi pretii deceptus est, tamdiu subsistit, quamdiu judex eum irritaverit. Caeterum quamvis isti contractus subsistant, usque dum a judice irritentur, tenetur tamen decipiens ante sententiam judicis contractum redigere ad aequalitatem, & compensare omnia damna decepto advenientia.

(1) *Lib.* 4. *tit.* 34. *cap.* 14. *n.* 4. 5. 6. *R. Const.*

(2) *Lib. tit. & cap. citat. n.* 7.

ARTICULUS III.

De lege tributorum.

SUMMARIA

1. *Tributum definitur.*
2. *Variae tributorum species recensentur.*

Traditur divisio tributi numeris 3. *&* 4.

Digitized by Google

5. *Publica tranquillitas, & felicitas tributorum solutionem expostulat.*

6. *Prudens quisque libentissime in tributorum solutionem consentire debet.*

7. *Prima conditio ad tributum est legitima auctoritas.*

8. *Secunda conditio justa causa.*

9. *Tertia est debita proportio in tributi partitione.*

10. *Leges tributorum obligant in conscientia. Et probatur primo ex verbis Christi.*

11. *Secundo ex verbis Pauli.*

12. *Tertio ex Augustino.*

13. *Tributa debentur ex justitia commutativa.*

14. *Lex tributorum non est poenalis, sed dispositiva.*

15. *Gabellae solvendae sunt, etiamsi non petantur, nisi aliud ferat consuetudo.*

16. *Plures sentiunt scienter ementem merces, fraudata gabella, non teneri illam solvere.*

17. *Qui scienter emunt merces fraudata gabella tenentur ad eam solvendam, si venditores animosiores reddant ad illam fraudandam; aliter dicendum, si tantum dubitent, num fraudatores gabellam solverint.*

18. *Qui ignorat, aut dubitat mercem fraudatam esse, si eam emat, non tenetur ad solutionem gabellae.*

19. *Qui scit mercem fraudatam esse, ignorat tamen invincibiliter illicitum esse emere a gabellarum defraudatoribus, ad nullam obligatur gabellae solutionem.*

20. *Qui in emendo rem fraudata gabella, animosiorem non reddit gabellae fraudatorem, nulla pariter tenetur solvendae gabellae obligatione.*

21. *Solvendum est tributum in dubio de ejus justitia.*

22. *Solvitur objectio.*

23. *Qui gabellam fraudavit, non conductori, sed Principi eam solvere debet.*

1. Tributi nomine generatim accepti venit id omne, quod Principi, vel Reipublicae a subditis solvitur ad sustinenda onera communia.

2. Hujus Tributi variae sunt species. Quod solvitur pro rebus in provinciam, vel urbem invehendis, vel a provincia, vel ab urbe evehendis, *vectigal* dicitur, penes alios *gabella*: quod pro rebus per pontes, vel flumina devehendis, *portorium*: quod exigitur a transeuntibus ad viarum custodiam, & restaurationem, *pedagium* appellatur: quod demum penditur pro personarum operibus, *angaria* vocatur.

3. Tributum dividitur in *reale*, quod pro fundis, seu possessionibus erogatur, & penes nos Tallia dicitur. Secundo in *personale*, quod personis imponitur, & vocari solet capitatio, seu census, de quo scriptura mentionem facit (1) his verbis: *Licet censum dare Caesari, an non?* Tertio in mixtum, quod pro rebus praesertim mobilibus, ac personis penditur.

(1) *Apud Matth. cap. 22. v. 17.*

Digitized by Google

4. Dividitur insuper tributum *in ordinarium*, *& extraordinarium*. Primum illud est, quod singulis annis ex certa lege tribuitur. Secundum, quod ob supervenientem peculiarem causam imponitur.

Tributorum solutio publicae tranquillitati, ac felicitati omnino necessaria est.

5. Enim vero tranquillitas, & felicitas populi haberi non potest, nisi populus contineatur in officio, & Reipublicae hostes reprimantur. Porro nec populus in officio contineri potest nisi instituantur Magistratus, & Praefecti, qui improbos poenarum metu, & inflictione coërceant, jusque suum unicuique reddi curent, & jubeant; nec Reipublicae hostes averti poterunt, nisi milites describantur, & exercitus alantur. Proh dolor: quot inde mala in ea Civitate, in qua nullus esset Princeps, nullus Gubernator, Magistratus nullus: improbi homines ubique sine lege discurrent, &, prout ipsis placuerit, hos vita, illos opibus spoliabunt; horum virgines deflorabunt, illorum thorum violabunt &c. uno verbo quibuscumque vitiis habena laxabitur, nihilque intactum futurum erit. At si haec praestabuntur ab his, qui sunt de populo, quanto majora erunt timenda ab hostibus Reipublicae. Vere ergo dictum est in proverbio (1): *Ubi non est Gubernator populus corruet*. Jam vero nec Magistratus, & Praefecti institui possunt, nec milites describi, & exercitus ali absque magnis sumptibus, quos quisque de populo non vult, vel si vellet praestare non posset. Necesse est ergo, ut populus tributa solvat, quibus maximi isti sumptus fiant.

(1) *Proverb.* 11. *v.* 14.

6. In haec tributa quisque de populo libentissime consentire debet; sane quisque cordatus vult potius sibi detractam aliquam suorum bonorum partem, qua obviam eatur gravissimis malis supra descriptis, ut sic reliquis opibus, & industriae fructibus uti, & frui tuto sibi liceat, quam totum suum patrimonium, suamque vitam improborum hominum, & hostium iniquitati expositam esse. Egregie propterea Tacitus (1) inquit: *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt*.

(1) *Lib.* 4. *cap.* 74. *hist.*

7. Tres conditiones requiruntur ad tributi justitiam, quarum prima est legitima imponentis auctoritas; haec autem solum residet in Principe, vel Republica nullum superiorem in administratione agnoscente, non vero in aliis.

8. Secunda conditio est justa causa, quae duplex est, nempe justa vindicta, sive in subditos rebelles, sive in hostes victos, tum ad eorum punitionem, tum ad damnorum compensationem: altera bonum publicum, nempe ad publicae rei necessitatem, aut utilitatem, tum ad

Digitized by Google

status Regii decentiam, quae ad publici boni rationem quoque pertinet. Haec autem causa, ut justa sit, debet esse tributo proportionata, & ea cessante debet tributum cessare: alioquin graviter peccabunt illud imponentes, exigentes, consulentes, & ad restitutionem tenebuntur.

9. Tertia conditio est debita proportio in tributi partitione, ita ut unusquisque secundum suas facultates gravetur: nempe, ut qui plus possunt, magis graventur, minus vero qui opibus inferiores sunt.

Leges tributa imponentes conscientiamne obligant?

10. ℟. obligare. Clara in hac re sunt sacratum scripturarum, & Patrum testimonia. Christus (1) interrogatus a Pharisaeis, num liceret censum dare Caesari, respondit: *Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei Deo*. Comparat hic Christus solvendorum tributorum necessitatem cum officiis Deo praestandis; sed haec conscientiam obligant, ergo & illa.

(1) *Apud Math. cap.* 22. *v.* 21.

11. Apostolus Paulus (1) Romanos ita affatus est: " Necessitate subditi „ estote non solum propter iram, „ sed etiam propter conscientiam: „ ideo enim & tributa praestatis: „ ministri enim Dei sunt in hoc ip- „ sum servientes. Reddite ergo om- „ nibus debita, cui tributum, tri- „ butum, cui vectigal, vectigal. Vides tributa solvenda esse non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

(1) *Ad Rom.* 13. *v.* 5., 6., 7.

12. Augustinus, ut alios omittam (1), inquit: *Si quis putet, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal solvendum .... in magno errore versatur*.

(1) *In ep. ad Rom. cap.* 72.

Sunt ne ex justitia tantum legali, vel ex etiam commutativa solvenda tributa?

13. ℟. etiam ex commutativa. Etenim ex Apostolo Paulo (1) tributa solvenda sunt Principibus, quia sunt *Ministri Dei in hoc ipsum servientes*: quasi diceret, quia laborant in regni totius administratione. Atqui iis, qui laborant in aliorum utilitatem, ex justitia commutativa debentur stipendia. Ergo principibus, qui laborant, & quidem multum in utilitatem totius populi, debentur a populo tributa, quasi stipendia sui ministerii.

(1) *Ad Rom.* 13. *v.* 6.

Id ipsum constat ex Tertulliano, & Augustino, quorum primus (1) inquit: *Vectigalia gratias agent Christianis ea fide dependentibus debitum, quia alieno fraudando abstinemus*. Alter vero (2) sic scribit: *Neque enim fraus ista, quoniam Fisco fiebat, ideo non fiebat*. Porro fraus inter peccata justitiae commutativae adversa numeratur. Ergo &c.

(1) *Apol. c.* 42.

(2) *Ep.* 96. *alias* 124.

Google

COROLLARIUM PRIMUM.

14. Ergo, cum tributa debeantur ex justitia commutativa, lex tributorum non erit poenalis, ut volunt aliqui, sed dispositiva obligans ad eorum solutionem ante quamcumque judicis sententiam.

COROLLARIUM SECUNDUM.

15. Ergo gabellae, etiamsi non petantur, erunt in conscientia solvendae; unde fas nemini erit res gabellae subjectas occultare. Quod si alicubi consuetudo, & quidem legitima obtinuerit, ut gabellae non solvantur, nisi ad earum petitionem, in iis locis nulla erit obligatio eas solvendi, nisi petantur, modo absit fraus, uti contingeret, si merces abscondantur, si divertatur a via publica &c.

An qui scienter emunt merces fraudata gabella, teneantur illam solvere.

16. ℟ Auctor Gallus, negative, & sic scribit (1): " Vel enim vectigal „ solvendum est quaedam pecunia „ summa, vel aliqua pars mercis „ v. gr. decima. Si primum, est „ communis sententia non esse onus „ reale seu rei affixum, quod transeat cum merce, sed onus personale venditoris, quamvis ex rei „ transportatione contractum. Si secundum, quamvis sit probabilis „ aliquorum sententia esse onus reale, quod transit cum re, oppositum tamen est probabilius: quia „ antequam illa pars sit separata, „ & tradita, venditor retinet illius „ partis, sicut & totius mercis dominium, Princeps autem quantum „ ad illam partem, habet tantum „ jus ad rem, non secus ac ille, „ qui rem aliquam emit, sed nondum occupaverit. Ergo sicut si „ superveniat secundus emtor, qui „ rem occupat, acquirit ejus dominium, onere satisfaciendi primo „ emtori manente penes venditorem; „ ita emtor in nostro casu illam „ mercem acquirit, manente penes „ venditorem onere solvendi vectigal.

(1) *Billuart. dissert.* 9. *art.* 7. *de restitut.*

Sanchez, Molina, Lessius penes de Lugo (1) ita ratiocinantur. " Quia „ illud non est onus ita reale affixum „ mercibus, ut Princeps habuerit jam „ dominium mercium, sed ad summum merces ferunt secum hypothecam pro gabella solvenda: ad „ hoc tamen debet fieri excussio in „ bonis venditoris, & intentari actio „ contra ipsas hypothecatas. Non „ ergo tenetur emtor nec ratione „ rei acceptae, quae non erat sub „ dominio Regis, sed venditoris, „ nec etiam ratione injustae acceptionis. "

(1) *Tomo* 2. *de just. & jure disp.* 36. *sect.* 4. *n.* 64.

Advertit tamen Lessius fieri posse executionem in illis mercibus, pro quibus fraudatum est vectigal, etiamsi penes emptores jam inveniantur. Quia illae merces contraxerunt ob-

ligationem hypothecae, cum qua transeunt ad emptorem; executio autem fieri potest in re, quae sibi fuit hypothecata.

16. Caeterum si isti, qui scienter emunt merces fraudata gabella, animosiores redderent illius fraudatores, puta si soliti sint ab iis emere, vel promiserint ab iis emturos, si gabellam fraudaverint, ad eam solvendam tenebuntur in defectum fraudatorum; quia isti emtores cooperantur damno, quod a defraudatoribus infertur Principi. Et sicuti receptatores furum, vel eos reddentes animosiores ad furandum juxta omnes tenentur ad restitutionem rei furto ablatae, si a furibus non restituatur; ita & isti tenentur, qui cooperantur gabellae defraudationi. Quod si isti emtores prudenter dubitent, num fraudatores gabellam solverint, ad nullam tenebuntur gabellae solutionem, quia in dubiis quaestionibus (1) contra fiscum judicandum est.

(1) *L.* 10. *ff. de jure fisci*: non puto eum delinquere qui in dubiis quaestionibus contra fiscum facile responderit.

18. Ex nuper citata lege colligunt Doctores eum, qui ignorat mercem fraudatam esse, aut dubitat, si eam emat, nulla pariter teneri solvendae gabellae obligatione.

19. Si contingeret emtores rei gabellae subjectae ignorare invincibiliter illicitum esse a defraudatoribus gabellarum emere: sive quia ita fuerint edocti: sive quia videant hujusmodi emptores, nec puniri, nec in defectum defraudatorum ad ullam obligari solutionem, ad nihil tenerentur: neque enim tenentur ratione rei emptae, quia gabella ei non est annexa secundum plures, vel etiamsi sit rei affixa, ideoque res hypothecata, ex hoc solum consequitur, eum, qui habet hypothecam super eam mercem posse quidem jus suum experiri, sed non probat habentem mercem hypothecae subjectam teneri alterum monere de jure suo. Neque etiam tenentur ratione culpae, quia nulla fuit ob ignorantiam invincibilem.

20. Similiter ille, qui emit mercem a gabellae fraudatore, qui non sit imposterum gabellam defraudaturus, quia non est amplius ea loca petiturus, ex quibus discessit, non tenebitur in defectum defraudatoris gabellam solvere; quum in hoc casu animosiorem hunc non reddat ad fraudandum: modo tamen ante discessum per litteras, aut alio modo ei non significaverit se ab eo emturum res defraudata gabella deferendas.

An si dubium occurrat de justitia tributi solvendum illud sit.

21. ℟. Solvendum esse. Nam hoc dubium prudens non est, unde deponendum; quum in facto superioris praesumi non debeat delictum, quia ex Apostolo Paulo caritas *non cogitat malum* (1). In dubio enim semper standum est pro legis justitia, nisi aperta sit ejus iniquitas

(2). His adde, quod privatis nunquam convenire potest dubium de tributi justitia, quia omnes Regni necessitates ipsis manifestae esse non possunt, nec debent, quum subditorum non sit inquirere in legis justitiam (3).

(1) 1. *Corinth.* 5.

(2) *Can.* Quod culpatur 4. *caussa* 23. *q.* 1.

(3) *Arg. leg.* 5. *cod. de diversis rescript.*

Si dicas subditum possidere res suas, atque rebus suis non esse splioliandum, nisi certo constet tributum justum esse.

22. Responderi potest Principem possidere pariter jus certum tributa imponendi; & ulterius habere praesumptionem pro se ipso de justitia tributi; quum nemo praesumatur malus, nisi probetur (1): praesertim cum Princeps non ipse solus, sed cum consilio primatum tributum imperet, ideoque credibile non sit tot, ac tantos viros in tributi injustitiam consentire. *Sane si quidquid praecipit homo vice Dei, quod tamen non sit certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus* (2), evidens est in dubio de tributi justitia illud omnino solvendum esse.

(1) *Cap. fin. de Praesumpt.*

(2) *Bernardus lib. de praecept. & dispensat. cap.* 12.

Cui restituere debeant, qui gabellam fraudarunt, quam Principes locavit.

23. ℞. restitutionem hanc videri faciendam Principi, non vero conductori. Nam illi facienda est restitutio, cui facta est injuria, & allatum damnum. At Princeps propter subditorum fraudes viliori pretio vendidit jus gabellam exigendi, unde passus est injuriam, & damnum: ii autem, qui propter easdem fraudes minori pretio conduxere gabellae exactionem, nullum inde sentiunt damnum; quum in contractu ratio habita sit eorum, qui gabellam defraudare solent, alioquin multo pluris gabellas conduxissent.

CAPUT XII.

De juris & facti ignorantia.

SUMMARIA

1. *Ignorantiae definitio traditur.*
2. *Explicatur, in quo ab errore ignorantia differat.*
3. *Ignorantia alia est merae privationis, alia pravae dispositionis.*
4. *Ignorantia rursus alia est antecedens, alia concomitans, alia consequens, antecedens definitur.*
5. *Definitur concomitans.*
6. *Definitur consequens, haecque si directe volita sit, affectata dicitur.*
7. *Si ignorantia consequens indirecte tantum sit volita, pro majori vel minori negligentia addiscendi crassa & supina est, vel simplex.*
8. *Ignorantia consequens aliquo in sensu potest etiam dici antecedens.*

Digitized by Google

9. *Ignorantia iterum alia est vincibilis, alia invincibilis.*
10. *Ignorantia antecedens distinguitur ab invincibili.*
11. *Ignorantia demum alia juris est, alia facti.*
12. *Nulla datur ignorantia invincibilis quoad prima juris naturalis principia, & proxime fluentes ab his conclusiones, bene vero quoad conclusiones, quae remote ex illis principiis deducuntur.*
13. *Ignorantia invincibilis legis ecclesiasticae excusat a poena per eam lata.*
14. *Ignorantia legis ecclesiasticae excusans a gravi culpa excusat quoque a gravi poena.*
15. *Ignorantia crassa & supina legis ecclesiasticae non liberat a poena ab ea statuta, nisi lex afficiat scientes, temerarios &c.*
16. *Ignorantia affectata non excusat a poena lata contra eos, qui scienter, temerario ausu &c. legem violaverint.*
17. *Exceptis censuris ignorantia invincibilis solius poenae ecclesiasticae, non autem legis eam decernentis, a poena non eximit.*
18. *Ignorantia juris civilis universalis non praesumitur invincibilis; ideoque neminem regulariter excusat a poena; at ignorantia juris particularis in exteris praesumitur, secus in incolis.*
19. *Dixi regulariter, quia primo ignorantia juris universalis non obest minoribus.*
20. *Secundo eadem ignorantia non officit mulieribus.*
21. *Tertio neque rusticis.*
22. *Quarto demum neque militibus.*
23. *Ignorantia juris quandoque non prodest minoribus, foeminis, rusticis, ac militibus.*
24. *Quoad negotia civilia ignorantia juris civilis nocet in lucro, exceptis tamen minoribus, ac militibus, non autem foeminis.*
25. *In damnis rei amittendae nullum nocumentum affert ignorantia juris civilis.*
26. *In damnis rei amissae ignorantia juris civilis non prodest.*
27. *Solvitur una objectio.*
28. *Solvitur altera objectio.*
29. *Ignorantia invincibilis solius poenae civilis quamvis non criminis, cui poena imposita est a poena non liberat.*
30. *Ignorantia facti alia est facti proprii, alia alieni, alia vincibilis, alia invincibilis.*
31. *Ignorantia sive facti proprii, sive alieni invincibilis nullum affert damnum, sed secunda invincibilis praesumitur, non autem prima, nisi de iis, quae antiqua sunt, agatur.*
32. *Ignorantia facti proprii, sive alieni crassa & supina nullo modo ignoranti prodest; & hoc multo magis locum habet in affectata.*
33. *Quod dicitur de ignorantia, idem de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione affirmatur.*

1. Ignorantia communiter definitur carentia cognitionis rei, quam scire

sua natura quis aptus est: addunt plures, & tenetur, ut sic secernatur a nescientia, sed non ad rem; alioquin male divideretur ignorantia in invincibilem, quae est eorum, quae debita diligentia adhibita sciri non possunt; nemo enim scire tenetur, quod sibi scitu impossibile est. Egregie propterea D.Thomas: *Ignorantia*, inquit (1), *in hoc a nescientia differt, quod nescientia dicit simplicem scientiae negationem: unde cuicumque deest aliquarum rerum scientia potest dici nescire illas, secundum quem modum Dionysius in Angelis nescientiam ponit; ignorantia vero importat scientiae privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quae aptus natus est scire; horum autem quaedam aliquis scire tenetur, illa scilicet, sine quorum scientia non potest debitum actum recte exercere ..... quaedam vero sunt, quae etsi aliquis natus est scire, non tamen ea scire tenetur, sicut theoremata Geometriae*; & sane rusticum damnaverit nemo, quod ignoret

Quae mare compescant caussae, quid temperet annum,

cum horum cognitio ad ejus agendi rationem non pertineat.

(1) 1. 2. *q.* 76. *art.* 2.

In quonam differant ignorantia, & error.

2 ℟. In hoc differunt, quod ignorantia sit simplex cognitionis defectio; error autem sit falsi approbatio pro vero; hinc ignorantia positive non opponitur vero, ut error, sed ejus tantum cognitionem excludit; quo fit, ut ignorantia ex se non corrumpat physice, atque intrinsecus intelligentem facultatem in ordine ad objectum suum, quamvis occasionem praebere corruptioni ejusdem possit vi falsi judicii, quod sequatur; at contra error physice eam inficit, ut qui, sic dixerim, formam veritati contrariam inducit in animum, ex quo majus damnum existit, ita vir clarissimus; quia tamen error, quo quidpiam agimus, saltem in ignorantia concipitur tamquam in caussa, atque adeo ejusdem ignorantiae naturam, & conditionem sequitur, eam ob rem quae hoc loco de ignorantia dicturi sumus, errori applicanda erunt eadem.

3. Dividitur primo ignorantia ex parte solius intellectus in eam, quae merae privationis est, & in eam, quae pravae dispositionis dicitur. Prima continet solam privationem eorum, quae sciri debent; addit altera errorem, seu approbationem partis oppositae, ceu si venditionem rei sacrae simoniacam esse ignores, ignorantia tua haec solius privationis est; si praeterea existimes, hanc venditionem licere, ignorantia haec tua pravae dispositionis est.

4. Dividitur secundo ex parte solius voluntatis in antecedentem, concomitantem, & consequentem. Prima est, quae omnem prorsus voluntatis actum antecedit, quaeque nullo modo nec directe, nec indirecte voluntaria est, & tamen est caussa volendi, quod homo alias non vellet: hujusmodi est ignorantia hominis, qui,

Digitized by Google

ut ait D. Thomas (1), *diligentia adhibita nesciens aliquem per viam transire projicit sagittam, qua interficit transeuntem*: talis quoque fuit ignorantia illius putatoris, de quo Jurisconsultus (2), qui cum ex arbore ramum dejiceret in locum, in quo nullum erat iter, hominem praetereuntem occidit, *cum divinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus esset*.

(1) 1. 2. *q.* 6. *art.* 8.

(2) *L.* 31. *ff. ad l. Aquil.*

5. Altera ignorantia, seu concomitans ea dicitur, quae omnem quidem voluntatis motum antevertit, ut nec directe, nec indirecte sit voluntaria, sed ita tamen opus, quod suscipitur, comitatur, ut non sit caussa illius, quia si abesset ignorantia, illud idem fieret, ceu *cum aliquis*, inquit s. Thomas (1), *vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum putans occidere cervum.* Hujusmodi est & ignorantia illius, qui ut refert Plutarcus (2), cum lapidem in canem jecisset, & casu novercam percussisset, statim in haec verba erupit: *Sors melius consilium cepit, quam nos*.

(1) 1. 2. *q.* 6. *art.* 8.

(2) *Lib. de animi tranquill.*

6. Tertia demum ignorantia, seu consequens ea est, quae voluntatis motum consequitur, quaeque a voluntate vel directe, vel indirecte volita est, & ideo tamquam effectus ex voluntate, ut caussa enascitur. Si directe, & expresse ignorantia haec a voluntate sit volita, & quaesita, tunc dicitur affectata, hoc est quam quis affectat habere, seu data opera, & de industria consectatur, & in qua versari vult, ut liberius peccet, vel excusationem aucupetur in peccatis suis. Hujusmodi est ignorantia eorum, qui consilium petere, vel sacras conciones audire de industria omittunt, ne forte audiant illicitum esse id, in quo delectantur: item ignorantia eorum, qui admonentibus silentium indicunt, ajuntque nolle se injici sibi scrupulos, de quibus propterea intelligitur illud (1): *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*; & illud (2): *Noluit intelligere, ut bene ageret*.

(1) *Job. cap.* 21.

(2) *Psalm.* 25.

7. Si vero indirecte, & implicite tantum ignorantia sit volita, hoc est in negligentia discendi (quod fit, cum quis directe quidem, & expresse ignorantiam non vult; at praetermittit tamen eam adhibere diligentiam, quae necessaria est ad eam pellendam) tum haec pro majori, vel minori negligentia ignorantis bifariam eadem subdividitur; si enim nulla, vel modica pro rei gravitate adhibeatur diligentia, ignorantia crassa, vel supina dicitur, quia qui crassi sunt, & pingues solent esse desides, & pigri, ut & qui jacent supini, otiosi, ac remissi etiam esse solent. Hinc dicitur in lege civili (1), supinam ignorantiam ferendam non esse. Si qua vero, non tamen

Digitized by Google

sufficiens adhibeatur diligentia, vocatur ignorantia non crassa, nec supina, sed simplex.

(1) *L.6. ff. de jur., & facti ignorant.*

8. Notes hic: alterum voluntatis motum consequitur ignorantia consequens, praecedit alterum: consequitur illum voluntatis actum, quo quis directe, vel indirecte vult ignorare; praecedit vero actum, qui ex ignorantia suscipitur, cum ejusdem caussa sit; actus enim non fieret, si haberetur cognitio; quare ignorantia consequens, seu vincibilis quoad hunc voluntatis actum, antecedens dici potest: quoad primum vero consequens dicenda est. Quamobrem non satis recte ratione actionis, quae suscipitur ex ignorantia, haec dividitur a Theologis in antecedentem, concomitantem, & consequentem: ratio est, quia ignorantia etiam consequens in ordine ad actionem dici debet antecedens, cum illius caussa sit.

9. Dividitur tertio ex parte voluntatis in vincibilem, & invincibilem. Invincibilis est, quae diligentia communi, quam viri prudentes in similibus adhibere solent, vinci, ac superari non potest. Dixi *communi*, quia nec requiritur diligentia *curiosissimi*, nec sufficit diligentia *negligentissimi* (1). Vincibilis vero, quae adhibita communi diligentia, quae in similibus adhiberi a viris prudentibus solet, vinci, expellique potest.

(1) *L.9. §.2. ff. de juris, & facti ignorantia.*

10. Porro confundenda non est antecedens ignorantia cum invincibili; antecedens enim semper est invincibilis; invincibilis vero non est semper antecedens, ut patet in ignorantia concomitante.

11. Ignorantia ratione objecti dividitur in ignorantiam juris, & facti. Ignorantia juris est ea, qua lex, seu praeceptum ignoratur: ignorantia facti, qua nescitur particulare factum aliquod legi, vel praecepto esse contrarium. Sunt, qui addunt ignorantiam poenae, qua ignoratur poena a lege lata in delinquentes; sed haec confunditur cum ignorantia juris, cum alia sit lex dispositiva, poenalis alia. Hinc qui nescit matrimonium cum consanguinea vi legum ecclesiasticarum nullum, & irritum esse, laborat ignorantia juris, seu legis; dum vero ignorat, eam, cum qua matrimonium init, sibi esse consanguineam, laborat ignorantia facti. Dum demum ignorat, iis, qui consanguineam ducunt, excommunicationis poenam esse impositam, laborat ignorantia poenae, seu ignorat legem poenam decernentem.

12. Jam ut in varias ignorantiae species inquiramus, vidimus supra (pag.67.) nullam dari ignorantiam invincibilem quoad prima juris naturalis principia, & proxime ab his fluentes conclusiones. Hinc jus naturae omnibus commune dicitur (1), & quidem quoad dicta principia, & proxime fluentes propositiones: *Veluti erga Deum religio, ut parentibus & patriae pareamus* (2). Quare

Digitized by Google

quum stuprum, adulterium, incestus primis naturae principiis prohibeantur, poenam non evadent minor (3), mulier (4), & rusticus (5), si haec perpetraverint crimina, etiamsi juris ignorantiam allegent (6). At si sermo habeatur de conclusionibus, quae remote tantum ex primis naturae principiis deducuntur, in iis dari posse ignorantiam invincibilem superius (pag.68. & seq.) demonstravimus. Unde quamvis plures Theologi doceant proxime ex jure naturae fluere prohibitionem matrimonii cum ascendentibus, vel descendentibus, remote vero cum aliquibus consanguineis ex latere, vel affinibus; jus tamen civile poenam solum infligit mulieri matrimonium ineunti cum ascendente, vel descendente, non autem cum consanguineo ex latere, vel affine, licet juris civilis in utroque casu matrimonium prohibentis (7) ignorantiam alleget; quia sentit in primo casu nullam, bene vero in secundo juris naturalis quoad remotas conclusiones dari posse ignorantiam. Enim vero jus civile mulierem legem ignorantem a poena liberat, ut inferius videbitur n.20. Si ergo punit primum, non autem secundum matrimonium, signum est sensisse prohibitionis secundi, non vero primi matrimonii dari posse ignorantiam.

(1) *L. 1. §. ult. ff. de just.& jure.*
(2) *L. 2. ff. eod.*
(3) *L.36. ff. ad leg. Jul. de adult.*
(4) *L. 38. ff. eod.*
(5) *Arg. l. 2. cod. de in jus vocando.*
(6) *Arg. l. 38. juncto §. 2. ff. ad l. Jul. de adult.*
(7) *L. ult. ff. de ritu nupt.*

13. Quod pertinet ad legem ecclesiasticam ignorantia sive juris, sive facti invincibilis, quum excuset a culpa, excusat pariter a poena; etenim poena infligitur propter culpam (1); ergo si nulla est culpa, nulla quoque esse debebit poena.

(1) *Can. 1. & 2. caus. 1. q. 4. & cap. 2. de Const.*

14. Ignorantia legis ecclesiasticae, quae excusat a gravi culpa, excusat etiam a gravi poena; nam poena respondere debet culpae, quum culpa sit poenae mensura; ergo si culpa gravis non est, neque gravis esse debet & poena. Hinc quum ille qui communicat cum excommunicato vitando levem solum culpam admittat, non majorem, sed minorem tantum excommunicationem incurrit (1).

(1) *Cap. 39. de sent. excommun.*

15. Ignorantia vincibilis crassa & supina legis ecclesiasticae non liberat a poena per eam lata (1); at si lex feratur sub hac, vel aequivalenti formula: *Qui scienter, temerario ausu contra fuerit, aut praesumpserit*, ignorantia crassa etiam, & supina a poena excusat; nam haec verba: *Qui scienter, qui temerario ausu &c.* frustra apposita non sunt, & aliunde importare videntur legis scientiam, neque enim de eo, qui legem ignorat etiam vincibiliter, dici potest,

Digitized by Google

quod *scienter*, *temerario ausu* agat in legem.

(1) *Cap.* 2. *de Const. in* 6. & *cap.* 9. *de Cler. excom. ministr.*

Sed excusabit ne a praedicta poena ignorantia affectata?

16. ℟. probabilius non excusare, quia ignorantia affectata aequiparatur scientiae (1). Adde, quod non videatur probabile legislatores velle a poena eximere eos, qui ignorantiam legis de industria quaerunt, ut eam liberius transgrediantur.

(1) *Cap.* 1. *de temporib. ordinat. in* 6. *ubi sic*: Eos, qui Clericos Parochiae alienae absque superioris ordinandorum licentia scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quaesito praesumpserit ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos; *Notanda autem sunt haec verba*: Scienter, seu affectata ignorantia.

17. Ignorantia etiam invincibilis solius poenae, sed non legis ecclesiasticae poenam decernentis non excusat a poena; enimvero leges poenas statuunt culpae proportionatas, ergo qui culpam admittit, poenae fit reus, etiamsi hujus habeat ignorantiam invincibilem; qui enim totam poenae causam ponit, scilicet culpam, aequum est, ut sentiat culpae effectum, scilicet poenam. Excipienda tamen est poena censurae; nam censura in eos solum infligi potest, qui aliter emendari non possunt (1); porro dici non potest, quod aliter emendari non possunt illi, qui ignorant legem censuram imponentem; cognita enim censura forte a legis transgressione cessarent.

(1) *Can.* 41. *causa* 11. *q.* 3. *ibi*: Anathema est aeternae mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.

18. Nunc accedendo ad legem civilem, distinguendum est inter poenam, & negotia civilia, & quantum ad poenam, distinguendum adhuc erit inter legem universalem; quae obtinet in toto imperio, & particularem, quae in aliqua civitate, vico, vel pago viget. Si de prima sermo habeatur, ignorantia juris regulariter neminem excusat, ut poenam evadat; praesumit enim lex hanc ignorantiam vincibilem esse; quum unusquisque operam dare debeat, ut legem perspectam habeat, & sic eam adimpleat (1); eo quod Principes suas constitutiones ignorare, vel dissimulare nemini permittant (2); & aliunde debita diligentia adhibita quisque in legis cognitionem facile venire potest, sive quia jus finitum est (3), sive quia quisque peritiores consulere potest (4). Quia tamen jus licet finitum, hodie multiplex est, ac variis interpretationibus, & dissensionibus obnoxium, si jus Romanum praesertim inspiciamus, nec semper cuique quovis tempore datum sit consulere peritiores, hinc si judici aperte constaret aliquem invincibiliter legem ignorasse, a poena eum eximere debebit (5);

Digitized by Google

& haec sententia penes nos maxime obtinere debet, quia Principes nostri, quum nolint ullam promulgari legem, quae non solum in damnum commune, verumetiam neque in damnum alicujus privati vergere possit, (6) nolunt propterea neminem puniri, qui contra legem inculpabiliter egerit. Si autem agatur de lege particulari, distinctione adhuc opus est; nam quoad incolas illius loci, in quo viget lex particularis, puta singularis consuetudo, particulare statutum, idem dicendum, ac diximus de lege universali; quum hic eadem militent argumenta, & rationes; at quoad caeteros, ignorantia hos excusare debet; quum enim alibi morentur, non ita facile ac incolae in legis notitiam venire poterant.

(1) *L. Sacratissimae* 9. *cod. de leg.*

(2) *L. penult. cod. de juris & facti ignorantia.*

(3) *L.* 2. *ff. eodem.*

(4) *L.* 9. §. 3. *ff. eodem.*

(5) *Dicta l.* 9. *ubi sic*: Juris ignorantiam non prodesse, Labeo ita accipiendum existimat, si jurisconsulti copiam haberet, vel sua prudentia instructus sit, ut cui facile sit scire, ei detrimento sit juris ignorantia, quod raro accipiendum est.

(6) *Lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 15. §. 15. *R. Constit.*

19. Dixi regulariter, quia ignorantia juris praesumitur in minoribus, mulieribus, rusticis, ac militibus; & primo quidem minoribus ignorantia non obest, *quia ipsis jus ignorare permissum est* (1).

(1) *L.* 9. *ff. de juris & facti ignorantia.*

20. Mulieribus pariter non officit ignorantia (1); quare si mulier ob juris ignorantiam fisco se detulerit, damno non afficitur (2), nec etiam punitur, si ob eamdem juris ignorantiam incestum commiserit solo civili jure, non gentium prohibitum (3). Porro ex Paulo (4) ille committit incestum jure gentium prohibitum, qui matrimonium init cum ascendente, vel descendente; qui vero nubit consanguineis ex latere, vel affinibus, is incestus solo civili jure prohibiti reus fit.

(1) *L.* 9. *ff. de juris, & facti ignorantia.*

(2) *L.* 2. §. *ult. de jure fisci.*

(3) *L.* 38. §. 2. *ff. ad l. Juliam de adulteriis.*

(4) *L. ult. ff. de ritu nuptiarum.*

21. Rusticis quoque ob juris ignorantiam subvenitur; unde si album Praetoris non dolo, sed simplicitate ductus rusticus corruperit (1), si Fisco se detulerit (2), in his, atque aliis similibus casibus nullam sentiet, & dabit poenam.

(1) *L.* 7. §. 4. *ff. de jurisdict.*

(2) *L.* 2. *ff. de jure fisci.*

22. Demum militiae favor in causa est, ut militibus ignorantia non noceat; unde si milites beneficii inventarium non imploraverint ante aditionem hereditatis, non obligantur ad solvenda integra legata ultra vires

Digitized by Google

haereditatis (1); poenam quoque effugient, si in testamento sibi adscripserint (2), sicut a poena commissi excusantur ob omissas professiones (3).

(1) *L. ult. §. ult. cod. de jure deliberandi*

(2) *L. penult. cod. de his, qui sibi adscrib.*

(3) *L. 3. cod. de vectigalib., & Commiss.*

23. Minoribus ergo, mulieribus rusticis, ac militibus ignorantia juris non obest, quia scientia in his non praesumitur, & aliunde legislatores minorem in cognoscendis legibus in his propter aetatis, aut sexus imbecillitatem, rusticitatem, vel militiae favorem, quam in aliis, diligentiam requirunt; quia tamen praesumptio cedit veritati (1), si in minoribus malitia superet aetatem (2), si in mulieribus dolus adsit (3), si rustici, & milites prudentia satis instructi sint, vel degant in locis, in quibus jurisconsultorum copia habetur (4), etiamsi juris ignorantia allegetur, non eis fidem judex, vel Theologus praestare debebit.

(1) *Can. 4. dist. 8., l. ult. ff. Quod metus causa, l. 29. ff. de probationibus.*

(2) *L. 9. §. 2. ff. de minoribus.*

(3) *L. 2. §. 3. ff. ad S. C. Vellejanum.*

(4) *Arg. l. 9. §. 3. ff. de juris & facti ignorantia.*

24. A poena contra legum violatores praestituta gradum facientes ad negotia civilia, distinguendum quoque hic est, & secernendum lucrum a damno; in lucro nocet ignorantia juris, seu ignorantia juris non prodest iis, qui acquirere volunt (1), sic juris ignorantia officit in usucapione (2); excipiendi tamen sunt minores (3), ac milites (4), non tamen foeminae, quibus obest ignorantia juris (5).

(1) *L. 7. ff. de juris & facti ignorantia.*

(2) *L. 4. eodem.*

(3) *L. 11. cod. eodem, l. 44. ff. de minoribus.*

(4) *L. 9. §. 1. ff. de juris & facti ignorantia.*

(5) *L. 8. ff. eodem.*

25. Si autem loquamur de damno, videndum, an damnum sit rei amittendae, an rei amissae. In damnis rei amittendae, seu iis, qui suum petunt, nullum nocumentum affert juris ignorantia (1); quare si quis putaverit alterum posse praescribere rem suam breviori tempore, quam sit a jure praestitutum, poterit eam vindicare; quia in hoc casu certat de damno vitando, seu de non amittendo rei suae dominio; porro iis, qui damnum vitare intendunt, jura subveniendum esse judicarunt (2).

(1) *L. 7. & 8. ff. de juris & facti ignorantia.*

(2) *L. 6. §. 11. ff. Quae in fraudem credit.*

26. Aliter res se habet in damno rei amissae, seu cujus dominium in alterum jam translatum est; quare si

quis per juris ignorantiam rei suae dominium in alterum transtulerit, nullam amplius habet condictionem. Hinc jure communi si major 25. annis renuntiaverit matris suae haereditati sera prece sibi subveniri desiderat (1). Similiter si pecuniam indebitam solverit (2), aut integra legata absque falcidiae detractione (3) non amplius auditur. Haec quae videntur juri naturae contraria, ipsi maxime consona apparebunt, si animadvertamus non cujuscumque per juris ignorantiam solutionis condictionem denegari, sed solum in eo casu, in quo id quod jam solutum est, naturaliter debitum erat; atque haec sententia, quae plurimorum jurisconsultorum est, legi & rationi admodum consentanea videtur. Et primo quidem legi; nam hic agitur de damno rei amissae, seu de re, cujus dominium in alterum translatum est; atqui ille, qui per ignorantiam juris solvit id, ad quod nullo jure, ne naturali quidem, ad solvendum tenebatur, non transfert rei suae in alterum dominium; nam ad transferendum dominium non sufficit nuda traditio, sed ulterius requiritur titulus (4), qui in hoc casu nullus est; ergo poterit solutum ab altero condicere, atque vindicare; ergo in eo solum casu denegatur condictio, in quo id quod solutum est, naturaliter debitum erat. Ratio quoque huic sententiae suffragatur; admissa enim adversariorum sententia lex puniret eum, qui nullius culpae reus est, & faveret ei, qui recepit id, quod nullo jure sibi debebatur, nullumque illud recipiendi meritum habebat.

(1) *L.* 2. *cod. de juris & facti ignoratia*.

(2) *L.* 10. *cod. eodem.*

(3) *L.* 9. §. 5. *ff. eodem.*

(4) *L.* 31. *ff. de acquirendo rerum dominio ibi*: Nunquam nuda traditio transfert dominium, nisi venditio, aut aliqua justa causa praecesserit, propter quam traditio sequeretur.

27. Nec dicas, ne naturaliter quidem, teneri haeredem absque falcidiae detractione integra legata solvere, & tamen, si solvat, nullam habere condictionem, & repetitionem (1); etenim hic de casu singulari agitur; legislatores enim voluerunt quidem haeredi favorem concedere detrahendi falcidiam a legatis, sed sub hac conditione tantum, si nempe per juris ignorantiam ea non solverit.

(1) *L.* 9. §. 5. *ff. de juris & facti ignorantia*.

28. Nec addas generatim statutum esse, ut denegetur repetitio eorum, quae per juris ignorantiam soluta sunt (1); etenim haec lex intelligenda est de eo, quod quamvis sit indebitum civiliter, quatenus nulla competat actio ad exigendum, est tamen debitum naturaliter; & sane ignorantia juris non nocet suum petentibus (2); jam vero suum petit ille, qui condicit id quod alteri nec civiliter, nec naturaliter debitum est.

Digitized by Google

(1) *L.* 10. *cod. de juris & facti ignorantia*.

(2) *L.* 7. *ff. eodem*.

29. Jure quoque civili ignorantia invincibilis solius poenae, non autem criminis, cui poena annexa est, a poena non excusat; atque hic locum habent etiam ea argumenta, quibus superius usi sumus numero 17. Unde praxi omnium tribunalium receptum est, ut legum violatores subjiciantur poenis exilii, mortis &c. etiamsi nullam harum legum habuerint notitiam. Idem dicendum de ignorantia invincibili legis quosdam actus irritantis; isti enim actus omnino irriti sunt; quare licet per ignorantiam etiam invincibilem omittantur in testamentis, contractibus &c. solemnitates essentiales a legibus requisitae, non propterea testamenta, contractus &c. ullum habebunt valorem, prout diximus superius pag. 274. num. 9.

30. Hactenus de ignorantia juris, nunc paucis dicendum de ignorantia facti. Hic porro, sicut in ignorantia juris, aliquae faciendae erunt distinctiones; vel enim ignorantia est facti proprii, vel alieni; utraque vel est vincibilis, vel invincibilis.

31. Et primo ignorantia facti sive proprii, sive alieni invincibilis nullum ignoranti incommodum affert, sive agatur de damno vitando, sive de lucro captando, sive de delictis, sive de negotiis civilibus (1). Hoc tamen intercedit discrimen inter primam & secundam ignorantiam, quod prima regulariter non praesumitur, sed supina, vel affectata creditur (2), quia unusquisque censetur ea non ignorare, quae ad se pertinet, nisi forte ageretur de iis, quae antiqua sunt, in quibus locum habere facile potest oblivio (3). Secunda probabilis judicatur, atque generatim praesumitur (4). Unde in primo casu ignorans tenetur suam probare ignorantiam, non autem in secundo (5).

(1) *L.* 8. *ff. de juris & facti ignorantia*, *l.* 7. *cod. eod.*

(2) *L.* 3. *ff. eodem.*

(3) *L.* 7. *ff. de Confessis.*

(4) *L.* 2., *juncta l.* 3. *ff. de juris & facti ignorantia*.

(5) *Arg. l.* 21. *ff. de probat. & l.* 23. *cod. eodem*.

32. Secundo ignorantia crassa & supina non solum proprii, sed etiam alieni facti ignoranti non prodest, quum haec nullo modo ferenda sit (1). Quod multo magis asserendum est de ignorantia affectata, quae pro scientia reputatur (2); neque enim legislatores favorem concedere volunt iis, qui eo animo legis notitiam respuunt, ut eam impune transgredi possint.

(1) *L.* 6. *ff. de juris & facti ignorantia.*

(2) *Cap.* 1. *de temporibus ordinat. in* 6.

33. Quod usque nunc diximus de ignorantia, illud idem dici debet de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione; inadvertentia enim carentia est actualis cognitionis, inconsideratio privatio est debitae inspectio-

Digitized by Google

nis, oblivio privatio est recordationis rei alias notae. Quare quum sint privationes cognitionis ad ignorantiam merito revocantur, & eadem, quae hujus, est earum conditio.

CAPUT XIII.

De consuetudine.

SUMMARIA

1. *Traditur consuetudinis definitio.*
2. *Explicatur, quare dicatur jus.*
3. *Explicatur, quare dicatur moribus institutum.*
4. *Non recte dividitur consuetudo in consuetudinem facti, & juris.*
5. *Differt consuetudo a more, lege, stylo curiae, & praescriptione.*
6. *Dividitur primo consuetudo in universalem, & particularem.*
7. *Dividitur secundo in eam, quae est juxta legem, praeter legem, & contra legem.*
8. *Dividitur tertio in ecclesiasticam, & civilem.*
9. *Reprobatur divisio consuetudinis in rationalem, & irrationalem.*

1. Consuetudo definiri potest *jus quoddam moribus institutum*; addunt alii cum Isidoro (1), *quod pro lege suscipitur, cum deficit lex*, sed non satis accurate; haec enim verba unam tantum consuetudinis speciem, quae praeter legem dicitur, comprehendunt, eam vero, quae est secundum, vel contra legem non involvunt.

(1) *Relato in can. 5. dist. 1.*

2. Dicitur in primis *jus quoddam*, quia *inveterata consuetudo pro lege custoditur* (1).

(1) *L. 32. ff. de leg.*

3. Dicitur secundo *moribus institutum*, seu ex actibus frequentatis, & repetitis ortum ducens; actus enim ipsi repetiti, quum sint aliquid facti, jus esse non possunt, sed id solum, quod ex actuum repetitione, & frequentia oritur, jus est.

4. Ex his colligitur primo non esse ad Logicae regulas compositam divisionem consuetudinis in consuetudinem facti, quae nil aliud est, quam frequentia actuum, & consuetudinem juris, quae est jus ex illa frequentia ortum.

5. Colligitur secundo differentia consuetudinis primo a more, quia mos factum tantum respicit, consuetudo quoque jus. Secundo a lege, quae a sola legislatoris voluntate pendet, consuetudo vero ab actuum frequentia. Tertio a stylo curiae, qui vim legis habet in judiciorum praxi; at consuetudo non solum praxim judiciorum, sed quamlibet aliam humanam materiam respicit. Quarto a praescriptione, quia ad consuetudinem requiritur consensus legislatoris, sed in praescriptione nullus requiritur consensus ejus, contra quem praescribitur; & ut alias omittam differentias, ad consuetudinem plures requiruntur actus multitudinis, ad praescriptionem sufficit usus privatae personae;

Digitized by Google

ad consuetudinem nec bona fides, nec titulus desiderantur: haec omnia in praescriptione.

6. Dividitur primo consuetudo in universalem, & particularem. Prima ea est, quae in tota Ecclesia, vel toto imperio viget; altera, quae in dioecesi, vel provincia, vel civitate, vel Parochia solum obtinet.

7. Dividitur secundo in eam, quae est juxta legem, praeter legem, & contra legem. Consuetudo juxta legem, seu legi conformis eam explicat, ac declarat, ita ut in eo sensu sit servanda, quo eam interpretatur consuetudo (1). Consuetudo contra legem est illa, quae legem ante latam abrogat (2), & dicitur jus permissivum, seu lex permittens. Demum consuetudo praeter legem est illa, quae novum jus inducit, quod antea non erat (3).

(1) *L.* Nam Imperator 38. *ff. de leg.*

(2) *L.* 32. §. 1. *ff. de leg.* §. 9. *instit. de jure nat.*

(3) *L.* 36., 38. *de leg.*

8. Dividitur tertio in Ecclesiasticam, & civilem. Prima in materia Ecclesiastica, secunda in materia civili versatur.

9. Dividitur demum a pluribus in rationabilem, & irrationabilem, sed male; nam irrationalis non est consuetudo, sed corruptela.

ARTICULUS I.

De conditionibus ad consuetudinem requisitis, ut vim legis habeat.

SUMMARIA

1. *Referuntur conditiones ad consuetudinem requisitae, & primo consuetudo debet esse rationabilis, honesta scilicet, & utilis bono publico.*
2. *Objectio solvitur.*
3. *Consuetudo secundo debet esse legitime praescripta.*
4. *Ad praescribendum contra legem civilem sufficit decennium.*
5. *Objectio solvitur.*
6. *Ad praescribendum contra legem canonicam decennium sufficere videtur.*
7. *Objectio solvitur.*
8. *Actus ad consuetudinem necessarii quasdam habere debent proprietates, non tamen esse debent positivi.*
9. *Ex actibus negativis tunc tantum inducitur consuetudo, cum omittuntur eo tempore, quo urget lex.*
10. *Actus consuetudinis primo debent esse liberi.*
11. *Debent secundo esse uniformes.*
12. *Debent tertio esse publici, & uniformes.*
13. *Debent quarto esse frequentes.*
14. *Non potest tradi regula, qua determinetur frequentia actuum ad consuetudinem inducendam.*
15. *Debent tandem actus esse exerciti animo se obligandi, vel deo-*

bligandi, prout conſuetudo eſt praeter, vel contra legem.

16\. *Explicatur, quando conſuetudo cenſeatur inducta animo invehendae obligationis.*

17\. *Actus pluries habiti ex ſola devotione nullam inducunt conſuetudinem.*

18\. *Conſuetudo a ſola communitate, non vero ab una, vel altera perſona induci poteſt.*

19\. *Ad conſuetudinem inducendam requiritur conſenſus Principis, ſaltem legalis.*

20\. *Dicta ſuperius intelligenda ſunt de regimine Monarchico, vel Ariſtocratico, non vero de Democratico.*

21\. *Ad conſuetudinem inducendam via conniventiae nulla requiritur bona fides.*

22\. *Sentiunt aliqui neceſſariam eſſe bonam fidem ad conſuetudinem via praeſcriptionis inducendam.*

23\. *Verior eſt ſententia eorum, qui aliter ſentiunt.*

1\. Quinque vulgo conditiones requiruntur, ut conſuetudo vim legis habeat, quarum prima haec eſt, ut ſit rationabilis, ſeu honeſta, & utilis bono publico, honeſta quidem, ideſt nec juri naturali, nec juri divino contraria; non debet ergo eſſe juri naturali adverſa conſuetudo: *quia ratio, & veritas conſuetudini praeponenda eſt* (1), & (*ut B. Cypriani ſententia utamur*) .... *uſus, qui veritati eſt contrarius, eſt abolendus* (2), *cum .... nemo ſanae mentis intelligit, naturali juri, cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit, quacumque conſuetudine, quae dicenda eſt verius in hac parte corruptela, poſſe aliquatenus derogari* (3). Nec pariter eſſe debet contraria juri divino, quia hoc jus *procedit a voluntate divina, unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem a voluntate hominis* (4): Nullibi enim permiſit Deus, ut per conſuetudinem ſuis legibus derogetur, ſicuti permittunt Principes de legibus a ſe latis. Ut conſuetudo ſit rationabilis debet inſuper eſſe utilis bono publico, ſi enim bono communi eſſet inutilis, legis rationem habere non poſſet.

(1) *Auguſtinus relatus in c.* Fruſtra 7. *diſt.* 8.

(2) *C.* Si conſuetudinem 5. *ex Gregorio VII. diſt.* 8.

(3) *Cap.* 11. Cum tanto *de conſuetudine.*

(4) *s. Thomas* 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad primum.*

Sed inquies, quomodo poteſt eſſe rationabilis conſuetudo, eo ipſo, quo eſt contra legem, quae rationabilis eſt.

2\. ℟. Diſtinguendos eſſe actus conſuetudinem antecedentes, qui, cum non ſatis ſunt frequentes, & repetiti, non ſufficiunt ad eam inducendam, a conſuetudine ipſa, quae ortum habet ab actibus ſatis frequentatis, & repetitis; actus antecedentes conſuetudinem, nec ſatis frequenta-

ti, mali communiter evadunt, quia sunt contra legem, quae rationabilis est; at statim ac actus isti sunt satis repetiti, tunc cum pariant consuetudinem, lex desinit esse rationabilis; quum magis expediat bono publico, ut servetur consuetudo, quam lex; sive quia talis est humanarum rerum conditio ut noxium quandoque evadat, quod antea publicae utilitati inserviebat; sive quia, si Princeps in hoc casu legis obligationem urgeret, majora in Rempublicam inveheret incommoda, quam essent commoda ex legis observantia oritura; unde in ejus abrogationem consentit; egregie propterea s. Thomas (1): *Cum casus contra legem multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem, quod lex ulterius non est utilis, sicut manifestaretur, si lex contraria per verba promulgaretur. Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit; nisi forte propter hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundum consuetudinem patriae, quae erat una de conditionibus legis; difficile enim est consuetudinem multitudinis removere.*

(1) 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 2.

Dixi *communiter*, quia plures sunt qui bona fide agunt, sive quia legem ignorant, sive quia prudenter credunt caussam legis finalem cessasse.

3. Secunda conditio ad consuetudinem requisita haec est, ut sit legitime praescripta, seu per longum tempus continuata. Verum hic opus est distinctione; vel enim consuetudo inducitur via conniventiae, Legislatore scilicet sciente, & connivente, vel via praescriptionis, Legislatore penitus ignorante. Si via conniventiae, " certum videtur, *inquit Benedictus XIV.* (1) nullum „ temporis spatium esse necessarium, „ quando Legislator scit suam legem non recipi, & quum commode possit ejus observationem „ urgere, dissimulat, tacetque, neque in transgressores animadvertit; tunc quippe post paucos actus a Superiore toleratos praesumitur, quod idem per hanc ipsam „ conniventiam suam legem tacite „ revocet, nolitque ea obstringere „ communitatem, cui displicet. " Etenim *in omnibus .... ubicumqne scientia exigitur domini, sic accipienda est, si, cum prohibere posset, non prohibuit* (2).

(1) *Lib.* 13. *de Syn. cap.* 5. *n.* 3.

(2) *L.* In omnibus 3. *& l. seq. ff. de noxal. act. l.* 1. *§.* 3. *ff. de tributor. act.*

Si autem via praescriptionis, seu Legislatore penitus ignorante consuetudo introducatur, tunc longum tempus requiritur (1).

(1) *L.* 32. *§.* 1. *l.* 33., 35. *de leg. l.* 1. 2. *cod. quae sit longa consuet.*

4. Quot autem anni requirantur, & sufficiant ad longum tempus, non satis

constat inter Jurisconsultos, & Theologos, credimus porro primo ad inducendam consuetudinem contra legem civilem requiri, & sufficere decennium, & quidem continuum, nec interruptum per actus contrarios, sive superioris resistentis, sive populi illam interrumpentis, non quidem ut aliqui ratiocinantur, quia res immobiles civiles non nisi post 10. annorum spatium praescribuntur. Nam quum in jure civili quandoque 10., quandoque 20, & quandoque 30. anni requirantur ad quorundam bonorum praescriptionem, sequeretur aliquando requiri 10., aliquando 20., aliquando 30. annos ad praescribendum contra legem, quod omnino absurdum est, sed potius quia ex jure civili, ut consuetudo vim legis habeat, & legem abroget debet esse longa (1). Atqui per longam consuetudinem jus civile intelligit illam, quae decennio duravit, nam decennium in jure civili dicitur longum tempus (2). Ergo ex jure civili consuetudo, quae per decennium duravit, sufficit ad abrogandam legem civilem.

(1) *L.* 33. *ff. de leg. l.* 1. *cod. quae sit longa consuetudo*.

(2) *L.* 16. *§.* 3. *qui, & a quibus manum., l.* Super longi 11. *cod. de praescr. longi temporis*.

At, inquies, quamvis consuetudo aliquando appelletur diuturna, & longa, alibi tamen nominatur longaeva, inveterata, antiqua (1), quae sane adjuncta tempus decennio longius ostendunt. Ergo decennium non sufficit ad inducendam consuetudinem contra legem civilem.

(1) *L.* 2. 3. *cod. quae sit longa consuetud. l.* 32. *§.* 1. *ff. de leg.*

5. ℟. Appellari quidem consuetudinem longaevam inveteratam &c. in jure civili, sed ibi non dicitur debere esse longaevam, inveteratam &c. ut tollat legem, sed solum dicitur inveteratam consuetudinem legem abrogare, vel inducere; sicut ergo ex eo quod in jure civili dicatur spatium 30. annorum sufficere ad praescribenda bona immobilia; non inde consequens est satis non esse ad ea bona praescribenda spatium decem annorum inter praesentes; ita a pari, quamvis dicatur consuetudinem inveteratam abrogare legem, non inde sequitur longam, seu decennalem consuetudinem non sufficere.

6. Credimus secundo decennalem sufficere pro lege canonica abroganda; enim vero standum est juri civili, quando nil fuerit per jus canonicum determinatum (1). Porro jus canonicum tempus non designavit ad praescribendum contra jus canonicum; ergo, quum ex communissima Theologorum sententia decennium sufficiat ad praescribendum contra legem civilem, idem tempus satis erit ad praescribendum contra legem canonicam.

(1) *Cap.* Intelleximus 1. *de novi operis nunciat.*

Google

7. Nec nobis opponas res immobiles, & jura Ecclesiae non praescribi nisi spatio 40. annorum (1), legem autem canonicam esse rem immobilem, & jus quoddam Ecclesiae. Enim vero in citatis capitulis sermo tantum habetur de praescriptione bonorum immobilium Ecclesiae, ejusque jurium, quae tamquam bona immobilia considerantur, neutiquam vero de praescriptione contra legem canonicam; alioquin inde sequeretur, quod cum 100. anni requirantur ad praescribenda bona Ecclesiae Rom. immobilia (2), centum pariter anni requirentur ad praescribendum contra leges Pontificias, quod nec adversariis ipsis arridet.

(1) *Cap.* 4. 6., *&* 15. *de praescript.*

(2) *Cap.* 13. *&* 14. *de praescript.*

8. Tertia conditio ad consuetudinem requisita est, ut actus, quibus ea inducitur, quasdam habeant proprietates. Et primo quidem juxta plures debent esse positivi. Sed hoc generatim verum non est, quandoquidem etiam per actus negativos consuetudo inducitur abrogans legem. Sic ex. gr. quum jure communi cautum esset, ut singuli fideles diebus festis Missae interessent parochiali, quae obligatio inducta est ante Concilium Sardicense, variisque posterioribus synodis confirmata; processu temporis, quum fideles tali Missae interesse passim omiserint, factum est, ut quemadmodum observat Benedictus XIV. (1). illis sanctionibus derogatum sit contraria consuetudine, quam jam sua aetate inductam multis in locis innuit s. Antoninus.

(1) *De syn. lib.* 11. *cap.* 14. *n.* 8.

9. Porro hic est observandum actus negativos tunc tantum inducere consuetudinem, quando omittuntur eo tempore, quo urget lex. Sic cessavit obligatio auditionis Missae Parochialis, quia a fidelibus omissa est eo tempore, quo ejus obligatio urgebat. At si lex non observetur, quando ejus actus non occurrunt, nulla inducitur consuetudo legi contraria. Sic si fideles non solvant decimas iis annis, quibus eorum bona nullos fructus faciunt, non propterea eximentur obligatione decimas solvendi pro iis annis, quibus bona, ex quibus solvendae sunt decimae, fructus tulerint.

10. Actus primo debent esse liberi; nam consuetudo legis rationem habet; ergo non minus, quam lex voluntaria esse debet; quare, etiamsi pluries populus ad aliquid faciendum, vel omittendum vi, vel metu inducatur, nulla inde orietur consuetudo (1).

(1) *L.* 1. *& ult cod.* quae sit longa consuetudo.

11. Debent secundo esse uniformes; si enim difformes fuerint, nihil erit, unde colligi poterit populi consensus in consuetudine stabilienda (1).

(1) *Ita Senatus apud Thesaurum lib.* 1. *q.* 48. *n.* 3. *&* 6.

12. Debent tertio esse publici, & notorii; nam consuetudo, ut vim legis habeat, promulgari debet; non potest autem promulgari, nisi per

Digitized by Google

actus publicos, & notorios. Non requiritur tamen, ut actus hujusmodi sint judiciales, modo publici sint (1); imo firmior est ea consuetudo, de qua nunquam in judicio fuerit dubitatum (2).

(1) *L.* 38. *ff. de leg.*

(2) *Arg. l.* 36. *ff. de leg.*

13. Debent quarto actus esse frequentes; id constat tum ex definitione consuetudinis, tum ex legibus (1); duo autem, aut tres actus regulariter non sufficiunt ad consuetudinem inducendam; quod enim bis, aut ter agitur, dici non potest frequenter gestum, quum tamen actuum frequentiam requirat consuetudo (2).

(1) *L.* 1. *& ult. cod.* Quae sit longa consuetudo.

(2) *L.* 32. §. 1. *ff. de leg. l. cit.* 1. *cod.* Quae sit longa consuetudo.

14. Quoties vero actus debeant esse repetiti ad consuetudinem inducendam, nulla regula assignari potest, sed prudentum judicio erit relinquendum, qui omnibus inspectis, judicabit, an talis occurrat actuum frequentia, quae populi consensum satis manifestet (1). Etenim in una materia plures desiderantur actus, in alia pauciores sufficere possunt; sic major actuum numerus requiritur in iis, quae frequentius, minor vero in iis, quae raro eveniunt.

(1) *Arg. l.*32. *de usur.*, *l.*1. §. *ult. de jur. de lib.*, *l.*1. §.1. *ff. de effect.*

15. Debent tandem esse exerciti animo se obligandi, si agatur de consuetudine praeter legem, vel animo obligationis solvendae, si sint contra legem. Superior enim in hac re se accommodat voluntati populi; quare obligationem imponit, vel solvit secundum populi voluntatem.

16. Porro consuetudo censetur inducta cum animo invehendae obligationis. Primo si viri prudentes, & graves ita communiter sentiant; nam, ut inquit Antoine (1), communis sensus prudentum, & peritorum evidentiam moralem parit in rebus ab hominum opinione, & usu pendentibus, & se habent, ut multitudo testium omni exceptione majorum. Secundo si consuetudo sit rei gravis, & difficilis, & tamen diu, constanter, & communiter servetur a majori parte communitatis; plurimi enim non solent citra motivum obligationis ita convenire in hujusmodi actibus. Tertio si Praelati, & Magistratus puniant, vel graviter reprehendant eos, qui non servant consuetudinem; id enim non fit, nisi violetur aliqua obligatio. Ex oppositis indiciis quisque colligere poterit consuetudinem non fuisse inductam cum animo invehendae obligationis.

(1) *Tom.* 1. *pag.* 240.

17. Hinc sequitur actus, qui pluries habiti sunt a populo ex sola devotione, & sine animo se obligandi, ut auditio trium Missarum in die nativitatis Domini, sumptio cinerum die prima quadragesimae, recitatio trium salutationum Angelicarum ad pulsum campanae, non inducere consuetudinem, quae vim legis habeat.

Digitized by Google

18. Quarta conditio ad conſuetudinem neceſſaria eſt, ut a communitate perfecta, non vero ab una, vel altera perſona inducatur. Enim vero conſuetudo legem imitatur; ſicut ergo pauci privati non ſufficiunt ad legem ferendam, ſi legiſlativa poteſtas eſſet penes populum; ita nec ſufficiunt ad inducendam conſuetudinem; neque enim Superior conſentit, ut conſuetudo a paucis privatis introducatur, alioquin vix ulla conſiſtere poſſet lex, quae per conſuetudinem non abrogaretur. Porro a tota communitate cenſetur factum, quod a majori parte fit (1).

(1) *L. 19. ff. ad municip.*

19. Ultima demum conditio eſt conſenſus Superioris habentis poteſtatem ferendi leges. Nam vis legis tota pendet a voluntate legiſlatoris, ſicut ejus abrogatio; ergo quum conſuetudo vim legis habeat, ſine legiſlatoris conſenſu introduci non poterit. Non requiritur tamen conſenſus expreſſus, & perſonalis, ſed ſufficit conſenſus legalis, & juridicus in eo ſitus, ut vel ipſe, vel praedeceſſores ſui receperint legem approbantem conſuetudines rationabiles, & legitime praeſcriptas. Neque hinc aliquid detrahitur legiſlatoris auctoritati. Nam legiſlator, licet ignoret peculiares loci cujuſque conſuetudines, quia tamen non ignorat paſſim in ſuo regno eas introduci, nec iis reſiſtit, imo potius ſervandas praecipit (1), ab ejus conſenſu omnem vim habent.

(1) *L. 36. de leg. cap. fin. de conſuet.*

20. Hucuſque dicta intelligenda ſunt de regimine Monarchico, in quo ſolus Princeps imperat, vel de regimine Ariſtocratico, in quo poteſtas ferendae legis eſt penes Optimates; non vero de regimine Democratico, in quo poteſtas legiſlativa eſt penes multitudinem. In hoc enim regimine, ut ex ſuperius dictis patet, requiritur expreſſus animus inducendae, vel tollendae obligationis in multitudine.

An ad conſuetudinem requiratur bona fides.

21. ℟. Si ſermo ſit de conſuetudine, quae inducitur via conniventiae, ſatis conveniunt Theologi non requiri bonam fidem. Haec enim ortum ducit a tacito Principis conſenſu, qui, quum poſſet facile conſuetudinem impedire, nec impedit, probare exiſtimatur (1).

(1) *L. 3. & 4. ff. de noxal. act.*

22. Si vero agatur de conſuetudine via praeſcriptionis inducta, plures ſentiunt pro hac conſuetudine via praeſcriptionis inducenda requiri bonam fidem. Ratio ipſorum eſt, quia nulla praeſcriptio ſine bona fide currere poteſt, imo nec incipere (1).

(1) *Cap. 20. de praeſcript. cap. 2. de reg. jur. in 6.*

23. Verum contrarium cum aliis ſentimus, ſcilicet pro conſuetudine via praeſcriptionis inducenda non requiri bonam fidem. Ratio eſt, quia haec etiam conſuetudo ſuam vim habet a conſenſu juridico, & legali legiſlatoris. Ergo hoc poſito conſenſu nihil deeſt, quominus conſuetudo

Alaſia t t

vim legis habeat. Nec obstant jura in contrarium adducta; illa enim capitula loquuntur solum de praescriptione bonorum, in qua fatemur & nos requiri bonam fidem, non vero de praescriptione legum, ad quam bonam fidem non requiri contendimus. Ratio discriminis evidens est, quia, quum per praescriptionem bonorum transferatur dominium invito domino, necessaria omnino est bona fides; alioquin aperiretur via fraudibus, & rapinis; plures enim aliena bona raperent, ut post tempus a lege definitum eorum dominium acquirerent. At vero praescriptio legum non fit invito legislatore, sed eo consentiente legaliter, & ab hoc consensu vim suam habet consuetudo legi contraria. Unde nil mirum, si in hac praescriptione bona fides non desideretur.

ARTICULUS II.

De effectibus consuetudinis.

SUMMARIA

1. *Tres numerantur a D. Thoma consuetudinis effectus.*
2. *Consuetudo juxta legem jus praeexistens confirmat, & dubium interpretatur.*
3. *Consuetudo praeter legem jus novum inducit.*
4. *Consuetudo contra legem jus antiquum abrogat.*
5. *Secundum plures consuetudo abrogat quoque legem, in qua haec clausula invenitur*; nulla deinceps consuetudo introduci possit.
6. *Probabilius defenditur consuetudinem inductam sciente, & non contradicente legislatore legem abrogare, non vero eo ignorante.*
7. *Consuetudinem abrogare potest lex.*
8. *Lex universalis consuetudinem universalem sibi contrariam abrogat, non vero particularem.*
9. *Lex universalis, in qua invenitur haec clausula*: Non obstante quacumque consuetudine *abrogat quascumque consuetudines particulares, excepta immemoriali.*
10. *Episcopus non potest condere legem consuetudini suae dioecesis faventem, si opposita sit canoni, vel legi pontificiae.*
11. *Superior tenetur evellere consuetudinem juri naturali, vel divino oppositam.*
12. *Consuetudo inutilis toleranda est, si in ea evellenda mala timeantur, secus amputanda.*
13. *Promovenda est consuetudo, quae bonum publicum, & pietatem augeat, nisi inde majora mala timeantur.*
14. *Referuntur plures consuetudines abrogatae.*

1. Tres a s. Thoma (1) assignantur consuetudinis effectus his verbis: *Consuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretativa*. Ex hoc triplici effectu emanavit illa consuetudinis divisio in eam,

quae juxta, quae praeter, & quae contra legem est.

(1) 1. 2. *q.* 97. *art.* 3.

2. Consuetudo juxta legem, jus praeexistens confirmat; *Quia* (1) *leges firmantur, cum moribus utentium approbantur ...... ita moribus utentium ipsae leges confirmantur.* Quamvis autem leges suum robur habeant a voluntate legislatoris, novum tamen robur a consuetudine accipiunt, quatenus Legislator consuetudinem ipsam approbat. Jus praeterea dubium interpretatur, itaut non liceat cuipiam hanc interpretationem rejicere, quia: *Si de interpretatione legis quaeratur, imprimis inspiciendum est, quo jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuit. Optima legum interpres consuetudo* (2). *Æquum enim est in ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem .... vim legis obtinere debere* (3).

(1) *Can.* In istis 3. *dist.* 4.

(2) *L.* 37. *ff. de leg.*

(3) *L.* 38. *ff. eod.*

3. Consuetudo praeter legem novum jus inducit, ideoque eodem modo obligat, quo lex: *In his rebus*, inquit Augustinus (1), *de quibus nihil certi statuit lex divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.* „ Et ea, *inquit jurisconsultus* (2), quae longa consuetudine approbata sunt, & per annos plurimos observata, veluti tacita civium conventio, non minus, quam ea, quae scripta sunt jura servantur.

(1) *Ep.* 86. (2) *In L.* 35. *ff. de leg.*

4. Consuetudo tandem contra legem eam abrogat: *Rectissime enim receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per dessuetudinem abrogentur* (1). Id ipsum pariter constat ex jure canonico (2).

(1) *L.* 32. *ff. de leg.*

(2) *Cap. ult. de consuet.*

An, quando legislator in sua lege hanc clausulam inserit: *Nulla deinceps consuetudo introduci possit*, consuetudo introducta legem sibi contrariam abroget.

5. ℟. Affirmant plures hac ratione ducti; quia talis clausula est legis humanae, sed quaelibet lex humana abrogari potest per consuetudinem contrariam; ergo & clausula praefata, non secus ac lex humana, abrogari potest.

6. Nobis tamen ita videtur distinguendum; vel consuetudo inducitur sciente, & non contradicente legislatore, quum posset facile contradicere, vel eo ignorante: Si primum, crederem consuetudinem introductam legem abrogare, etiamsi contineat clausulam supradictam; quia eo ipso, quo legislator consuetudinem inolescentem patitur, quum eam impedire commode posset, eam censetur tacite approbare (1). Si vero eo ignorante, per consuetudinem contrariam lex abrogari non videtur, in qua invenitur supra dicta clausula. Primo quia nulla esset illius clausulae vis, quandoquidem sive in le-

Digitized by Google

ge inesset ea clausula, sive non, semper abrogaretur lex per consuetudinem. Secundo quia tunc consuetudo non obtinet, quando legislator resistit consuetudini; porro legislator inserendo praedictam clausulam declaravit se consuetudini inducendae resistere. Hinc nostris in regionibus nulla consuetudo juri Regio contraria introduci potest, quia Carolus Emmanuel felicis recordationis non solum abrogavit consuetudines juri Regio contrarias, sed & prohibuit, ne introducerentur (1).

(1) *L. 3. ff. de noxalib. action.*

(2) *In proem. Reg. Const. §. 1.*

An lex possit consuetudinem abrogare.

7. ℟. de hac re dubium non esse (1); sicuti enim Princeps legem jam existentem per aliam legem contrariam abrogare potest, ita, & consuetudinem; quum tam lex, quam consuetudo, ut vim habeant, a sua pendeant voluntate.

(1) *Cap. 1. de constit. in 6. c. 9.* Cum consuetudinis, *de consuet.*

An per posteriorem legem consuetudini oppositam consuetudo omnis sublata censeatur.

8. ℟. distinguendam esse consuetudinem universalem a particulari; si consuetudo sit universalis totius regni, aut Ecclesiae, & lex feratur pro toto regno, vel Ecclesia consuetudo censetur abrogata per legem contrariam universalem; quamvis nullam illius mentionem faciat, alioquin lex inutilis esset (1). Et sane Superior non censetur ignorare universalem consuetudinem; ergo, dum condit legem illi oppositam, intelligitur velle illi derogare. At, si consuetudo sit particularis alicujus Dioecesis, vel provinciae, non censetur revocata per legem universalem; quia legislator ignorare praesumitur consuetudines particulares; ideoque eas revocare non censetur, nisi earum specialem mentionem habeat (2); & aliunde lex universalis subsistere potest in aliis locis scilicet; adeoque non est inutilis.

(1) *Cap. 1. de constit. in 6.*

(2) *Citato cap. 1. de const. in 6.*

Sed quid, si in lege universali contineatur haec clausula, *non obstante quacumque consuetudine*, aut alia simili, censebitur ne abrogata quaecumque consuetudo?

9. ℟. censeri abrogatas quascumque consuetudines etiam particulares (1), excepta immemoriali. Nam legislator eo fine apposuit in lege sua universali illam clausulam, ut abrogaret eas consuetudines particulares, quas ignorabat, alioquin frustranea fuisset ea clausula.

(1) *Cap. 1. de constit. in 6. & l. 3. §. 5. ff. de sepulch. violat.*

Dixi excepta immemoriali; quia quum haec consuetudo majorem vim habeat, & efficaciam, non censetur ei derogatum, nisi illius fiat specialis mentio. Sane sicuti per generalem praescriptionis abrogationem non censetur abrogata praescriptio immemorialis (1); ita per clausulam uni-

Digitized by Google

versalem consuetudinis derogatoriam non censetur exclusa immemorialis consuetudo; quemadmodum declaravit S. Congreg. teste Fagnano (2).

(1) *L.* 3. Hoc jure §. 4. Ductus aquae *ff. de aqua quotid.*

(2) *In cap.* Ad haec *num.* 34. *de relig. domib.*

An Episcopus possit juxta consuetudinem suae Dioecesis canoni, vel legi pontificiae oppositam legem ferre.

10. Negat Benedictus XIV. his verbis (1): „ Quod consuetudo praevaleat contra legem Superioris, id oritur ex ipsomet Superioris consensu, qui eam etiam suae legi obviantem, cum rationabilis, & diuturna est, statuit tolerandam in cap. fin. de consuetudine. Unde fit, ut ejusdem Superioris auctoritati, & jurisdictioni nihil per illam censeatur detractum: at si inferior consuetudini Superioris legi contrariae suo peculiari statuto vires adjicere velit, videbitur profecto auctoritatem sibi arrogare delendi legem Superioris, quod in nullo rerum eventu eidem permittitur.

(1) *Lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 8.

An expediat, ut Superior consuetudinem inductam evellat.

11. ℟. primo Superiorem omnem curam impendere debere in extirpanda consuetudine, quae juri naturali, vel divino opponitur; *Quia hujusmodi mala consuetudo ..... nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur; & incipiunt praevaricationes, & variae praesumptiones celerrime non compressae pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari*, ait Nicolaus I. (1). Hinc si Episcopus in sua Dioecesi invenerit consuetudines, quae vel fidei, vel bonis moribus adversentur; superstitionem foveant, tollere eas omnino debet. Talis erat ea consuetudo, de qua Augustinus (2) mentionem habet his verbis: *Quum solemnitatem hanc Ecclesiis merito religiosa observatio introduxerit, miror; cur apud quosdam hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressae de corporibus animae carnales cibos requirant.* Etenim, ut inquit Tertullianus (3), *veritati nemo praescribere potest, non spatia temporum, non patrocinia personarum, non privilegia nationum*, & Cyprianus (4): *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* Verum haec proprie consuetudo non est, sed corruptela, ut supra observavimus.

(2) *Relatus in can.* 3. Mala *dist.* 8.

(2) *Serm.* 15. *de sanct.*

(3) *Lib. de veland. virg.*

(4) *Ep.* 74.

12. ℟. secundo: si consuetudo juri naturali, & divino non adversetur, sed inutilis omnino sit, partes erunt Superioris inspicere, an ex hujusmodi consuetudine majora mala timeantur, puta scandala, offensio populorum &c., an secus. Si haec mala timeantur, non erit evellenda, sed toleranda consuetudo; nam, ut sapienter observat Augustinus (1): *Ipsa*

Digitized by Google

mutatio consuetudinis, etiam qua adjuvat utilitate, novitate perturbat.

(1) *Ep.* 54. *ad Janu. cap.* 5.

Si autem non timeatur scandalum, perturbatio, tumultus &c. Superior consuetudinem amputare omnino debebit, ut docet August. his verbis (1): *Omnia talia, quae neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur; nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universae Ecclesiae (aut etiam singularum Ecclesiarum) sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri possint caussae, quas in eis instituendis homines secuti sunt; ubi facultas tribuitur sine ulla dubitatione resecanda existimo.* Et rationem ibidem addit, quia scilicet talibus consuetudinibus nimium *servilibus oneribus premuntur fideles, a quibus misericordia Dei liberos esse voluit.*

(1) *Ep.* 54. *ad Januarium cap.* 5.

13. ℟. Tertio: si demum consuetudo inducta maxime bonum publicum, & pietatem promoveat, erit, quantum fieri poterit, adjuvanda, nisi inde majora mala timeantur. *Una*, inquit Augustinus (1), *saluberrima regula retinenda est, ut quae non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbamus, sed etiam laudando, & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit.*

(1) *Ep.* 14. *ad Janu. cap.* 14.

14. Hic referre placet consuetudines abrogatas ex libris Gregorii Papae IX., Sexto, Clementinis, et Extravagantibus, prout referuntur ab Ubaldo Giraldi pag. 20. sect. 36.

Consuetudo habendi dictum populi pro sententia in caussis ecclesiasticis, hancque latam a judice non suo pro valida recipiendi, abrogata est cap. *Ad nostram* 3. de consuetud.

Item exercendi a Clerico, non Episcopo ea, quae sunt reservata ordini Episcopali cap. *Quanto* 4. eod. tit.

Item celebrandi divina alta voce, & pulsatis campanis exclusis interdictis, & excommunicatis durante interdicto cap. *Cum inter* 5. eod. tit.

Item dimittendi dignitates ecclesiasticas sine superioris licentia easque administrandi sine ejusdem confirmatione cap. *Cum venerabilis 7. eod. tit.*

Item alienandi pro libito bona uxoris a marito vitio suo, aut quocumque alio casu in paupertatem redacto cap. *Ex parte* 10. eod. tit.

Item acquirendi ab uxore adultera medietatem bonorum mariti eod. cap. & tit.

Item retinendi simul duo beneficia incompatibilia absque legitima dispensatione cap. *Consuetud.* 1. eod. tit. de consuetud. in 6.

Item appellandi a Vicario Generali ad Episcopum cap. *Non putamus* 2. eod. tit., & lib.

Item gradatim optandi ab antiquio-

Digitized by Google

ribus canonicis praebendas vacantes apud Sedem Apostolicam cap. *Cum in tua* 4. eod. tit. & lib.

Item abrogata est consuetudo aut tollendi, aut restringendi libertatem eligentium in electione Praelati Ecclesiastici cap. *Cum terra* 14. de electione.

Item eligendi non professos ad regimen regularis Ecclesiae contra disposita in cap. *Cum in magistrum* 49. hoc eod. tit. de election. cap. *Cum caussam* 27. dicto titulo.

Item eligendi Episcopum a laicis una cum Canonicis cap. *Messana* 56. hoc eod. tit.

Item conferendi sacros ordines extra statuta tempora cap. *Sane* 2. de temporib. ordinat.

Item promovendi ad ordines Latinos a Graecis, & Graecos a Latinis cap. *Cum secundum* 9. hoc eod. tit.

Item ordinandi a Graeco Episcopo Graecum subjectum Episcopo Latino sine hujus licentia cap. *Quod de translatione* 11. hoc eod. tit.

Item projiciendi in terram, & inter spinas sanctorum imagines tempore cessationis a divinis cap. *Si Canonici* 2. de offic. jud. ord. in 6.

Item angustandi probationis facultatem cap. *Debent* 1. in Extravag. com. hoc eod. tit.

Item inducendi gravamen Ecclesiae cap. *Dilecti filii* 13. de majorit., & obed.

Item judicandi Clericorum caussas juxta laicorum consuetudines, & non juxta sacros canones cap. *Quod Clericus* 9. de foro compet.

Item prohibendi Clericis, ne praestent juramentum calumniae cap. *Caeterum* 5. de juram. calum.

Item exigendi juramentum ultra plenam probationem cap. *Sicuti* 2. de probationib.

Item permittendi juramentum reo ad suam probandam innocentiam, quoties habetur, vel haberi potest probatio de ipsius delicto cap. *Ad nostram* 12. eod. tit.

Item praescribendi absque bona fide c. *Quoniam* 30. de praescription.

Item exigendi a judicibus ecclesiasticis praeter expensas victualium decimam, vel aliam partem litis, conventione facta cum partibus litigantibus cap. *Cum ab omni* 10. de vita, & honest. cleric.

Item exercendi in Ecclesia ludos theatrales tam a Laicis, quam a Clericis cap. *Cum decorem* 12. eod. tit.

Item non dandi a patronis, aliisque congruam portionem Rectoribus Ecclesiarum cap. *Extirpandae* 30. de praebend. vide Trident. sess. XXV. cap. 9. §. *Patroni*, & cap. 10. de reform.

Item admittendi solos nobiles ad quarumdam Ecclesiarum beneficia cap. *Venerabilis* 37. hoc eod. tit. Hodie tamen haec consuetudo aliquibus in locis pro legitima habetur.

Item abrogata est consuetudo reservandi sibi a patronis Ecclesiarum tam exemptis quam non exemptis, aliisque quibuscumque etiam regularibus in praesentatione Rectorum earumdem Ecclesiarum tantum de il-

Digitized by Google

larum redditibus, ut de residuo iidem Rectores non possent commode sustentari cap. *Suscepti* 1. hoc eod. tit. in 6.

Item instituendi ad beneficia sine consensu Episcopi cap. *Ex frequentibus* 3. de institutionib. Haec tamen abrogatio intelligenda est cum agitur de beneficiis, quae pleno jure ab aliis non conferuntur.

Item abrogata est consuetudo, quominus monasteria Monialium non exemptarum visitentur singulis annis a locorum Ordinariis; sicuti & exemptarum tanquam a delegatis Sedis Apostolicae cap. *Ascendentes* 2. de statu Monachor. in Clem.

Item reconciliandi Ecclesiam pollutam (quae prius erat consecrata) per simplices Sacerdotes de mandato Episcopi aqua ab ipso benedicta cap. *Aqua* 9. de consecratione Ecclesiae.

Item ferendi judicium, hospitiumque sibi vindicandi a judice seculari, vel ejus officialibus in domibus Ecclesiarum c. *Ut in domibus*, 1. de immunitate.

Item celebrandi matrimonium intra gradus prohibitos c. *Quod super* 5. de consanguinit.

Item exigendi pecuniam pro danda licentia docendi cap. *Quoniam* 1. & cap. *Quando* 3. de magistris.

Item abrogata est consuetudo compellendi reum duellum inire & ferri igniti judicium subire ad purgandum se insontem, e quibus si illaesus non evasisset, civili poena afficiebatur cap. *Cura*, & duob. seqq. de purgat. vulgar.

Aliae consuetudines abrogatae ex Decreto Gratiani.

Abrogata est consuetudo se disponendi ad quadragesimalis jejunii observationem immoderato carnium esu dist. V. can. *Denique* 6.

Item celebrandi dies festos Martyrum commessationibus, & ebrietatibus dist. 44. can. *Commessationes* 1.

Item exigendi aliquid pro rebus spiritualibus sive prius, sive post illarum collationem causa 1. q. 3. can. *Si quis* 15.

Item convellendi Parochias cuique Ecclesiae deputatas causa 16. q. 4. can. *Licet* 5.

Item faciendi publicam confessionem peccatorum de poenitentia dist. 1. can. *Quamvis* 89.

Item invigilandi saltationibus, & turpibus canticis in Sanctorum solemnitatibus de consecr. dist. 3. can. *Irreligiosa* 2.

Aliae quamplurimae constitutiones abrogatae sunt a Constit. Apost. in Bullario Romano contentis extra corpus juris Canonici, quarum fere omnes sanctiones, sive ordinariae, sive prohibitoriae continent clausulam consuetudinum in contrarium abrogatoriam. Ex quibus aliquae tantum specialiores, et ad res usitatiores spectantes hic subduntur.

Abrogata est consuetudo, quae vigebat in regno Britanniae occupandi a laica potestate universa mobilia decedentibus marito, vel uxore ab Ho-

norio II. constitut. *Charissimus* 20. maii 1130.

Item usurpandi a Fisco omnium naufragantium bona, & jam quae in littore post naufragium inventa erant ab eodem cit. constit. circa hoc vide etiam constitut. Julii II. *Romanus Pontifex* 24. feb. 1509. Pauli III. *Accepimus* 13. mart. 1545. S. Pii V. *Cum nobis* 24. april. 1566. Pauli V. *Pastoralis* 8. apr. 1610. §. 4.

Item non residendi a Rectoribus Ecclesiarum parochialium a S. Pio V. constit. *Cupientes* 23. julii 1568.

Item creandi, alienandi, & redimendi annuos census contra formam praescriptam ab eodem Pio constit. *Cum onus* 19. jan. 1569.

Item testandi, & quovis modo disponendi de acquisitis ex bonis ecclesiasticis, aliisque proprio labore partis, aut patrimonialibus ad commodum illegitimorum etiam legitimatorum; ac insuper eosdem illegitimos habilitandi ad successionem in dictis bonis, aut rebus feudalibus, & emphyteuticis a piis locis profectis ab eodem S. Pio constit. *Quae ordini* 17. januar. 1571.

Item audiendi confessiones secularium a Lectoribus, & Theologis quorumcumque ordinum regularium sine praevia Episcopi approbatione ab eodem constit. *Romani Pontificis* 6. augusti 1571.

Item non visitandi ab Episcopis Ecclesias Parochiales militum S. Joannis Hierosolymit. quoad animarum curam, & Sacramentorum administrationem ab eodem const. *Exposcit* 22. sept. 1571.

Item eligendi Abbatissam, aliamque Monialium praefectam in Italia, & utroque Siciliae regno ultra triennium ab eod. const. *Exposcit* 1. jan. 1583.

Item ineundi contractus societatis securitatem capitalis, aut certam responsionem, aut aliter usurariam pravitatem continentes a Sixto V. constit. *Detestabilis* 21. octobr. 1586.

Item consuetudo etiam longissimi temporis faciendi sponsiones super vita, morte, & futura electione Papae, ac super promotionibus Cardinalium a Greg. XIV. constit. *Cogit nos* 21. mart. 1591.

Item attendendi in omnibus status ecclesiastici tribunalibus alias nullitates, quam jurisdictionis, citationis & mandati a Clem. VIII. *Litium* 9. feb. 1593.

Item largiendi munera a Regularibus utriusque sexus, & respective recipiendi, ac retinendi ab eod. constit. *Religiosae* 19. julii 1594.

Item consuetudo quominus Regulares Episcopo non subjecti extra claustra notorie delinquentes puniantur ab eodem Episcopo juxta praescriptum Tridentini sess. 25. cap. 14. de Regul. ab eodem constit. *Suscepti* 13. febr. 1596.

Item non servandi caeremoniale Episcoporum ad divina officia rite celebranda, aliasque functiones juxta reformationem factam ab eodem Clem. constit. *Cum novissime* 14. julii 1600.

Item cognoscendi a superioribus quo-

Alias ia V v

Digitized by Google

rumcumque Ordinum regularium cauſſas suorum subditorum ad officium S. Inquisitionis quomodolibet pertinentes a Paulo V. const. *Romanus* 1. sept. 1606.

Item consuetudo etiam immemorabilis exemptionis ab Episcoporum jurisdictione circa disposita Greg. XV. *Inscrutabilis* 5. febr. 1622.

Item consuetudo etiam immemorabilis non exequendi a superioribus regularibus praescripta circa apostatas, & ejectos ab Urbano VIII. constit. *Sacra Congregatio* 21. sept. 1624.

Item consuetudo etiam immemorabilis circa praescripta quoad celebrationem, & reductionem missarum, earundem onera perpetua suscipienda, augendumque Religiosorum numerum ultra vires redituum, & consuetarum eleemosynarum monasteriorum ab eod. const. *Cum saepe* 21. junii 1625.

Item consuetudo etiam immemorabilis dandi in feudum, vel emphytheusim, & ultra triennium locandi bona jurisdictionalia ad Ecclesias, & loca pia spectantia, concessionesque hujusmodi renovandi, seu prorogandi ab eod. const. *Humanae* 1. nov. 1625.

Item non degradandi, ac non tradendi brachio seculari clericum respective, & laicum minorem vigintiquinque annis, si ad praesbyteratum non promotus, sacramentales confessiones audierit, & Missam celebraverit ab eod. const. *Apostolatus* 28. mart. 1628.

Item emittendi professionem religiosam non facto novitiatu in locis designatis per Clem. VIII. ab eod. Urbano constit. *Religiosus* 2. april. 1681.

Item quaecumque consuetudines immemorabiles etiam cum asserta forma privilegii Apostolici militantes contra libertatem ecclesiasticam, & Ecclesiis, ac personis ecclesiasticis, earumque bonis praejudiciales, ex const. Urbani VIII. *Romanus Pontifex* 5. junii 1641.

Item consuetudo etiam longissimi temporis non servandi numerum dierum festorum praescriptum a dicto Urbano constit. *Universa* idib. sept. 1642.

Item consuetudo etiam immemorabilis recedendi a S. R. C. Cardinalibus e statu ecclesiastico absque licentia Summi Pontificis ab Innocentio X. constit. *Cum juxta* 19. febr. 1646.

Item consuetudo etiam immemorabilis erigendi a Regularibus in Italia, & Insulis adjacentibus nova loca absque licentia Sedis Apostolicae cum praevio examine Congregationis Episcoporum, & Regularium ab Innoc. constit. *Instaurandae* id. octobr. 1652.

Item consuetudo etiam immemorabilis locandi consanguineis, vel affinibus rectorum, aut administratorum Ecclesiarum, aliorumque locorum piorum urbis Romae ab Alex. VII. const. *In suprema* 23. april. 1656.

Item abrogata est consuetudo etiam immemorabilis, seu contrarius usus dandi, vel promittendi aliquid pro obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam ex constit. ejusdem Alexandr. *Inter gravissimas* 2. Maii 1656. innovata ab Innoc. XII. constit. *Sacerdotem* 29. Jan. 1699. reprobante non usum dictae Alexandrinae sanctionis.

Item consuetudo etiam immemorabilis ingrediendi a Superioribus Regularibus, & Confessariis intra septa monasterii Monialium iisdem Regularibus subjectarum praeter modum, & tempus praescriptum ab Alexand. VII. const. *Felicis* 1. Novem. 1664.

Item consuetudo etiam immemorabilis exercendi sub quocumque praetextu mercaturam a Regularibus quorumcumque ordinum a Clemente IX. constit. *Sollicitudo* 17. Jun. 1669.

Item consuetudo etiam centenaria, & immemorabilis exercendi a Cardinalibus Ordinum Regularium protectoribus ultra praescripta in const. Innoc. XII. *Christifidelium* 16. Feb. 1694.

Item consuetudo ordinandi alienos subditos, non servatis conditionibus praescriptis in constit. ejusdem Innoc. XII. *Speculatores* 4. Novembr. 1694.

Item consuetudo etiam immemorabilis contra disposita a Concilio Trid., & a s. Pio V. in collatione beneficiorum ex constit. ejusdem Innoc. *Ecclesiae* 22. Sept. 1695.

Item abrogatae sunt consuetudines etiam immemorabiles adversus praescripta in caeremoniali Episcoporum, Rituali Romano, vel Rubricis missalis, & breviarii servanda in Ecclesiis tam secularibus, quam regularibus ex Concilio Romano sub Benedicto XIII. tit. XV. c. 1. de celebr. missae &c. prout etiam abrogaverat s. Rituum Congregatio approbante Urbano VIII., & Innocentio XIII. constit. *Apostolici* 13. Maii 1723.

Item consuetudo etiam immemorabilis non explicandi Evangelium a Parochis, diebus Dominicis, & festis, etiam praetextu, quod in aliis Ecclesiis dictis diebus habeantur conciones ad populum Bened. XIII. const. *In supremo* 23. Sept. 1724.

Item consuetudo etiam immemorabilis de non solvenda quarta funerali a Regularibus ex constit. ejusdem Benedicti XIII. *Romanus* 4. kal. Maii 1725.

Item consuetudo etiam immemorabilis de non solvenda a Beneficiatis media annata favore fabricae metropolitanarum, cathedralium, & collegiatarum Ecclesiarum ex constit. ejusd. *Pius* 4. idibus Maii 1725.

Item consuetudo etiam immemorabilis, de non deferendo a Clericis beneficiatis habitu illis congruente ex constitut. ejusdem *Catholicae Ecclesiae* 6. non. maii 1725.

Item consuetudo etiam immemorabilis non petendae benedictionis Episcopalis ab Abbatibus perpetuis ex const. d. Benedicti *Commissi pridie* non. Maii 1725.

Digitized by Google

Item consuetudo contraria etiam immemorabilis circa institutionem praebendae Theologalis, & Canonici poenitentiarii ex const. ejusd. *Pastoral.* 14. k. Junii 1725.

Item consuetudo exigendi a reo in criminalibus juramentum ex conc. *Romano* ejusd. Bened. anno 1725.

Item consuetudo etiam immemorabilis contra non observantiam clausurae Monialium ex constit. Bened. XIV. *Salutare* 3. Jan. 1742.

Item consuetudo etiam immemorabilis contra non observantiam clausurae monasteriorum virorum regularium ex constit. Bened. XIV. incipiente *Regularis* 3. Jan. 1742.

Item consuetudo etiam immemorabilis admittendi appellationem in casibus relatis in const. ejusd. incipiente *Ad militantis* 30. Martii 1744.

Item consuetudo de non psallendo a Choro addictis una cum aliis ex constit. ejusd. *Cum semper* 19. Augusti 1744.

Item consuetudo etiam immemorabilis non applicandi a Parochis missam diebus festis pro populo, & Missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere ex constit. ejusdem Bened. jam citata incipiente *Cum semper*.

Aliae consuetudines abrogatae ex decretis ss. Congregationum juxta seriem annorum emanatis.

Abrogata est consuetudo etiam immemorabilis non residendi in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus ex decr. Congr. conc. probato a Gregorio XIII. an. 1573.

Item non asservandi Eucharistiam in Ecclesiis parochialibus ex decr. ejusd. Congr. 2. Apr. 1585.

Item deferendi crucem more Archiepiscoporum ante Superiorem monasterii, licet habentem jurisdictionem spititualem, & temporalem ex decr. Cong. Rituum in Carropoliten. *Nullius* 4. Martii 1606.

Item faciendi processionem cum SS. Sacramento de nocte feria V., & VI. majoris hebdom. ex decr. d. Congr. 8. Aug. 1609.

Item consuetudo etiam immemorabilis concedendi licentiam in casibus necessariis pro ingressu in septa Monialium Regularibus subjectarum a solis eorum regularibus Superioribus, & non simul a locorum Ordinariis ex decr. Cong. conc. jussu Urbani VIII. 13. Nov. 1620.

Item inserviendi a Canonicis, Diaconis, Episcopo *De bugia*, seu candela ex decr. Congr. Rituum in Ragusina 16. Martii 1628.

Item non subjiciendi poenis inflictis contra non interessentes choro etiam per primum nocturnum, & in diebus ferialibus per sex psalmos ex decr. Cong. conc. 24. Maii 1674.

Digitized by Google

Item recipiendi a Parocho sudariolum, ac vas, aut discum, quod paratur ab infirmo occasione recipiendi Sacramentum extremae unctionis, super quo collocatur vasculum olei sancti, ex taxa Innoc. XI. 1. Octob. anno 1628., & die 8 d. mensis, & ann. typis data de mandato d. Pontificis a Cong. conc.; ac per literas circulares locorum Ordinariis transmissa, quae etiam refertur in fol. ejusd. Cong. in Albanensi 10. Febr. 1723.

Item applicandi missam pro se ipsis, vel aliis etiam sine, vel cum receptione eleemosinae illis diebus, in quibus ex aliqua rationabili caussa Capellani obligati quotidie celebrare per se ipsos juxta mentem fundatorum vacant ab hujusmodi celebratione, ex decr. Congr. conc. in Collen. 18. Sept. 1683. ad III., & IV. dubium.

Item abrogatur consuetudo etiam immemorabilis recipiendi aliquid ab Episcopo, ejusque Officialibus tam in visitatione, quam extra pro decretis, seu judicatura executionis testamentorum, piarum voluntatum, aut piorum legatorum, excepto moderato salario dando Notariis pro scriptura, ac illorum labore, ex decr. ejusd. Congr. in Vicen. 16. Sept. 1645., & 18. Maii 1686.

Item recipiendi a Parocho sudariolum, quo teguntur manus defuncti, cum parva cruce supra illius pectus, quae a Parocho datur ex decreto ejusdem Congregationis in Tudertina funer. 13. Augusti 1718. & fol. d. Cong. in Albanen. 20. Febr. 1723.

Item consuetudo etiam immemorabilis cogendi Canonicum noviter electum ad parandum convivia aliis Canonicis ex decreto ejusdem Congregationis in Burgen. 3. Sept. 1729. & in Leodien. 1. Septembris 1731., ac 18. Julii 1733.

CAPUT XIV.

De privilegiis.

SUMMARIA

1. *Privilegium definitur.*
2.
3. } *Explicatur definitio.*
4.
5.
6. *Privilegium differt a dispensatione.*
7. *Differt a gratia.*
8. *Differt a rescripto.*
9. *Differt a lege.*
10. *Privilegium aliud personale, aliud reale. Primum extincta persona extinguitur, secundum ad successores transit.*
11. *Privilegium communitati concessum reale est.*
12. *Privilegia minoribus, filiis familias, foeminis concessa realia sunt.*
13. *In dubio, an privilegium sit personale, an reale, attendenda sunt verba concessionis; si ex iis nil colligatur, privilegia odiosa erunt*

Digitized by Google

judicanda personalia, favorabilia realia.

14. *Privilegium aliud est contra, aliud praeter jus.*

15. *Privilegium aliud perpetuum, aliud temporale.*

16. *Privilegium aliud gratiosum, aliud remuneratorium.*

17. *Privilegium aliud purum, aliud conventionale, neque conventio naturae privilegii repugnat.*

18. *Privilegium aliud clausum in corpore juris, aliud extra corpus juris.*

19. *Privilegium aliud ex motu proprio, aliud ad instantiam supplicantis.*

20. *Privilegium aliud ad instar, aliud pariformiter, & quaenam inter haec differentia.*

1. Privilegium communiter definiri solet lex privata aliquod speciale beneficium concedens.

2. Dicitur primo lex, eo quod si non privilegiatum, alios tamen obstringit, ne privilegiatum impediant, quominus privilegio utatur.

3. Dicitur secundo *privata*, eo quod non toti populo, sed uni, vel paucis tantum concedatur.

4. Dicitur tertio *aliquod speciale*, quia si nihil speciale concederet, inutile, & frustraneum esset privilegium (1).

(1) *Cap.* 30. In his *de privilegiis Cap.* Abbate 25. *de verb. signif.*

5. Dicitur quarto *Beneficium concedens*; quamvis enim olim privilegium respiceret non solum favorem, sed etiam damnum privilegiati (1); hodie tamen nonnisi in sensu favorabili usurpari solet.

(1) *Cic. pro domo sua.*

6. Differt privilegium primo a dispensatione, quae, quum sit legis relaxatio, semper est contra legem; privilegium autem aliquando est praeter legem. Item dispensatio ad unicum tantum actum extenditur, puta ad matrimonium contrahendum cum consanguinea; at privilegium, quum sit lex, est facultas permanens, & stabilis.

7. Differt secundo a gratia, & beneficio, quia omne privilegium est gratia, & beneficium; non e converso gratia, & beneficium est privilegium. Sic quando superior aliquem absolvit ab excommunicatione, vel dispensat ab irregularitate, gratiam illi concedit, non tamen privilegium.

8. Differt tertio a rescripto, quia rescriptum nunc continet gratiam, nunc justitiam; privilegium vero semper gratiam. Differt quoque a rescripto gratiae, quod pro unico tantum actu conceditur; at privilegium includit semper facultatem permanentem, & stabilem ad plures actus.

9. Differt quarto demum a lege, quia lex respicit totam communitatem, privilegium unum, vel paucos. Item lex, quandoque transgressoribus poenam imponit, secus autem privilegium.

10. Dividitur primo privilegium in

Digitized by Google

personale, & reale (1). Primum est illud, quod directe conceditur personae independenter a re, puta a dignitate, munere, loco. Secundum est quod personis conceditur dependenter a re, seu ratione fundi, castri, dignitatis, muneris, status, communitatis.

Illud autem intercedit discrimen inter privilegium personale, & reale, quod personale, utpote cohaerens personae, extincta persona, expiret; tale est privilegium *competentiae* datum parentibus, patronis, marito, militi, clerico (2); reale vero adhaerens rei, vel caussae hanc sequitur, atque transit ad successores in eadem re, ut privilegium eligendi annexum dignitati, privilegium fori clericalis (3). Porro ex privilegiis realibus alia competunt singulis communitatis membris, ut privilegium fori clericalis, alia solum toti communitati, ut privilegium eligendi.

(1) *L.* 196. *ff. de reg. juris*: Privilegia quaedam caussae sunt, quaedam personae.

(2) *L.* 196. *de reg. juris*, *& l.* 68. *ff. eodem* §. 37., *& seq. instit. de act.*

(3) *L.* 68. *de reg. juris*, *l.* 129. *ff. eodem*, *& l.* 7. *ff. de Publicanis.*

11. Ex his consequitur primo privilegium communitati concessum personale non esse, sed reale; quia quamvis singula membra extinguantur, in aliis tamen subrogatis eadem semper esse communitas (1) censetur.

(1) *L.* 4. §. 3. *ff. de censib.*

12. Consequitur secundo privilegia minoribus concessa quoad restitutionem in integrum, filiisfamilias, ne ratione mutui, foeminis, ne pro fidejussione obligentur, esse realia, quia haec privilegia illis competunt ratione status, & qualitatis communis illis adhaerentis.

13. Quid, si dubitetur, an privilegium sit personale, an vero reale.

℟. In hac re nullam certam regulam assignari posse, sed attendenda esse verba, quibus privilegium concessum est, quae si dirigantur potius in dignitatem, officium, munus, quam in personam, privilegium erit reale, secus personale. Hinc si Pontifex Episcopo Taurinensi non nominata persona concedat aliquam facultatem; quum in hoc casu sola exprimatur dignitas, privilegium erit reale; si vero Pontifex solum expresserit nomen: puta si dixerit Victorio concedo hanc vel illam facultatem, privilegium erit personale. Quod si pensatis verbis privilegii adhuc dubium sit, an privilegium sit personale, an reale, puta si nomen, & dignitas simul exprimantur, probabilius erit distinguendum inter privilegia favorabilia, quae nec juri communi, nec juri tertii adversantur, & privilegia odiosa, quae eidem juri opponuntur. Priora in dubio erunt judicanda realia; tum quia privilegium Principis latissimam recipit interpretationem (1); tum quia beneficium a Principe concessum decet esse mansurum (2). Po-

Digitized by Google

steriora vero erunt inter personalia recensenda; quia ea, quae juri communi, vel tertii adversa sunt, strictam recipiunt interpretationem (3), nec ullo modo extendenda.

(1) *L.* 3. *ff. de constit.*

(2) *Reg.* Decet 16. *de reg. juris in* 6.

(3) *Cap.* 28. *de reg. juris in* 6 *cap.* 1. §. ille vero *de filiis praesbyterorum in* 6.

14. Dividitur secundo privilegium in privilegium contra jus, & praeter jus. Primum illud est, quod juri communi derogat, ut esset exemptio a jurisdictione Ordinarii. Secundum est illud, cujus actus juri communi nec praecipitur, nec prohibetur; talis esset facultas alicui concessa, ut solus quasdam merces venderet, vel quamdam artem exerceret.

15. Dividitur tertio in privilegium perpetuum, & temporale. Perpetuum illud est, quod adhaeret rei de se perpetuae, & concessum est absque limitatione temporis; unde tamdiu durat, quamdiu durat res, nisi revocetur. Temporale est illud, quod conceditur absque temporis limitatione. Personale privilegium temporale est, non vero perpetuum, quia pro tempore determinato, quale est vita hominis, durat.

16. Dividitur quarto in gratiosum, & remuneratorium. Gratiosum ex mera gratia concedentis absque ullo meritorum intuitu proficiscitur. Remuneratorium est illud, quod alicui conceditur intuitu meritorum ejus, vel consanguineorum.

17. Dividitur quinto in purum, & conventionale. Purum quod absque ullo pacto, & conventione conceditur. Conventionale, quod a pacto, & conventione pendet. Conventio ista non obstat privilegio, ut advertit Suarez. Nam ratio, seu essentia privilegii tota consistit in facultate concessa alicui extra id, quod a jure habet; quae facultas de se semper est gratia. Quod autem haec facultas concedatur ex debito, vel ex liberalitate, non vitiat rationem privilegii.

18. Dividitur sexto, in privilegium clausum in corpore juris, & privilegium extra corpus juris. Primum illud est, quod inter alias leges insertum est corpori juris. Talia sunt privilegia Ecclesiarum, & Clericorum, quae habentur tum in jure canonico, tum in jure civili. Secundum per speciale Principis rescriptum conceditur, quod tamen non est corpori juris insertum.

19. Dividitur septimo in privilegium ex motu proprio, & ad instantiam supplicantis. Tum privilegium conceditur ex motu proprio, quando in litteris privilegii invenitur haec clausula *motu proprio*, licet fortasse privilegiatus per se, vel per alium supplicaverit. Tunc vero conceditur ad instantiam supplicantis, dum simpliciter sine dicta clausula conceditur ad preces privilegiati.

Digitized by Google

10. Dividitur 8. in privilegia ad instar, & pariformiter. Prima sunt ea, quae uni concessa alteri communicantur relative, & accessorie. Secunda vero, quae uni concessa alteri communicantur directe, & aeque principaliter. Haec autem est differentia inter privilegia *ad instar, & pariformiter* concessa, quod prima minuantur, vel extinguantur, si contingat priora privilegia minui, vel amitti. Secunda neque minuantur, neque extinguantur, licet prima minuantur, vel amittantur, quia illa, non ista dependent a prioribus. Haec differentia colligitur ex his Bullae (1) Gregorii XV. verbis, quibus communicabat Scholis piis privilegia Regularium: *pari modo non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & aeque principaliter, perinde ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent.*

(1) *Incipientis*: Ad uberes fructus.

ARTICULUS I.

De modis, quibus acquiritur, vel amittitur privilegium.

SUMMARIA

1. *Privilegium acquiritur concessione, & praescriptione.*
2. *Ille solus privilegia concedit, qui potestatem habet condendae legis.*
3. *Nulla ad validam, bene vero ad licitam privilegii concessionem requiritur caussa.*
4. *Privilegium contra jus etiam non subditis concedi potest.*
5. *Episcopus potestate gaudet privilegia concedendi.*
6. *Ad valorem privilegii scriptura non requiritur, praeter quam in quibusdam casibus.*
7. *Per se ad valorem privilegii non requiritur acceptatio ex parte privilegiati.*
8. *Neque requiritur acceptatio, si privilegium fuerit concessum per modum legis.*
9. *Ex voluntate superioris acceptatio requiritur.*
10. *Si privilegiatus utatur privilegio ante notitiam habitam a superiore, vel ejus delegato, privilegio invalide utitur, si fuerit concessum motu proprio, vel ad instantiam alterius, quam ipsius privilegiati.*
11. *Decem inter praesentes, viginti inter absentes ad civilem, quadraginta ad canonicam praescriptionem anni requiruntur; pro foro externo non auditur, qui privilegium non probat.*

1. Duobus modis privilegium acquiritur, concessione scilicet, & praescriptione, seu consuetudine legitime praescripta; addunt plures communicatione, dum Princeps privilegium uni concessum alteri communicat; verum modus hic acquirendi privilegium per communicationem revocatur ad primum, scilicet ad concessionem, ut attendenti patet.

Quod pertinet ad primum modum

Digitized by Google

acquirendi privilegii per concessionem, primo inquiritur, quis possit privilegia concedere.

2. ℟. eum solum privilegia concedere posse, qui facultate pollet condendi leges. Enim vero privilegium est lex privata; ergo ab eo solo, qui potestatem legislativam habet, concedi potest. Et sane vel privilegium est contra jus; quum in hoc casu legis dispensationem contineat, ab illo solo concedi potest, qui habet potestatem in legibus dispensandi; vel est praeter jus; & in hoc casu requiritur potestas in concedente cogendi alios, ne impediant privilegiatum, quominus utatur suo privilegio; hoc autem solius legislatoris proprium est. Porro Superior in concedendo privilegio nunquam intendit derogare juri alterius, nisi id exprimat: Hinc privilegia a S. Sede concessa nunquam derogant juri Episcoporum, nisi hoc sit in privilegio expressum (1).

(1) *Cap.* Pastoralis 19. *de privil.*

Inquiritur secundo, an ad privilegii concessionem requiratur caussa.

3. ℟. nullam requiri caussam ad validam privilegii concessionem, bene vero ad licitam. Etenim sicut legislator potest valide legem respectu omnium tollere, ita aliquem ab ea dispensare, si sermo sit de privilegio contra jus; & sicuti potest alteri absque caussa aliquid donare; ita & alteri privilegium conferre, si sit praeter jus. At justa requiritur caussa, ut licite privilegium concedatur; vel enim privilegium est contra jus, & tunc laeditur justitia legalis, ac distributiva, quae exigit, ut nemo ab onere eximatur absque justa caussa; vel est praeter jus, & tunc continet vitium acceptionis personarum, & prodigalitatis.

Inquiritur tertio, quibus personis concedi possint privilegia.

4. ℟. videndum esse, an privilegium sit contra, an praeter jus; si contra jus, subditis solum concedi potest; enim vero hoc privilegium continet dispensationem a lege; ergo ii soli, qui lege ligantur, ut sunt subditi, dispensari, seu solvi possunt: si praeter jus, etiam non subditis concedi potest; nam haec concessio non est actus jurisdictionis, sed donationis, qui in non subditum exerceri potest.

An Episcopus possit privilegia concedere.

5. ℟. de hoc nullam esse dubitationem. Enim vero Episcopi gaudent potestate ferendi leges; ergo & privilegia concedendi.

An ad valorem privilegii scriptura requiratur.

6. ℟. non requiri; etenim nec jure naturali scriptura exigitur; quandoquidem valor privilegii, sicut & legis pendet a voluntate legislatoris; ergo si legislator voluerit verbo illud concedere, valebit privilegium sic collatum; nec jure positivo, imo potius jure canonico contrarium decernitur (1). Caeterum licet scriptura regulariter necessaria non sit ad valorem privilegii, expedit tamen

Digitized by Google

quammaxime, ut scripturae mandetur, ut obviam eatur fraudibus, quae facile occurrere possunt praesertim in ampliandis verbis ejusdem. Dixi regulariter; nam in quibusdam casibus scriptura requiritur; puta in facultatibus non residendi in beneficio (2), & ingrediendi monasteria Monialium (3), in collationibus, confirmationibus, & unionibus beneficiorum a Sede Apostolica factis (4). Imo hodie privilegia Apostolica nullius sunt roboris, nisi authenticata sint per Officiales publicos, quibus id in curia Apostolica incumbit (5).

(1) *Can.* 7. Institutionis *caus.* 25. *q.* 2. *Clem.* 2. Et nos etenim *de sepult. versus finem ibi*: universa privilegia verbo, seu scripto concessa.

(2) *Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

(3) *Sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.*

(4) *Extravag.* 1. *de elect. inter com.*

(5) *Ex constit. Urbani VIII. incip.* Alias, *& Gregorii XV. incip.* Romanus.

An ad valorem privilegii requiratur acceptatio ex parte privilegiati.

7. ℟. primo, ex natura rei nullam requiri acceptationem ex parte privilegiati; etenim sicuti Princeps potest legem ferre in invitos, & nolentes, ita & eosdem a lege eximere. Hinc Superior poterit invitum, & nolentem dispensare ab irregularitate, ab impedimento matrimonii &c. Dixi *ex natura rei*, quia non expedit bono publico, ut privilegia conferantur in invitos, ne contemnantur. Si tamen Superior justam haberet caussam cogendi invitum ad utendum privilegio, istiusmodi coactio indueret potius naturam praecepti, quam privilegii.

8. ℟. secundo, necessariam pariter non esse acceptationem ex parte privilegiati, si privilegium fuerit concessum per modum legis, statuti, & constitutionis; etenim ex superius dictis ad valorem legis, statuti, & constitutionis, nulla requiritur acceptatio ex parte subditi. Hinc privilegia concessa minoribus, pupillis, clericis, patribus familias per legem nulla indigent ex parte istorum acceptatione.

9. ℟. Tertio, in aliis privilegiis, quae non conceduntur per modum legis, non quidem ex natura rei, sed ex voluntate Superioris ad eorum validitatem requiri acceptationem ex parte privilegiati. Enim vero privilegium est beneficium; hoc autem Superior non vult invitis conferre (1); unde ejus concessio hanc habet tacitam conditionem, dummodo non resistas. Addunt alii privilegium utpote beneficium importare quamdam donationem, donatio autem absque acceptatione donatarii vim suam non habet. Non est tamen necesse, ut privilegiatus per seipsum acceptet privilegium, sed satis est, ut acceptet per nuntium, per procuratorem, aut per litteras.

(1) *L.* 69. *ff. de reg. juris.*

10. Hinc si Superior concesserit alicui quoddam privilegium motu pro-

Digitized by Google

prio, vel ad instantiam alterius, quam ipsius privilegiati, & alter ab ipso Superiore non deputatus, qui hujusmodi privilegii concessionem perspectam habuit, manifestaverit privilegiato, qui utatur privilegio ante aliam notitiam, privilegio invalide utetur.

Dixi *motu proprio*, *vel ad instantiam alterius, quam ipsius privilegiati*; nam si privilegiatus per se, vel per alium, puta nuntium, aut procuratorem petierit privilegium; eoque utatur ante notitiam concessi privilegii; valide tamen utetur, quia illa petitio est acceptatio anticipata; seu in illa petitione tacita invenitur privilegii acceptatio. Quare sacerdos, qui petiit facultatem absolvendi a reservatis, putans jam sibi esse concessam, quamvis nullum adhuc habuerit nuntium, valide absolvet a reservatis, si tempore, quo absolvit jam erat sibi ea facultas concessa; peccavit tamen, quia se exposuit periculo invalide absolvendi.

11. Hactenus locuti sumus de modo, quo acquiritur privilegium per concessionem; paucis nunc agendum de modo, quo acquiritur per praescriptionem, seu consuetudinem legitime praescriptam. Et in primis privilegium acquiri per praescriptionem constat ex variis juris canonici capitibus (1). Difficultas solummodo oritur, quodnam temporis spatium requiratur; & in hac re distinctione opus est, si sermo sit de praescriptione canonica, praescriptio quadraginta annorum requiritur (2), si autem de praescriptione civili sufficiet decem annorum spatium inter praesentes, viginti inter absentes (3), sed de hac praescriptione inferius. Caeterum pro foro externo qui privilegium habet, non auditur, nisi illud probet, sive illud obtinuerit per Principis rescriptum (4), sive per consuetudinem legitime praescriptam (5).

(1) *Cap.* Novit 13. *de judiciis*. *Cap.* Super quibusdam 24. *de verb. signif.*

(2) *Cap.* 4. & 6. *de praescript.*

(3) *L.* 1. *ff. de nundinis.*

(4) *L.* 5. *in fine ff. de judiciis.*

(5) *Cap.* 7. *de privil. in* 6.

ARTICULUS II.

De modis, quibus privilegium amittitur.

SUMMARIA

1. *Cessat privilegium extincta persona, vel re, cui inhaeret, nisi privilegium esset affixum pavimento, vel concessum communitati, quae alio transferatur.*
2. *Res, cui inhaeret privilegium, iterum aedificata non amittit privilegium.*
3. *Ecclesia Superioris auctoritate alio translata secum trahit suum privilegium.*
4. *Cessat privilegium per lapsum temporis, vel ob defectum conditionis.*
5. *Privilegium personae particulari concessum cessat per ejus renuntia-*

Digitized by Google

tionem, non autem concessum communitati.

6. *Communitas renuntiare potest privilegio inutili, non autem utili, si unus de communitate reclamaverit.*

7. *Caussa alia est finalis, impulsiva alia, & haec in dubio talis semper praesumitur.*

8. *Nulla est privilegii concessio absque caussa finali.*

9. *Per cessationem caussae finalis non perit privilegium jam perfecte, & integre consummatum.*

10. *Si caussa finalis tractum habeat successivum, per cessationem caussae suspenditur privilegium usque ad illius adventum.*

11. *Cessante caussa finali, cessat privilegium contra jus tertii.*

12. *Privilegia alia sunt affirmativa, alia negativa.*

13. *Privilegia alia sunt alteri noxia, alia non.*

14. *Privilegia nemini noxia per non usum non amittuntur.*

15. *Privilegia aliis noxia per non usum amittuntur.*

16. *Privilegia aliis noxia per non usum non amittuntur, si se non obtulerit occasio iis utendi.*

17. 40. *Anni requiruntur ad praescribenda Ecclesiae privilegia, atque explicatur Capitulum, quod* 30. *annos exposcere videtur.*

18. *Privilegia negativa aliis onerosa per contrarium usum amittuntur.*

19. *Extinguitur privilegium per abusum, non tamen ipso facto, sed per sententiam judicis.*

20. *Revocatio alia est expressa, alia tacita.*

21. *Expressa alia est generalis, alia specialis.*

22. *Generalis alia est ordinaria, alia extraordinaria.*

23. *Princeps privilegia mere gratuita valide quidem, sed non licite revocat.*

24. *Princeps non potest revocare privilegia contractu oneroso concessa absque compensatione.*

25. *Per clausulam generalem non censentur revocata privilegia particularia, bene vero contenta in corpore juris.*

26. *Per clausulam generalem communem non derogatur privilegiis habentibus hanc clausulam:* Ut iis derogari non possit, nisi eorum specialis mentio fiat, *bene vero per clausulam generalem extraordinariam.*

27. *Per clausulam generalem extraordinariam non derogatur privilegiis pacto oneroso, vel meritorum intuitu concessis.*

28. *Princeps ignorando privilegium, cui ponit actum, vel legem contrariam, illud non revocat.*

29. *Rescripta alia sunt justitiae, alia gratiae.*

30. *Quandonam res dicatur integra, quandonam incepta.*

31. *Gratia alia est facta, alia facienda.*

32. *Rescriptum justitiae re integra expirat morte concedentis.*

33. *Privilegium, si sit gratia facta,*

Digitized by Google

& indefinite concessum, non perit morte concedentis.

34. *Privilegium, si sit gratia facienda, expirat morte concedentis, excepta gratia obtenta a majori Poenitentiario.*

35. *Privilegium ad beneplacitum concedentis perit ejus morte, aliter in nostris regionibus, non autem ad beneplacitum sedis, vel dignitatis, vel sub clausula* donec revocavero.

36. *Objectio solvitur.*

37. *Facultas audiendi confessiones in genere non perit morte concedentis.*

38. *Enumerantur aliquae facultates, quae non extinguuntur per obitum concedentis.*

39. *Literae expeditae in forma gratiosa non expirant morte concedentis, bene vero expeditae in forma commissoria; aliter sentit Dejustis.*

40. *Litterae ab una congregatione obtentae, ab altera prius denegatae sunt nullae, & poena illas sic obtinentis.*

41. *Privilegia vivae vocis oraculo concessa revocata sunt per Urbanum VIII., & Gregorium XV.*

42. *Numerantur plura privilegia a Pontificibus revocata.*

43. *Regulares tenentur ostendere privilegia Episcopo, si in ejus dioecesi iis uti velint.*

1. Variis modis cessat, & extinguitur privilegium; & primo extincta persona, cui concessum est (1), vel re, cui inhaeret (2) sine spe restitutionis, nisi privilegium inhaereret pavimento, ut est benedictio loci sacri (3), vel communitati, quae alio translata secum transfert privilegium, sic religiosi alio translati (4) sua transferunt privilegia.

(1) *L.* 68., & 196. *ff. de reg. juris.*

(2) *Arg. cap.* 42. *de reg. juris in* 6. *l.* 129. §. 1. *ff. eod. tit.*

(3) *L.* 73. *ff. de contrah. empt.*

(4) *Cap.* 2. *de relig. domib.*, *can.* 48. & *seq.* 16. *q.* 1.

Sed quid, si res, cui inhaerebat privilegium, iterum aedificetur.

2. ℟. Non extingui privilegium, sed inhaerere Ecclesiae reaedificatae, quia privilegium, ut supponitur, non est concessum tali loco ratione situs, sed absolute tali Ecclesiae, sub hoc, vel illo titulo; unde censetur adhuc moraliter eadem Ecclesia (1).

(1) *Arg. can.* Pastoralis 42. *c.* 7. *q.* 1., & *l.* Cum loca 36. *ff. de relig. & sumpt. fun.*

3. Similiter si Superioris auctoritate Ecclesia, cui est concessum privilegium, in alium locum transferatur, tunc non cessant ejus privilegia, sed una cum Ecclesia transferuntur; quia eadem moraliter reputatur Ecclesia (1).

(1) *Can.* 48., & 49. *c.* 16. *q.* 1. & *cap.* 2. *de relig. domib.*

4. Extinguitur secundo privilegium per lapsum temporis, quo concessum est, vel non servata conditione, cum qua datum est, quia tunc cessat concedentis voluntas. Hinc si religiosus aliam religionem profiteatur, amittit privilegia prioris ordinis.

Digitized by Google

5. Extinguitur tertio privilegium per renuntiationem liberam, si privilegium sit concessum in favorem personae particularis, quum liberum sit unicuique *juri suo renuntiare* (1); & quidem, si renuntiatio fiat in favorem aliorum, necessarius est eorum consensus, & acceptatio; si vero in nullius gratiam requiritur consensus concedentis (2). Enim vero per liberam renuntiationem a privilegiato factam, non immutatur voluntas concedentis; ideoque perseverat in suo valore privilegium, nisi accesserit acceptatio ex parte concedentis.

(1) *Cap.* 6. *de privil. l.* 29. *cod. de pact.*

(2) *Arg. cap.* 7. *de procur. in* 6.

Ex his consequitur beneficiarium, qui renunciavit beneficio sibi collato, posse mutata voluntate, nondum renuntiatione a conferente acceptata, beneficium retinere.

Dixi, si privilegium sit concessum in favorem *personae particularis*; nam si fuerit concessum principaliter in favorem communitatis, persona particularis illius communitatis, non poterit illi renuntiare (1). Hinc Clericus non potest renuntiare privilegio fori: *Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti collegio Ecclesiastico publice sit indultum* (2); nec privilegio canonis: *cum iste canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus* (3).

(1) *L.* 38. *ff. de pact.*

(2) *Cap.* 12. *de foro compet.*

(3) *Cap.* 36. *de sent. excom.*

Sed poteritne sola communitas privilegio renuntiare?

6. ℟. posse, si privilegium sit inutile, vel indifferens, si autem utile sit, & honorificum, non valebit renuntiatio, si unus ex communitate reclamaverit (1).

(1) *Cap.* 8. *de const. cap.* 22. *de praeb. arg. l.* 47. *ff. de re judicata.*

7. Extinguitur quarto per cessationem finalis caussae. Sed hic plura sunt observanda. Et primo nos hic loquimur tantum de caussa finali, quae principaliter, & directe movet Superiorem ad concessionem privilegii (1), non vero de impulsiva, quae indirecte tantum, & secundario; haec in dubio talis semper praesumi debet (2).

(1) *L.* 2. §. *ult. & l.* 3. *ff. de donat.*

(2) *L.* 72. §. 6. *ff. de cond., & demonstr. l.* 52. 65. §. 2. *ff. de cond. indeb.*

8. Observandum secundo, cessante caussa finali ante concessionem actualem privilegii, nullam esse ejusdem concessionem; quum Superior non intendat conferre privilegium, nisi dependenter a caussa finali. His praemissis.

9. ℟. primo: Si privilegium unico actu perfecte, & integre consummatum sit, non extinguitur, etiamsi caussa finalis cessaverit; quia locum habet illa regula juris (1): *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit*

Digitized by Google

inchoari. Hinc dispensatus ad contrahendum matrimonium ob paupertatem, contracto matrimonio, licet postea dives evadat, matrimonium subsistit, nec cessat dispensatio, ut per se patet. An vero cessante causa finali post obtentam dispensationem, sed nondum contracto matrimonio, corruat dispensatio, quaestio est, quae suam habet sedem in tractatu de dispensationibus, vel de matrimonio.

(1) *Reg.* 73. *in* 6.

10. ℟. secundo, si caussa finalis privilegii tota simul non existat, sed habeat tractum successivum, tunc cessante caussa finali cessat, vel saltem suspenditur privilegium usque ad adventum caussae; quia Superior non censetur absolute privilegium concedere, sed dependenter a caussae continuatione, qua non amplius existente cessat, *cum cessante caussa cesset effectus* (1). Quare ob infirmitatem dispensatus a recitatione officii, cessante infirmitate tenetur recitare officium; nam in hoc casu tot sunt virtuales dispensationes, quot dies.

(1) *Cap.* 60. *de appellat.*

11. Ex his facile constat eum, qui obtinuit privilegium contra jus tertii, eo amplius uti non posse, si cessaverit caussa finalis; quare si quis obtinuerit privilegium decimandi, non poterit eo amplius uti, si Ecclesia inde depauperetur, ut ministros alere non possit (1). Similiter si quis obtinuerit privilegium non residendi, tenebitur residere, si Ecclesia damnum patiatur (2); caussa enim hujus privilegii habet tractum successivum.

(1) *Cap.* 9. *de decim.*

(2) *Cap. pen. de Cler. non resid.*

12. Extinguitur quinto privilegium per non usum. Sed hic praemittendum primo privilegia alia esse affirmativa, quae respiciunt actum positivum, ut privilegium edendi carnes diebus prohibitis, nundinas exercendi &c.; alia negativa, quae respiciunt omissionem actus positivi, ut privilegium non solvendi decimas, tributa &c.

13. Praemittendum secundo ex privilegiis alia esse, quae in nullius damnum vergunt, alia, quae alterius damnum involvunt. His in antecessum positis.

14. ℟. primo, privilegia affirmativa, quae nulli damnum afferunt, per non usum non amitti; quia in facultativis praescriptio locum non habet (1). Hinc privilegia sacrum faciendi ante auroram, non recitandi horas canonicas &c. per non usum non amittuntur. Idem sentiendum de privilegiis negativis, quae nullius damno sunt.

(1) *Arg. l.* 2. *ff. de via publica.*

15. ℟. secundo, privilegia affirmativa, quae aliorum gravamen continent, per non usum amitti (1) via praescriptionis. Enim vero alia jura amittuntur praescriptione (2); ergo & privilegia; quum nulla ratio appareat, quae contrarium suadeat. Iste tamen non usus ab allegante probari debet (3).

Digitized by Google

(1) *Cap.* 23. *de off. deleg. L.* 1. *ff. de nundinis*.

(2) *L.* 3. *& ult. cod. de praescr.*

(3) *Faber cod. de praescript. lib.*7. *tit.* 13. *def.* 10.

16. Sed ad hoc, ut quis suum amittat privilegium alteri noxium per non usum requiritur, ut se obtulerit occasio eo utendi; alioquin non amittitur privilegium. Hinc si quis usus non fuerit servitute sibi debita de aqua ducenda in fundum suum, quia fons exaruit, servitutem non amittit (1).

(1) *L.* 34. Unus ex sociis §. *ult. & l. seq. ff. de servit. rust. praed.*

17. Quantum tempus requiratur, ut per non usum privilegia amittantur, non una est jurisconsultorum sententia, iis adhaerendum putamus, qui sentiunt varium esse pro varietate rerum immobilium, inter quas referuntur etiam privilegia. Etenim cum haec privilegia ex non usu praecise non amittantur, sed ex praescriptione, tempus requisitum ad praescriptionem requiritur pariter ad amissionem privilegiorum; decennium scilicet inter praesentes, & vicennium inter absentes, quia hoc tempus sufficit ad praescriptionem jurium incorporalium, inter quae recensentur etiam privilegia. At si de Ecclesia agatur, quadraginta anni ad praescribendum contra eam requiruntur (1); & licet quoddam adsit capitulum juris, quod tradat sufficere 30. annos ad praescribendum contra Ecclesiam (2), illud tamen ex alio capitulo (3) correctum esse videtur. Ita plures, sed melius sentiunt, qui dicunt in laudato capitulo 6. de privilegiis, non agi de praescriptione, sed de renunciatione. Sermo enim erat de Monachis, qui per 30. annos solvere voluerunt decimas, a quibus erant exempti, ut de renunciatione dubium esse non posset: patet ex his capituli verbis: *De privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis, cum liberum sit unicuique suo juri renuntiare*.

(1) *Cap.* Accedentibus 14. *de privileg. cap.* Illud 8. *de praescrip.*

(2) *Cap.* 6. *de priv.*

(3) *Cap.* Accedentibus 14. *jam cit. de priv.*

18. Quod pertinet ad privilegia negativa, quae aliis sunt onerosa, puta non solvendi tributa, haec amittuntur per contrarium usum, non secus ac privilegia affirmativa per non usum (1); quum pro utroque casu eaedem militent rationes.

(1) *Arg. cap.* Cum accessissent 8. *de const.*

19. Extinguitur sexto privilegium per abusum, sive quis excedat fines privilegii, sive sumat ex illo occasionem delinquendi, sive contra finem privilegii agat (1); non tamen amittitur ipso facto privilegium, nisi id in concessione exprimatur; quia talis amissio utpote poenalis sententiam judicis requirit (2). Quod si in privilegio apposita fuerit haec clausula: *Si privilegio abutatur, eo ipso privilegio privatus existat*, requi-

Digitized by Google

retur adhuc sententia declaratoria, ut patet ex dictis de lege poenali.

(1) *Can.* Ubi 7. *dist.* 74. *Cap.* 18. *de Regul. Cap.* 24. *de priv.*

(2) *Cap.* 24. *citato de priv.*

20. Extinguitur sexto, per revocationem. Ut autem facilius solvi possint quaestiones, quae hic agitantur, praemittendum est revocationem aliam esse expressam, aliam tacitam. Prima ea est, qua Princeps per verba aperta privilegium aufert, secunda, qua ponit actum, vel legem directe privilegio contrariam.

21. Expressa dividitur in generalem, & specialem. Generalis, est qua Princeps in genere revocat omnia privilegia alicui constitutioni contraria: Specialis vero est, qua hoc, vel illud privilegium revocat.

22. Generalis adhuc tribuitur in communem, seu ordinariam, & extraordinariam. Ordinaria ea est, qua Princeps in revocando privilegio consueta generali clausula utitur v. g. *non obstantibus quibuscumque privilegiis*. Extraordinaria ea est, qua Princeps clausulam insolitam, & expressiorem adhibet, veluti si dicat: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis sub quacumque verborum forma concessis, vel etiamsi de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio*.

Quaeritur nunc primo, num Princeps omnia privilegia revocare possit.

23. ℟. primo, posse Principem absque justa caussa valide revocare privilegia mere gratuita, quia totaliter pendent a gratiosa Principis voluntate, & mero precarii titulo sunt concessa, qui libere revocari potest (1); non tamen honeste, & licite revocantur absque justa caussa, quia haec revocatio sapit levitatem, & inconstantiam, quae tamen juxta Doctores non excedit peccatum veniale.

(1) *L.* 1. *ff. de precario.*

24. ℟. secundo, Principem non posse revocare privilegia ex pacto, seu contractu oneroso concessa, nisi ob publicam caussam, vel in delicti poenam; nam Princeps non potest alteri tollere jus quaesitum, nisi ex gravi caussa ad publicum bonum pertinente, ut superius diximus; porro privilegiatus per privilegium ex pacto oneroso sibi concessum acquisivit jus strictum; ergo illud jus tollere non potest Princeps. Quod diximus de privilegio ex pacto, seu contractu oneroso concesso, idem dicendum erit de privilegio intuitu meritorum tributo, si remuneratio debita sit ex justitia; jam vero quando occurrit gravis caussa ad publicum bonum pertinens revocandi haec privilegia, tenetur compensare privilegiatum, vel restituendo illi pretium acceptum, si aliquod solutum fuerit, vel compensando opus exhibitum, alioquin injusta erit revocatio. Dixi si remuneratio debita sit ex justitia; nam si esset solummodo debita ex gratitudine, nulla esset compensatio facienda ex justitia, quia violatio gratitudinis non inducit peccatum contra justitiam.

Digitized by Google

Quandonam privilegia censeantur revocata?

25. ℟. primo. Per clausulam generalem communem censentur revocata privilegia omnia contenta in corpore juris, non vero alia, quae extra illud existunt; quia privilegia, quae sunt in corpore juris inserta non praesumuntur a Principe ignorari; bene vero privilegia privata; ergo per clausulam generalem communem privilegiis contrariam censetur primis, non vero secundis derogare (1).

(1) *Cap. 1. de const. in 6.*

26. ℟. secundo. Per clausulam generalem communem non censentur revocata privilegia concessa cum hac clausula, *quod ipsis derogari non possit, nisi eorum mentio specialis fiat*; nam Princeps adjiciendo eam clausulam in privilegiis satis demonstravit nolle derogare iisdem per quamcumque generalem clausulam; alioquin superflua fuisset ea clausula. At per clausulam generalem extraordinariam puta *non obstantibus quibuscumque privilegiis sub quacumque verborum forma concessis*, vel alia simili, erunt revocata, quia haec clausula satis opponitur priori clausulae.

27. ℟. tertio. Per clausulam generalem extraordinariam non revocantur privilegia pacto oneroso, vel meritorum intuitu concessa; quum enim haec privilegia jus alteri quaesitum contineant, non praesumitur Princeps ea revocare, nisi de iis specialem mentionem faciat, praesertim cum, ut patet ex dictis superius, revocari non possint absque debita compensatione; ideoque quum hujus compensationis mentionem non faciat, ut supponitur, non censetur velle revocare.

28. ℟. quarto. Dum Princeps ponit actum, vel legem directe privilegio contrariam, si ignoret privilegium, illud non revocat: eo enim ipso, quo ignorat privilegium, non censetur illi velle derogare (1).

(1) *Cap. 1. de const. in 6. l.* Idem Ulpianus 12. §. Sunt & alii *ff. de excusationibus*.

An privilegium extinguatur per mortem concedentis.

29. Ut morem geram plerisque Theologis, quaestionem hanc attingam, prout comprehendit etiam rescripta, & dispensationes; unde praemittendum primo, rescripta alia esse justitiae, alia gratiae. Rescriptum justitiae est privilegium, seu facultas, quae conceditur ad exercendos actus justitiae sive civilis, sive criminalis in aliqua caussa particulari. Rescriptum autem gratiae est illud, quo praeter, aut contra jus commune gratia supplicanti conceditur.

30. Praemittendum secundo, rem aliquando esse integram, aliquando inceptam. In rescriptis justitiae tunc res erit integra, quando delegatus nondum jurisdictione sibi concessa uti coeperit (1); secus res erit incepta; per solam autem citationem juridicam partium in communiori sententia res desinit esse integra, quia primus actus judicii est juridica par-

Digitized by Google

tium citatio (2); unde omnes actus citationem praecedentes, ut designatio loci, nominatio notarii &c. erunt quidem dispositiones ad judicium, neutiquam actus judicii; ex quo sequitur non sufficere, ut egressa fuerit citatio a judice, sed ulterius requiri citationem fuisse partibus intimatam; alioquin non erit veri nominis citatio, sed expeditio citationis. In rescriptis autem gratiae, in quibus locum non habet citatio judicialis, tunc res coepta dicitur, quando auctoritative vocatae fuerint partes ad cognoscendum, num preces veritate nitantur; praesentatio autem rescripti non potest dici causae inceptio, quia non est usus jurisdictionis, sed dispositio ad talem usum.

(1) *Cap.* Licet undique 30. *de off. deleg. & ex Cap.* Si a subdelegato 14. *eod. tit. in* 6.

(2) *Cap.* Quoniam contra 11. *de probat. cap.* Gratum 20. *de off. deleg.*

31. Praemittendum tertio, gratiam aliam esse factam, aliam faciendam. Tunc dicitur gratia facta, quando petenti directe conceditur, sive rescriptum referatur ad ipsum, sive ad dispensantem. Tunc autem facienda, quando non tibi ob tuum, sed ob favorem aliorum tribuitur (1).

(1) *Cap.* 36. *de praeb. in* 6.

32. ℟. igitur primo, rescriptum justitiae, seu jurisdictionem delegatam expirare morte concedentis, vel ejus amotione, vel assumptione re integra; secus vero si res fuerit incepta (1); etenim quamvis delegatus obtinuerit jurisdictionem, non radicatur tamen in illo, nisi ea uti coeperit.

(1) *Cap.* Gratum 20., *cap.* Relatum 19. *Cap.* Licet undique 30. *de off. deleg. & Cap.* Si cui nulla 36. *de praeb. in* 6.

33. ℟. secundo, rescriptum gratiae, seu privilegium, si sit gratia facta, & sit indefinite concessum, non expirare morte concedentis, sive res sit integra, sive incepta; enim vero hoc privilegium est gratia facta ex hypothesi; gratia autem facta non expirat morte concedentis (1).

(1) *Cap.* Si super 9. *de off. deleg. in* 6. *Cap.* Si cui 36. *de praeb. in* 6.

34. Dixi primo, si sit gratia facta; nam gratia facienda morte concedentis, vel ejus amotione, vel assumptione finitur (1) re integra; si tamen ageretur de gratiis obtentis a majori Poenitentiario, quoniam ejus auctoritas, & jurisdictio non expirat morte Papae (2), ejus gratiae etiam re integra non expirabunt morte Pontificis. Idem dicendum de dispensationibus, quae fiunt a Legatis Apostolicis (3).

(1) *Cit. Cap.* Si cui 36. *de praeb. in* 6.

(2) *Clem. II. de elect.* §. Eo tamen proviso &c.

(3) *Cap.* Legatos 2. *de offic. legati in* 6.

35. Dixi secundo indefinite concessum; si enim privilegium fuerit concessum ad beneplacitum concedentis; quum morte finiatur voluntas hominis (1), & extinguatur beneplacitum

(2), expirat quoque privilegium. Nostris tamen in regionibus usu, & praxi receptum est, ut omnia officia, & gratiae, quae alicui conceduntur a Principe, durante ipsius beneplacito, per Principis obitum non extinguantur. Aliud dicendum, si privilegium fuerit concessum ad beneplacitum sedis, vel dignitatis; *Tunc enim, quia sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a Successore fuerit revocatum* (3). Idem dicendum; si privilegium fuerit concessum sub clausula, *donec revocavero*, quia ad revocationem requiritur actus positivus contrarius, qui non habetur per solam concedentis mortem, nec ante mortem fuisse supponimus.

(1) *L.* Locatio 4. *ff. locati*.

(2) *Cap.* Si gratiose 5. *de rescr. in* 6.

(3) *Cit cap.* 5. *de rescript. in* 6.

Objicies, precarium ad beneplacitum conceditur, ut patet ex his Ulpiani verbis (1): *Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit patitur*, & tamen non extinguitur morte concedentis (2). Ergo idem sentiendum de privilegio ad beneplacitum concesso.

(1) *L.* 1. *in princ. ff. de precar.*

(2) *L.* 8. §. 1. *eod. tit.*: Quod a Titio precario quis rogavit, id etiam ab herede ejus precario habere videtur, & ita & Sabinus, & Celsus scribunt: eoque jure utimur.

36. ℟. In verbis Ulpiani (1) to *patitur* idem significare, ac non revocat, subdit enim (2). *Et distat a donatione: eo quod qui donat sic dat, ne recipiat: at qui precario concedit, sic dat quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere*, seu precarium revocare. Precarium ergo non conceditur ad beneplacitum, sed potius donec revocetur; unde nil mirum, si per obitum concedentis non extinguatur, sed transeat ad heredes concedentis; at si precarium fuerit concessum ad beneplacitum, tum morte ejus, qui concessit perimitur (3).

(1) *L.* 1. *in princ. ff. de precar.*

(2) *Dicta lege* §. 2.

(3) *L.* Locatio 4. *ff. locati ibi*; Locatio, precariive rogatio ita facta, quoad is, qui eam locasset, dedissetve, vellet, morte ejus, qui locavit, tollitur.

37. Ex his consequitur primo, facultatem audiendi confessionem datam per Pontificem, aut Episcopum alicui Sacerdoti in genere, non expirare morte concedentis; quia est gratia facta ipsi confessario directe, non vero poenitentibus, quamvis cedat in ipsorum commodum; quum enim non sint expressi, nec ad ipsorum petitionem licentia concessa sit, extingui omnino non debebit (1).

(1) *Cap.* 36. *de praeb. in* 6.

Dixi in genere, nam si Sacerdos obtinuerit facultatem absolvendi aliquam, vel aliquas determinatas personas a peccatis, vel etiam a censuris, vel a reservatione; quum in hoc casu facultatem obtinuerit non in gratiam sui ipsius, sed in gra-

Digitized by Google

tiam hujus, vel aliquarum determinatarum personarum; re integra, si nempe ante mortem concedentis non coepit audire confessionem, facultas haec reputatur gratia facienda, quae expirat morte concedentis (1).

(1) *Cap.* 36. *de praeb. in* 6.

38. Consequitur secundo facultates eligendi sibi confessarium, non residendi studiorum caussa, celebrandi Missam in oratorio privato, recipiendi ordines extra tempora, vel ab alieno Episcopo, aliasque id genus gratiosas concessiones, non expirare obitu concedentis.

39. Consequitur tertio litteras expeditas in forma gratiosa, quae ipsi Oratori diriguntur, in quibus exequutor nudum habet ministerium exequendi absque ullo jurisdictionis exercitio, non expirare morte concedentis. Sicut enim non extinguitur gratia ipsa per obitum Pontificis (1), ita nec extingui debet potestas exequutori concessa, quae utpote accessoria sequi debet naturam principalis (2); at si gratia fuerit concessa in forma commissoria, qua traditur exequutori jurisdictio, & committitur, ut veris existentibus narratis, & si ita est, conferat, concedat, dispenset, tunc expirat per obitum concedentis (3). Hinc dispensationes matrimoniales, si non fuerint exequutori praesentatae, non poterit exequutor eas exequi mortuo Pontifice, quum teneatur cognoscere, an preces veritati nitantur. Ita Corradus (4). Aliter sentit Dejustis (5) exequutorem nempe mortuo Pontifice posse hujusmodi dispensationes exequi; eo quod non sit exequutor voluntarius, sed necessarius; ita ut si preces veritati niti reperiantur, teneatur omnino dispensare; atque testatur plures dispensationes matrimoniales Vicario Generali Lucano commissas ab Urbano VIII., & Innocentio X. fuisse ab eo exequutas Sede Papali vacante.

(1) *C.* Si cui nulla 36. *de praeb. in* 6.

(2) *Cap.* Si super gratia 9. *de off. deleg. in* 6.

(3) *Cit. cap.* 36. *de praeb. in* 6.

(4) *In praxi disp. Ap. lib.* 2. *cap.* 8.

(5) *Disp. matr. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 505.

40. Hic autem erit notandum litteras gratiae, vel justitiae obtentas ab una congregatione, prius ab altera denegatas esse nullas, atque procuratores, sollicitatores, agentes, & expeditores, qui ignara parte eas obtinuerint, teneri ad refectionem omnium damnorum, quae per suos principales hac de caussa pati contingeret (1).

(1) *Decreto Innocentii XII. die* 4 *Junii* 1692.

Quid sentiendum de privilegiis vivae vocis oraculo concessis?

41. ℟. Haec revocata esse per constitutionem Urbani VIII. (1), & Gregorii XV. (2); iis, quae obtenta sunt post dictas Bullas, nemo uti poterit, nisi fuerint authenticata per publicos officiales Papae ad id constitutos, ut decernit praedicta constitutio Urbani VIII.

(1) *Incip.* Alias.

(2) *Incip.* Romanus.

42. Porro Clemens XII., ita in notis ad Remigium Maschat pag. 233. " complura privilegia a suis " praedecessoribus concessa revoca- " vit, & 1. constit. *Romanum* 13. " Junii 1731. revocavit, & ad ter- " minos juris communis reduxit pri- " vilegia, seu exemptiones quomo- " documque, & quibuscumque Or- " dinibus Regularibns Societatis Je- " su, Praedicatorum, & Eremita- " rum s. Augustini concessas in da- " mnum Camerae Apostolicae.

" II. Constit. *Romanus Pontifex* " 12. Febr. 1732. revocavit varias " facultates, & indulta concessa per " vivae vocis oraculum, vel rescri- " pta suorum Decessorum; non ta- " men concessa per quasvis litteras " Apostolicas etiam in forma Bre- " vis expeditas, aut rescripta a sa- " cris Congregationibus edita, & " a praedecessoribus Pontificibus ap- " probata, necnon ab officio s. Poe- " nitentiariae quomodolibet concessa.

" III. Item constit. *Romanus Pon-* " *tifex* 30. Martii 1732. revocavit, " & ad terminos juris communis re- " duxit alia quamplurima privilegia " concessa Ordinibus Regularibus a " Bened. XIII. videlicet — Theati- " norum constit. *vita*, & *morum* — " Praedicatorum constit. *Pretiosus* " una cum declarationibus sub die " 28. Septembris 1728. ab eodem " Pontifice factis super quibusdam " dubiis circa intelligentiam rerum " in ipsa constitutione contentarum " exortis — universo Ordini s. Fran- " cisci quoad Tertiarios const. *Pa-* " *terna sedis* — Minorum Conventua- " lium const. *Singularis devotio*, — " Capucinorum constit. *Ratio Aposto-* " *lici* — Augustinianorum const. *Li-* " *benter ea*, — Servorum B. V. const. " *Exponi nobis nuper*. Item privi- " vilegia ab eod. Bened. XIII. con- " cessa const. *Summe decet* 2. Apr. " 1727. *Exponi nobis fecit* 21. mart. " 1729. *In sede* 2. April. 1729.

An Regulares teneantur Episcopis ostendere sua privilegia, ut in eorum Dioecesi possint iis uti.

43. R/. Teneri. Etenim privilegia non attenduntur, nisi de eorum veritate doceatur ita Benedictus XIV. (1), & ita quoque s. Congregatio Teste Fagnano (2).

(1) *Constit.* 40. *incip.* Caussarum *l.* 5. *ff. de judiciis*.

(2) *In caput* Quod super his *de majorit.*, & *obed. n.* 14.

ARTICULUS III.

De privilegiorum interpretatione.

SUMMARIA

1. *In privilegiorum interpretatione attendenda materia, proemium, & supplicatio.*
2. *Privilegia non sunt de persona ad personam extendenda, nisi primo sint contenta in corpore juris.*
3. *Privilegia secundo favorabilia extenduntur de persona in personam*

Digitized by Google

ratione significationis vocis, connexionis, actionis, & dispositionis juris.

4. *Privilegia praeter jus nemini noxia late sunt interpretanda.*

5. *Privilegia juri communi contraria strictam patiuntur interpretationem.*

6. *Privilegia alteri noxia sunt stricte interpretanda.*

1. Quamvis quando verba privilegii clara sunt, & obvia, ita ut constet de mente concedentis, locum non habeat interpretatio (1); saepe tamen contingit, ut verba sint obscura, & indifferentia, ideoque satis discerni non possit quid, & quantum fuerit concessum; quo in casu adhiberi poterit doctrinalis interpretatio (2), quae desumetur tum ex materia privilegii: *Quia quoties idem sermo distinctas sententias exprimit, ea potissimum accipitur, quae rei gerendae aptior est* (3); tum ex proemio, & principio privilegii, saepe enim ibi ponitur finis, & caussa, ob quam conceditur (4); tum demum ex supplicatione facta; nam solet Princeps se accommodare precibus factis (5).

(1) *L.* 25. §. 1. *de leg.* 3.

(2) *L.* 43. *ff. de vulg., & pup. subst.*

(3) *L.* 67. *ff. de reg. juris.*

(4) *L. ult. ff. de testamentaria tutela.*

(5) *Cap.* 6. Inter dilectos §. caeterum *versus finem de fid. instrum.*

An privilegium extendi possit ad casus, & personas, in quibus militat eadem, vel major ratio.

2. R. regulariter loquendo extendi non posse. Enim vero, quum privilegium sit privata lex, & speciale beneficium, quod Princeps uni concedit, non poterit inde inferri ob eamdem, vel majorem rationem aliis quoque concessisse, alioquin sequeretur quod ille, qui obtinuit privilegium non solvendi tributa ob sua merita, posset hoc privilegium extendere ad eum, qui aequalia, vel majora merita haberet. *Quod enim alicui gratiose conceditur trahi non debet aliis in exemplum* (1).

(1) *Reg.* 74. *juris in* 6. *Cap.* 9. *de priviles.*

Dixi *regulariter loquendo*, nam primo privilegia, quae sunt contenta in corpore juris, quum vim legis habeant, proindeque admixtum habeant favorem boni publici (1), erunt ob paritatem rationis de persona in personam extendenda. Hinc privilegium dotis mulieribus concessum, ad sponsas fuit extensum (2), & privilegium pupillorum in bonis tutorum pro administratione tutelae fuit protractum ad prodigos, furiosos, aliosque, qui satis rebus suis consulere non possunt (3).

(1) *L.* 15. *ff. de cur. fur. & aliis.*

(2) *L.* 17. §. 1., *juncta l.* 18. *ff. de reb. auct. jud. possid.*

(3) *L.* 15. *ff. de cur. fur. & aliis.*

3. Secundo, privilegia favorabilia extenduntur quoque quibusdam in casibus de persona in personam. Et primo ratione significationis vocis; sic privilegium filiis concessum ex-

Digitized by Google

tenditur pariter ad filias, quum nomine filiorum comprehendantur etiam filiae: (1); sic pariter privilegium fratribus concessum protrahitur quoque ad sorores; quia nomine fratrum veniunt sorores (2). Secundo ratione connexionis actionis; sic facultas alicui Sacerdoti facta celebrandi tempore interdicti extenditur ad eum, qui sacro inservire debet, & privilegium audiendi divina tempore interdicti extenditur ad ejus familiares secundum sui status conditionem, ut privilegio modo suo statui congruenti (3) fruatur. Tertio ratione dispositionis juris; unde privilegium nobilitatis alicui indultum extenditur ad ejus uxores, & filios (4), & eo mortuo ad viduas, & liberos transmittitur (5). Docet tamen Faber (6) fuisse definitum privilegium fori Senatoribus concessum ad eorum quidem uxores, non tamen viduas extendi; „ Hoc enim, *inquit ille*, non propter „ dignitatem datum est, sed propter „ officii necessitatem, cujus admini- „ stratio nec alibi fieri possit, nec „ ita tractari, ut rei familiaris peri- „ culum sine caussa subire nos opor- „ teat. Quod plerumque contingit, „ si procuratorum fidei lites nostras „ committere usque adeo cogeremur; „ ut adesse nosmetipsi non possi- „ mus. Quae rationes, sicut in caus- „ sis uxorum, & liberorum cum pa- „ tre habitantium locum habent, ita „ defunctis nobis in viduarum nostrarum, ac liberorum personis om- „ nino cessant.

(1) *L.* Justa 201., *l.* Filii 84., *l.* Cognoscere 56. §. 1. *ff. de V. O.*

(2) *L.* Tres fratres 35. *de pactis.*

(3) *Cap.* Licet 11. *de privil. in 6.*

(4) *L.* Cum legitimae 19. *ff. de statu hominum*, *l.* Foemina 8. *ff. de Senatoribus.*

(5) *L.* 22. §. 1. *ff. ad municipalem.*

(6) *Lib.* 3. *tit.* 17. *def.* 3. *codicis.*

An privilegia sint late, vel stricte interpretanda.

4. ℞. Primo, privilegia praeter jus, quae nemini nocent latissimam recipiunt interpretationem: idque utroque jure canonico scilicet (1), & civili (2) constitutum est. Hinc superius demonstravimus privilegia haec ob eamdem, vel similem rationem quibusdam in casibus non solum amplam recipere interpretationem, sed extendenda de persona in personam.

(1) *Cap.* Olim 16. *de verb. signif. Cap.* Quia circa 22. *de privilegiis.*

(2) *L.* 3. *ff. de constit. Principum*, *l.* 2. *cod. de bon. vacant.*

5. ℞. Secundo, privilegia, quae juri communi adversantur, sunt stricte interpretanda: *Quae enim a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentia sunt trahenda* (1) recessusque a jure communi odiosus est (2); eo quod in legibus communibus publica, in privilegiis privata tantum versetur utilitas. Non ita tamen restringenda sunt, ut evanescant; quandoquidem licet juri communi adversentur, non temere tamen, sed ratione speciali concessa sunt (3).

(1) *R.* 28. *jur. in* 6. *l.* 14. *ff. de leg.*

(2) *Cap.* 1. §. 1. *de filiis Presb. in* 6.

(3) *L.* 16. *ff. de leg.*

6. R. Tertio, privilegia, quae in alterius damnum vergunt, sunt pariter stricte interpretanda; quum nunquam praesumatur Principem velle derogare juri alteri quaesito, nisi id expresserit, etiamsi motu proprio privilegium concesserit; quia non potest sine gravi caussa jus alteri quaesitum auferre (1). Quare si privilegium etiamsi ab initio nemini nocens, postmodum damnosum factum sit, vires amplius non habet (2).

(1) *Cap.* Super eo 15. *de off. deleg.*, *cap.* Licet in corrigendis 12. *de off.* Ordinarii, *L.* 2. §. 16. *ff. Ne quid in loco publico*.

(2) *Cap.* Suggestum 9. *de decimis*, *L.* 43. *ff. de vulg. & pup. substit.*

ARTICULUS IV.

De privilegii effectibus.

SUMMARIA

1. *Duplex est privilegii effectus, unus ex parte privilegiati, alter ex parte aliorum.*
2. *Privilegiatus privilegium reale, non vero personale in alium transferre potest.*
3. *Nemo tenetur per se uti privilegio, per accidens vero duobus in casibus.*
4. *Obligatio utendi privilegio non oritur ex vi ipsius privilegii, sed ex lege, vel praecepto.*
5. *Quando privilegia sibi opposita non sunt, potest privilegiatus uti suo privilegio adversus privilegiatum.*
6. *Quando ex privilegiis unum est generale, speciale alterum, speciale praevalet generali sibi opposito.*
7. *Explicatur, quodnam privilegium sit praeferendum, quando utrumque est generale, vel speciale, vel utrumque favorabile, vel unum altero favorabilius.*
8. *Privilegiatus non potest uti privilegio locali extra locum, in quo concessum est.*
9. *Privilegiatus non potest extra territorium concedentis uti privilegio adverso legibus alterius territorii.*
10. *Privilegio contra jus commune poterit privilegiatus ubique uti.*

1. Effectus privilegii ex parte privilegiati est jus utendi privilegio; ex parte autem aliorum est obligatio non impediendi privilegiatum, quominus privilegio utatur.

An privilegiatus jus suum in alium transferre possit.

2. R. privilegiatum privilegium suum personale alteri cedere non posse, alioquin personam egrederetur contra concedentis intentionem (1); at privilegium reale in alium cessione transferre poterit; quum enim privilegium reale rei, seu caussae inhaereat, sicuti res ipsa recte in alium transfertur, ita & inhaerens privilegium (2).

(1) *L.* 42. *ff. de administ.*, *& periculo tut.*

(2) *L.* 68. *ff. de reg. juris.*

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE LEGE ÆTERNA ET NATURALI.

SUMMARIUM

1. *Series rerum tractandarum exponitur.*

1. Eo devenit quorundam elapso seculo scriptorum impietas, quorum triginta ab hinc annis summopere auctus est numerus, ut Calliclis, Archelai, Aristippi, Epicuri turpissimos diu jam obsoletos errores renovaverint: alii a privata utilitate, vel a bono publico: alii a pactis, aut ab opinione omnem legem, omnemque, quae in actionibus humanis est, moralitatem derivantes: nemo enim ignorat, qualis fuerit Hobbesii, Spinosae, Rosseau, Helvetii, aliorumque nostrae aetatis improbissimorum hominum sententia; tantam insaniam, quae cujusque legis eversio, & societatis est, hac dissertatione curandam suscipimus: quare capite primo legis aeternae accuratam notionem exhibebimus, & existentem demonstrabimus, & corollaria, quae inde fluunt, non omittemus. Hanc legem universis hominibus capite secundo participatam evincemus, ejusque consectaria persequemur; demum in ejusdem legis participatae, seu legis naturalis proprietates inquiremus.

CAPUT I.

Legis aeternae doctrina exponitur.

SUMMARIA

1. *Traditur definitio legis aeternae, atque quomodo se habeat ad creaturas, tum rationales, tum irrationales, explicatur.*
2. *Lex aeterna duplici modo considerari potest*, passive, & active.
3. *Exponitur, in quo lex aeterna differat a Dei idea, & providentia.*
4. *Existentia legis aeternae in genere ostenditur.*
5. *Existentia legis aeternae respectu tantum creaturarum rationalium demonstratur.*
6. *Lex aeterna vere, & proprie lex est.*
7. *Refutatur Thomasius asserens legem aeternam esse Scholasticorum commentum.*
8. *Inducitur Thomasius sibi ipsi contradicens.*
9. *Immerito Thomasius legem aeternam homini ficto comparat.*
10. *Imponit Scholasticis Thomasius, dum scribit doctrinam de lege aeterna a Scholasticis traditam aliquid analogi habere cum doctrina de materia prima Deo coaeterna.*
11. *Falso doctrinam de aeterna lege a Scholasticis traditam fatalismi accusat Thomasius.*
12. *Lex aeterna, quoad naturas rationales necessario, quoad irrationales libere se habet.*
13. *Creaturae irrationales nunquam*

Digitized by Google

praevideat hanc legem a plerisque violandam fore: experientia enim constat majorem hominum partem vitiis esse addictam; hinc hujusmodi lex non tenderet certe ad bonum commune, quod legis finis esse debet, sed potius exitialis, & perniciosa foret majori hominum parti; proprium ergo esse debet legis humanae ea prohibere vitia, quae grave scandalum, vel nocumentum communitati afferre possunt; puta, quae Reipublicae ordinem, & pacem labefactant, ut proditiones, homicidia, furta, & caetera, quae mutuam civium cum civibus communicationem avertunt, minora autem dissimulare, & tolerare. Hinc prudens legislator in lege ferenda attendere debebit ad locorum, temporum conditionem, morum varietatem &c.; ne ex minoris mali coërcitione graviora inde mala, & scandala suboriantur.

11. Quare male se gerunt ii, qui in Magistratus invehunt, eo quod aliqua mala lata lege non prohibeant, sed potius tolerent; tum etiam ii, qui, cum videant aliqua publice tolerari, inde concludunt id licitum esse, atque honestum. Enim vero, sapienter scribit s. Augustinus (1): „ Legem istam, quae regendis civitatibus fertur, recte multa concedere, „ atque impunita relinquere, quae per „ divinam omnipotentiam vindicantur.

(1) *Lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 5.

12. Ex his consequitur legem humanam non posse omnes virtutes praecipere; tum quia inter virtutum opera plura sunt consilii, tum quia omnia virtutum opera peragere non est omnium, sed solum perfectorum, qui pauci sunt; ideoque lex haec non esset utilis bono communi, utpote non accommodata majori communitatis parti.

An lex humana possit praecipere, vel prohibere actus indifferentes.

13. ℟. non posse per se loquendo; nam objectum legis humanae sunt actus humani, prout conducunt ad bonum commune, vel ab eo avertunt; sed actus secundum se indifferentes, & in indifferentiae specie sistentes, nec conducunt ad bonum commune, nec ab eo avertunt; quum homines nec bonos, nec malos efficiant; ergo non possunt esse objectum legis

Dixi per se loquendo; nam actus per se indifferentes in quibusdam circumstantiis possunt revera ad bonum commune conducere, vel ab eo avertere; sic ex. gr. armorum gestatio secundum se est aliquid indifferens; tamen attenta regionum qualitate, & civium indole potest revera avertere a bono communi; & ideo potest per legem humanam prohiberi.

C A P U T IV.

De legis subjecto.

Hujus capitis quatuor erunt articuli, in quorum primo sermo instituetur de Principibus, infidelibus, pueris, & amentibus. In secundo de Regularibus, an, & in quibus Episcopis subjaceant. In tertio de Clericis, num scilicet legibus civilibus

Digitized by Google

An quis privilegio uti teneatur.

3. ℞. directe, & per se loquendo non teneri; nam liberum est unicuique juri suo renuntiare (1); quia quod est in favorem alicujus factum, non debet in ipsius gravamen retorqueri (2).

(1) *Cap. 6. de privileg.*

(2) *Reg. 61. de reg. juris in 6.*

Dixi directe, & per se loquendo; nam indirecte, & per accidens interdum contingit, ut quis accepto privilegio uti teneatur; idque in duobus potissimum casibus.

Primo: quando privilegium datur ad aliquid aliunde praeceptum; sic si quis habeat privilegium audiendi Missam tempore interdicti, tenebitur diebus festis Missam audire.

Secundo: quando ex non usu privilegii provenit grave privilegiati, vel aliorum damnum; sic si quis non possit aliter mortem evadere, quam privilegium ostendendo, tenebitur uti privilegio; similiter si quis non possit satisfacere creditoribus, nisi abstinendo a solutione decimarum, a quibus privilegio fuit exemptus, privilegium adhibere debebit.

4. Notandum tamen, quod obligatio in hisce duobus casibus utendi privilegio, non oritur directe, & per se ex privilegio, sed potius ex lege, seu praecepto; prima siquidem obligatio oritur ex praecepto ecclesiastico obligante ad Missae auditionem sublato impedimento. Secunda obligatio in eo, qui morte damnabitur, nisi ostendat privilegium, provenit ex lege caritatis, qua unusquisque tenetur vitam suam conservare; & in eo, qui non potest creditoribus satisfacre, nisi utatur privilegio exemptionis decimarum, oritur ex lege justitiae, quae obligat debitorem ad arripienda media ordinaria, quibus suis debitis satisfacere possit.

An privilegiatus possit uti suo privilegio adversus privilegiatum.

5. ℞. primo: si privilegia sibi opposita non sunt, potest privilegiatus adversus alterum privilegiatum uti suo privilegio; sic minor laesus gaudet beneficio restitutionis in integrum adversus minorem laedentem, quia hoc beneficium non laedentibus, sed laesis concessum est.

6. ℞. secundo: si privilegia sibi opposita sint, sed unum sit generale, speciale alterum; speciale praevalet generali, quia per speciem derogatur generi (1).

(1) *Reg. 34. juris in 6.*

7. ℞. Tertio: si privilegia sibi opposita sint aeque generalia, vel specialia, & unum contentum sit in corpore juris, non vero alterum, praefertur primum secundo; quia illud bonum publicum, hoc vero privatum tantum respicit (1). Si utrumque privilegium sit clausum in corpore juris, vincit privilegium, quod est favorabilius. Sic filius familias non utitur Senatusconsulto Macedoniano contra minorem, a quo mutuam accepit pecuniam, quia favorabilius est privilegium aetatis, quam Senatusconsulti (2). Similiter si in-

Digitized by Google

ter duos minores unus certet de damno vitando, alter de lucro capiendo, favorabilior est caussa prioris (3). Si demum utrumque sit favorabile, praevalebit quod est antiquius, si sermo sit de privilegiis extra juris corpus; quia Superior praesumitur primum ignorasse; neque enim credibile est voluisse concedere privilegium alteri directe oppositum; ergo non censetur priori voluisse derogare (4). Si autem sermo instituatur de privilegiis clausis in corpore juris, cessat utrumque privilegium, & res ex communi jure judicatur. Hinc *duabus dotibus ab eadem substantia debitis ex tempore praerogativam manere*, sanxit Justinianus (5).

(1) *Et ita sensit Senatus, prout refert Thesaurus decis.* 177. *n.* 9.

(2) *L.* 11. §. fin. *ff. de min.*

(3) *L.* 11. §. item 6. *ff. eodem tit.*

(4) *Cap.* 1. *de constit. in* 6.

(5) *L.* Assiduis 12. §. 1. *in fine cod. qui potiores in pig.*

An privilegiatus possit ubique suo uti privilegio.

8. ℟. primo, si privilegium est locale, seu loco affixum, non poterit privilegiatus extra illum locum privilegio uti. Hinc si Princeps aliquem exemerit a solvendis decimis in aliquo loco, non poterit privilegiatus hoc privilegio frui in alio loco.

9. ℟. Secundo, si privilegium sit contra speciales leges alterius loci, probabilius uti non poterit privilegiatus privilegio extra territorium concedentis; quia ex superius dictis advenae ligantur legibus locorum, in quibus commorantur, nec ab ipsis legibus solvi possunt vi privilegii obtenti ab eo, qui in hisce locis nullam habeat potestatem; quare qui obtinuit ab Episcopo privilegium praedicandi ubique in sua Ecclesia, non poterit in aliena dioecesi absque alia facultate praedicare.

10. ℟. Tertio, si privilegium sit contra jus commune, valebit privilegium in alieno territorio. Hinc dispensatus a carnibus, vel a jejunio ab Episcopo, poterit etiam in aliena dioecesi carnes edere, & plures refectiones facere diebus jejunii in aliena dioecesi; quia, quum hujusmodi dispensatio sit contra jus commune, censetur concessa ab Episcopo nomine Ecclesiae, quae ubique auctoritatem dispensandi habet.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

RERUM NOTABILIUM

Numerus primus indicat paginam, secundus paragraphum.

A

Abbates leges ferre valent 110. 20.
Abrogatio legis quid sit 283. 1. a quo fieri possit ibid. 1. an a legislatore ibid. 2. an a successore ibid. 3. an a superiore legislatoris ibid. 4. & 285. 8. an valida 284. 6. abrogatio legis non praesumitur ibid. abrogationis caussae 285. 7.
Abutentes Ecclesiae confugio an cadant a jure asyli 207. 23. an transferendi ad aliam Ecclesiam ibid. & 207. 24.
Actus legis quatuor sunt 15. 8. ab ejus effectibus distinguuntur ibid. 7. non omni legi competunt ibid. 11.
Actus virtutum legi naturali congruentes non omnes sunt praecepti 66. 3. actus vitiosos quosdam directe, quosdam indirecte prohibet lex naturae ibid. 4.
Actus interni variis modis considerari possunt 135. 2. dupliciter praecipi, aut prohiberi ibid. 3. actus undequaque indifferentes nec praecipi, nec prohiberi lege humana possunt 141. 13.
Actus irritare an possit Ecclesia, aut respublica 299. 4.
Actus initi contra legem humanam permittentem, vel praecipientem, an sint nulli 299. 2. contra legem ecclesiasticam prohibentem an, & quando sint nulli 300. 8. 9. 10. & 301. 11. 12. 13. 14. contra legem civilem prohibentem an valeant 302. 16. 17. & 303. 18. quid de iis jure patrio inspecto 303. 19
Actibus contra legem si adjiciatur pignus, fidejussio, aut aliud pactum, an ista valeant 304 20.
Actus nulli pro foro externò an nulli quoque pro foro interno 304. 21. 22. & 305. 23.
Actu jure nullo an possit quis uti tamquam valido 305. 24.
Actus jure nullos eliciens an peccet 305. 25.
Actus irritandi non sunt habendi pro irritis ante sententiam judicis 305. 26.
Actus ad consuetudinem requisiti an debeant esse positivi 327. 8. negativi an, & quando sufficiant 327. 9.
Actus ad consuetudinem inducendam debent esse liberi 327. 10. uniformes ibid. 11. publici ibid. 12. frequentes 328. 13. exerciti animo se obligandi, vel deobligandi ibid. 15. 17.
Actus quando censeantur exerciti animo invehendae obligationis 328. 16.
Actuum quantitas requisita ad consuetudinem, non potest certa regula definiri 328. 14.
Advenae definitio 217. 1.
Amentes naturali, haud vero humanae legi subjiciuntur 146. 18.
Appellatio ad quem fieri possit in caussa immunitatis, & cui competat 215. 13. & quibus in casibus 216. 14.
Assassini, & assassinium mandantes an gaudeant immunitate 201. 6.

B

Beneficiorum caussae coram quo judice, & quomodo judicari possint 166. 9.
Beneficiati quibus gaudeant privilegiis, & quid requiratur, ut iis privari possint v. forum.
Bonorum Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum quot sint differentiae 180. 1. 2. 3.
Bonum consistit in ordinis conservatione, malum in ejus perversione 25. 17.
Bona fides an requiratur ad consuetudinem 329 21. 22. 23.
Breve Pii VI. facultatem concedens extrahendi milites ab Ecclesiis 184. 6. ejusdem

Alasia aaa

Digitized by Google

expoſitio a praeclariſſimis viris 185. 7. Breve aliud Pii VI. dictam facultatem extendentis ibid. 8. Breve poſtremum Pii VI. Benedictinam inſtructionem explicantis 186. 9.
Bullarium magnum an, & quomodo apud nos auctoritatem juris habeat 91. 22.

C

Capitulum cathedrale mortuo Episcopo leges ferre poteſt 110. 21.
Canones poenitentiales vim legis non habent, utiles tamen ſunt 89. 10.
Canones Apoſtolorum eodem in pretio habentur 89. 11.
Carneades affirmat virtutem oriri ex amore ſui ipſius, vel ex propria utilitate, refellitur 48. 45.
Cauſſae, quae a ſolo judice eccleſiaſtico definire poſſunt 166. 9.
Ceſſatio legis quid ſit 283. 1. & 287. v. finis legis.
Chriſtus, an vera dederit praecepta 83. 2.
Citationes ex jure canonico, & civili explicantur 101. 1. 2.
Per clauſulam generalem an cenſeantur revocata privilegia 355. 25. 56. 27.
Clementinae quid ſint 90. 15.
Clerici legibus civilibus ſubduntur eorum privilegiis non repugnantibus 160. 161. 1. 2. 3. 4. ſunt immunes ab auctoritate Magiſtratuum in cauſſis criminalibus 162. 1. carceri tamen mancipari poſſunt a judice laico ſi periculum ſit in mora 163. 2. an, & in quibusnam cauſſis civilibus saeculari Magiſtratui ſubjaceant 164. 3. Clericus in cauſſa civili, ſi actor ſit, nulla gaudet immunitate, ſi fuerit reus, exceptis negotiis eccleſiaſticis, quoad actionem realem conveniri poteſt penes judicem ſecularem 164. 5. & quis penes nos veniat nomine judicis ſecularis ibid.; in rebus eccleſiaſticis coram quo judice conveniri poſſit 165. 7.
Clerici immunes ſunt ab oneribus perſonalibus 168. 10. a capitatione 168. 11. a metato 168. 12.
Clerici quoad privilegium fori v. forum.
Codex a quo compactus, quo tempore, & quam auctoritatem habeat 97. & 98. 16.
Complices criminis excepti an gaudeant immunitate 204 14.
Concilia an vim juris Pontificii habeant 90. 21. an leges condere poſſint 109. 17.
Conductores domorum in urbe Taurini an a locatore poſſint expelli 269.
Concluſiones ex primis principiis deductae pertinent ad jus naturae 65. 2.
Confeſſarii quid praeſtare debeant in ſolvendis conſcientiae caſibus juris materiam ſpectantibus 100. 21. 22. 23. 24.
Confeſſiones audiendi facultas an expiret per mortem concedentis 357. 37.
Conjuges jure patrio an ſibi legare poſſint proprietatem bonorum 303. 19.
Conſenſus legiſlatoris an requiratur ad conſuetudinem, & qualis 329. 19. 20.
Conſtitutiones regiae quaſdam Provinciarum conſuetudines illaeſas voluerunt 98. 8.
Conſuetudinis definitio, & hujus explicatio 322. 1. 2. 3. in quo differat a more, a lege, a ſtylo curiae, a praeſcriptione 322. 5. ejus diviſio 323. 6. 7. 8.
Conſuetudinis diviſio in conſuetudinem facti, & conſuetudinem juris, in conſuetudinem rationalem, & irrationalem rejicitur 322. 4 & 323. 9.
Conſuetudo confirmat legem, interpretatur dubiam 331. 2. inducit novam legem ibid. 3. abrogat legem praeexiſtentem ibid. 4. an abroget legem, cui adjecta fuerit clauſula: *Nulla deinceps conſuetudo introduci poſſit* 331. 5. 6. an abroget jus regium 331. 6. & 332. an abrogetur lege contraria 332. 7. 8. 9. quas habere debeat conditiones 324. 1. & 325. 3. 4. & 326. 6. & 327. 8. & 329. 18. 19. v. actus, bona fides, conſuetudo: juri naturali, aut divino contraria extirpanda a legiſlatore 333 11. inutilis, quando toleranda, & quando amputanda ibid. 12. & 334. utilis bono publico pietati, an adjuvanda 334. 13.
Conſuetudines plures abrogatae, quae olim vigebant, referuntur 334. 14. & 335. & 336.

Contemptus legis quid sit, & quomodo dividatur 244. 1. 2. 3. contemptus formalis legis nullam admittit materiae parvitatem 244. 4. ex contemptu peccat qui legem transgreditur ea ſolum de caussa, quia levi odio proſequitur legislatorem 245. 5. ex contemptu haud ſemper peccat qui legem transgreditur eo ipſo, quia levis est 245. 6. ex contemptu peccat qui conſilia evangelica omittit, quia vana reputat, & inutilia 245. 7. ex contemptu non peccat qui ex pura malitia legem violat 245. 8. vel qui legem ex habitu, vel consuetudine infringit 245. 9.

Creaturae omnes aeternae legi ſubjiciuntur 29. 30.

D

Decisiones Rotae Romanae vi legis carent 112. 26.

Decisiones Senatus unde petendae sint 98. 12., ab iis non potest appellare ibidem 11.

Decretales quid sint 89. 12.

Decretalium auctoritas in dubium a quibusdam adducitur 89. 13.

Decretalium liber ſextus quid, & a quo sit 89. 14.

Decretalium liber septimus nullibi vim legis habet 90. 19.

Decreta Sacrae Congregationis num vim legis habeant, & quanti facienda 110. 22. & 112. 25. quanta auctoritas a Sixto V. Sacrae Congregationi sit collata 111. 23. quandonam decretis Sacrae Congregationis fides habenda ſit 111. 24.

Decreta an extendenda ob paritatem rationis 269.

Declarare num reus crimen exceptum commiserit, cui competat 214. 8. 9. declaratio haec intra menſem fieri debet 215. 11. si intra menſem non fiat ad quos caussa devolvatur 215. 12. an ab hac declaratione appellari possit v. appellare.

Declarare num locus immunitate gaudeat potest Magistratus secularis 215. 10.

Delicta, quae cognoscere potest solus judex ecclesiasticus 166. 9.

Domus in urbe Taurini. V. conductores.

Derogatio legis, quid sit 283. 1.

Deus non subditur legi aeternae 30. 31. non potest abrogare legem naturalem 55. 2. nec in ipsa dispensare 56. 3. refutantur Scotistae 56. 5.

Dispensatio duplex distinguitur circa praecepta juris naturae 57. 6. inter haec alia exceptionem admittunt, alia non ibid. 7. objectiones solvuntur 58. 10., & seq. diſpenſatio non potest cadere in ea, quae ſunt directae contra divinas perfectiones 63. 26. cadere autem potest in ea, quae sunt contra proximum, & seipsum quadam posita limitatione ibid. 27.

Distinctio inter bonum, & malum non est repetenda ex opinione 47. 43. nec ex libera Dei voluntate 50. 50.

Dubitans; an lex in publicum bonum referatur ipsam debet servare. 6. 8.

E

Æquitas v. epichia.

Æquitatis regulae variae 274. usque ad 282.

Ecclesiae, quae immunitate gaudent ex jure communi 187. 1. Ecclesiae, quae ex Instructione Pontificia gaudent immunitate 188. 2.

An Ecclesia, in qua administrantur sacramenta excepto baptismo gaudeat immunitate 188. 3.

Ecclesia sita in una loci parte, ubi divisus est fruitur immunitate 188. 4.

Ecclesia, quae non distat a loco plusquam decem exapedis, immunitate gaudet. 189 5.

Ecclesia suum habet gladium 118. 5.

Ecclesiae potestas in ſuo ordine abſoluta est, & independens 117. 3.

Ecclesiae ad quae membra extendatur immunitas ex jure communi 189. 6.

Ecclesiae ad quae membra restricta sit ex jure pontificio 190. 7.

Edicta sive vetera, sive recentia observanda sunt 98. 9.

Edicta juri communi contraria restringenda. 269.

Effectus legis duo 17. 12.

Digitized by Google

Effectus privilegii 362.

Emptores mercium fraudata gabella, an hanc solvere teneantur 309. 16. & 310. 16. 20. quid si ignorent, aut dubitent, an gabella fraudata sit 310. 16. 18. quid si ignorent illicitum esse emere a fraudatoribus gabellarum ibid. 19.

Epichia, quid, & quotuplex 270. 1. ejus divisio communiter tradita, an recta sit 274. 10. an locum habeat in lege naturali 64. 32. an ea uti liceat 271. 2. 3. 4. quando liceat 272. 5. & 274. 9. an in lege dura 273. 6. an in casu majoris probabilitatis, quod voluerit legislator ad particularem caſum obligare 273. 8. v. lex irritans.

Epiſcopi an, & quam habeant jurisdictionem in Moniales Regularibus subjectas 155. 156. 157. 19.

Episcopi an, & quam jurisdictionem habeant in Regulares v. Regulares.

Episcopi an possint abrogare leges in Synodo Dioecesana editas 285. 8. an easdem leges abrogare possint, si sint a Pontifice confirmatae ibid. 9. an leges communes, vel Pontificias abrogare possint in vim consuetudinis suae Dioecesis 333. 10.

Extravagantes quid sint, & quare sic dictae 90. 16.

Extravagantes communes quid sint, & quare hoc nomine nuncupatae 90. 17.

Error in quo ab ignorantia differat 313. 2.

Errores Montesquieu, & Machiavelli circa legis indolem, & legislatoris officium 5. 5. & ſeq.

F

Filiusfamilias an renunciare possit querelae inofficiosi testamenti 258. 6.

Finis legis cessare potest contrarie, & negative 287. 1. fine legis cessante in commune an cesset lex 287. 2. fine legis cessante in particulari an lex cesset. 288. 4. & 289. 8. 9.

Forum, coram quo conveniri debet laicus ob res ecclesiasticas. 168. & 169. 13.

Fori privilegium ſub quibus conditionibus clerico competat. 170. 1. 2.

Fori privilegium pro nostris regionibus sub quibus conditionibus clerico tribuatur. 170. 3.

Fori privilegium competit beneficiato tum clerico majoribus ordinibus insignito, licet habitum, & tonſuram non gestent 171. 4. & 172. 5.

Fori privilegium non amittit Clericus beneficiatus, vel majoribus ordinibus initiatus, quamvis Ecclesiae non serviat, 172. 6. ut fori privilegio privetur, trina monitio requiritur etiam in nostris regionibus 172. 7. 8.

Fori privilegium amittit Clericus nec beneficiatus nec sacris ordinibus decoratus, si habitum & tonsuram non gerat, abſque ulla monitione 173. 9. an dictus Clericus ante sententiam declaratoriam Ordinarii excidat a privilegio fori 173. 10. an privilegio fori privatus alia amittat privilegia 174. 11. 12.

Fori, & Canonis privilegium recuperant Clerici nec majores, nec beneficiati abſque fraude resumentes habitum clericale 174. 13. cum dubitatur, num fraude dicti Clerici habitum clericalem resumpserint, declaratio spectat ad judicem ecclesiasticum 175. 14.

Fori privilegio ut gaudeat Clericus, quale servitium praestare debeat 176. 18. Clericus Ecclesiae serviens sibi non designatae, aut sine mandato Episcopi, non excidit a fori privilegio 176. 19.

Fori privilegium competit professis in aliqua religione approbata, licet nondum prima tonsura insignitis 170. 1.

Fori privilegium per degradationem realem, non verbalem amittitur 177. 20.

Fori privilegium Clericus conjugatus non amittit, sed nostris in regionibus habitus clericalis non permittitur conjugatis 177. 21.

Fori privilegium amittitur per ſolam irregularitatem ex bigamia, 178. 22.

Fori privilegium non amittitur per excommunicationem 178. 23.

Fori privilegium amittit Clericus Italus falsis dimissoriis ordinatus 178. 24.

Fori privilegium num competat Clerico assasino 178. 25.

Digitized by Google

Fori privilegio an excidat Clericus renuntiatione. 179. 26.

Fur publicus an, & quando immunitate fruatur 202. 7.

Fures agros devaſtantes & iis cooperantes an excidant ab immunitate 202. 8.

Fures praetextu redimendi an immunitate fruantur 203. 9. 10.

Fures nocturni, tum diurni, an gaudeant immunitate 203. 11. 12. & 13.

Fures ſub nomine curiae an priventur immunitate 204. 15.

Fures in Eccleſia an excidant a jure aſyli 207. 25. 26.

G

Gabellae fraudatores, cui teneantur reſtituere 311. 23. v. emptores, tributum.

Generales num teneantur legibus ſuorum Ordinum 145. 12.

Georgius Bullus, aliique Lutherani a Lutheri errore de nulla lege a Chriſto data receſſerunt 84. 2.

Gratiani decretum quando fuerit conſcriptum 88. 5. quot partibus conſtet 88. 6. quanti faciendum ſit 88. 7. an penes nos vim legis habeat 89. 8. pluribus ſcatet erroribus 89. 9. quomodo corrigendus ibid.

H

Helvetius immerito affirmat phyſicam ſenſibilitatem, & propriam utilitatem eſſe totius juſtitiae fontem 50. 49.

Habitus clericalis ſub quo diſpendio ſit deferendus a Clerico 173. 9. v. forum.

Habitus clericalis reſumptionem a Clericis quomodo impedire poſſit Epiſcopus 175. 15.

Habitum clericalem an reſumere poſſint Clerici penes nos 175. 16.

Habitus clericalis quaeſtiones unde dirimendae 176. 17.

Haeretici an legibus Eccleſiae obſtringantur 145. 14.

Haeretici an gaudeant immunitate ob haereſim, vel ob alia crimina 195. 3.

Hobbeſii error circa legem naturalem refellitur 46. 41. falſa repetit originem boni, & mali ex pactis in ſocietate initis 48. 47.

Homicidae an immunitate gaudeant 199. 1.

Homicidio cooperantes an excidant ab immunitate 201. 4.

Homicidae unius prae alio an careant immunitate 200. 2.

Homicidae in Eccleſiis, coemeteriis, vel ab iis egreſſi delictum committentes an cadant ab immunitate 206. 21.

Hominem occidens extra Eccleſiam in Eccleſia exiſtens, vel viceverſa, an cadat a jure aſyli 206. 22.

I

Infideles Eccleſiae legibus non obſtringuntur, bene vero divinis 145. 13.

Ignorantia quid ſit 312. 1. in quo differat a neſcientia ibid. ab errore 313. 2. alia merae privationis, alia pravae diſpoſitionis 313. 3. alia antecedens, alia concomitans ibid. 4. & 314. 5. 6. alia conſequens ibid. conſequens alia affectata 314. 6. alia craſſa, vel ſupina, alia non ibid. 7 alia vincibilis, alia invincibilis 315. 9. alia juris, alia facti 315. 11. facti alia proprii, alia alieni 321. 30.

Ignorantia antecedens, & invincibilis an diſtinguantur 315. 10

Ignorantia conſequens an, & quo ſenſu dici poſſit antecedens 315. 8.

Ignorantia poenae an accenſenda inter ſpecies ignorantiae 315. 11.

Ignorantia invincibilis excuſat a peccato 67. 1. non admittitur a Theologis circa primaria, & ſecundaria naturae praecepta in ſe ipſis ſpectata ibid 3. & 315. 12. aliqua naturae praecepta poſſunt invincibiliter ignorari ſpeculative 68. 4. juxta plures ignorantia juris naturae quoad remotas concluſiones eſt invincibilis viribus naturae, non gratiae ibid. 5. damnatum non eſt dicere nullam dari ignorantiam invinci-

Digitized by Google

bilem juris naturae ibid. 6. hanc eſſe admittendam circa remotas concluſiones multis argumentis probatur ibid. 7. & ſeq. & 315. 12. ſolvunturque objectiones 70. 12. 13. 14. 18. & ſeq.

Ignorantia invincibilis facti tam proprii, quam alieni ſemper excuſat 321. 31. non item vincibilis ibid. 32.

Ignorantia juris eccleſiaſtici excuſans a culpa excuſat a poena 316. 13. excuſans a gravi culpa excuſat a gravi poena ibid. 14. craſſa, ſupina, & affectata an, & quando excuſet a poena 316. 15. & 317. 16. invincibilis ſolius poenae non excuſat a poena 317. 17. & 321. 29. invincibilis cenſura excuſat a cenſura 317. 17.

Ignorantia legis irritantis non excuſat 321. 29.

Ignorantia legis civilis univerſalis an excuſet a poena inſpecto jure communi, & patrio 317. 18. legis civilis particularis an, & quos excuſet a poena ibidem juris civilis an obſit minoribus, mulieribus, militibus, ruſticis 318. 19. 20. 21. 22. & 319. 23. juris civilis nocet, ſi agatur de lucro captando, exceptis minoribus, ac militibus 319. 24. juris civilis an, & quando excuſet, ſi agatur de damno evitando 319. 25. 26. & 320. 27. 28.

Ignorantiae affines inadvertentia, inconſiderantia, & oblivio 321. 33.

Inadvertentia quid ſit 321. 33.

Immunitas quid ſit 161. 1. ejus diviſio in perſonalem, realem, & localem 161. 2. 3. 4.

Immunitas realis an ex jure divino, an ex Principum liberalitate deſcendat 181. 4. an penes nos vigeat 181. 5.

Immunitas localis explicata, & contracta Conſtitutionibus, Inſtructionibus, Brevibus plurium ſummorum Pontificum 183. 2. 3. 4. 5. & 185. 7. 8. & 186. 9.

Immunitas quibus Eccleſiis competat v. Eccleſiae.

Immunitas competit monaſteriis tum ex jure communi, tum ex jure Pontificio 191. 8. tum hoſpitalibus, & Seminariis 191. 9. clauſtris Religioſorum licet in iis habitent milites 192. 11. coemeteriis ab Eccleſia ſeparatis 192. 13. & ſecundum plures jure communi oratoriis privatis, non tamen penes nos ibid. 12. non competit grangiis 192. 10. conſervatoriis foeminarum 193. 15. nec Epiſcopi palatio penes nos, aliter jure communi 193. 14.

Immunitate gaudent Religioſi ſi crimen exceptum non commiſerint 194. 2. immunitate fruuntur ipſi infideles exceptis Judaeis ob aliqua crimina 195. 4.

Immunitate an gaudeant haeretici v. haeretici.

Immunitate caret reus ligatus una cum ſatellite ad Eccleſiam confugiens 195. 5.

Immunitate non fruitur jure noſtro e triremibus fugiens, quamvis jure communi gaudeat 196. 6. tum etiam e carcere fugiens, ſi in eum jam lata ſit ſententia 196. 7.

Immunitate non gaudet reus ob dolum exiens ab Eccleſia ſi capiatur 196. 18.

Immunitate num gaudeant homicidae, & fures v. homicidium, & furtum.

Immunitate non gaudent incendiarii, iiſque cooperantes 202. 8.

Immunitate gaudent complices criminis excepti 204. 14.

Immunitate privantur adulterantes tabulas, & falſificantes litteras Apoſtolicas, vel Regias 204. 16. idem dicendum de reis laeſae majeſtatis 205. 19. & de violenter extrahentibus a loco immuni vel ex manibus juſtitiae 206. 20.

Immunitatis privationi locus non eſt ex identitate, vel majoritate rationis 208. 27.

Immunitatis quinam effectus 208. 11 & ſeq.

Immunitatis violatores quam poenam incurrant v. violatores.

Immuni in loco exiſtens qua auctoritate, & quomodo extrahendus 212. 213. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Inadvertentia quid ſit 321. 33.

Inconſideratio quid ſit 321. 33.

Inſtitutiones Lancelotti nullibi vim juris habent 90. 20.

Interpretatio legum quid ſit 262. 2. alia authentica, alia uſualis, alia doctrinalis ibid. 5., alia declarativa, alia ampliativa, alia reſtri-

Digitized by Google

ctiva 264. 10. authentica quae ſit 262. 4. quam habeat vim 263. 5. ad quos ſpectet 262. 4. uſualis quae ſit 263. 6. quam vim habeat ibid. doctrinalis, quae 263. 8. an licita ſit ibid. quae ipſius virtus ibid.
Interpretatio legum an ſit neceſſaria 262. 1. an differat ab uſu legis ibid.
Interpretationis regulae 265. 2. & ſeq.
Interpretatio in Tridentinum prohibita, quibus, & ſub qua poena 263. 8.
Interpretatio privilegiorum an late, vel ſtricte ſit facienda 361. 4. 5. 6. an privilegia de perſona in perſonam ſint extendenda 360. 2. 3.
Judex an remittere poſſit poenam a legibus ſtatutam 297. 12.
Judex abſque licentia reum ab Eccleſia extrahens nequit ab Epiſcopo citari 214. 7.
Judex an teneatur compenſare damna ex violenta ab Eccleſia extractione provenientia 21c. 7.
Juramentum ſequitur naturam actus, cui adjicitur 258. 6. & 259. 8. an valida reddat pacta alias jure nulla 259. 9. 10. & 260. 11. & 261. 12. jure patrio nullos facit contractus quibus fuerit adjectum 260. 11. v. Principes: an faciat validam renuntiationem legum 259. 8.
Jus gentium duplex primarium, & ſecundarium, utriuſque definitio 77. 1. ejus explicatio 78. 3. obligat in conſcientia ibid. 5. diſtinguitur a jure naturae 79. 6. & ſeq. convenit in pluribus cum jure civili, in pluribus diſcrepat 79. 8. & 80. 9. gentes ſunt illius cauſſa efficiens ibid. 10.
Jus commune quid ſit, & quam vim habeat 99. 16. quae apud nos juris Romani partes obtineant 99. 17. quae partes juris Romani quibuſdam in codicibus inſertae nec apud nos, nec apud pleraſque gentes in uſu ſint 99. 18.
Juris civilis Romani origo, progreſſus &c. exhibentur 94. 5. & ſeq.
Juſtinianus quomodo immutaverit, & auxerit jus civile Romanum 96.
Jus publicum non immutatur pactis privatorum 257. 2. 4.
Juſti legibus humanis obligantur 142. 2.

L

Legis in genere vocabula, acceptiones, & nomina 2. 1. & ſeq. ejus definitio, & explicatio 4. 1. & ſeq. ejus diviſio, & diviſionis ratio 13. 1. 2. ejus diſtinctio a praecepto 12. 19. haec lex pertinet ad intellectum, & voluntatem 14. 5. ejus proprietates 9. 12.
Lex aeterna quid ſit 20. 1. an exiſtat 21. 4. 5. quomodo ſe habeat ad creaturas, tum rationales 24. 12. tum irrationales ibid. 14. differt a Dei idea, & providentia 21. 3. vere & proprie lex eſt 22. 6. quare dicatur participata creaturae rationali 31 1. an Deus: legi aeternae ſubdatur vel ipſam abrogare, vel diſpenſare in ipſa poſſit v. Deus: ex lege aeterna fluit lex divina 26. 21. humana ibid. 20. naturalis 27. 22. tribus modis leges omnes ab aeterna dimanant ibid. 24.
Lex naturalis definitur 32. 2. explicatur definitio 32. 3. 5. & ſeq. diſtinguitur a ratione 34. 11. a conſcientia 35. 13. a ſynderesi ibid. 14. ab habitu tum acquiſito, tum naturali ibid. 15. a natura humana 50. 51. an exiſtat 33. 16. & ſeq. legis naturalis immutabilitas 55. 1. v. ordo: an, & quando nullos reddat actus contra ſe geſtos 298. 1.
Lex poſitiva divina definitur 81 1. definitio explicatur 81. 2. 3. dividitur 81. 4. ejus neceſſitas oſtenditur 81. 5. legi divinae ſtandum, ſi huic ratio contraria videatur 82. 6.
Lex Moſaica omittitur ob cauſſam 83. 7.
Lex nova pluribus donatur nominibus 83. 1. lex nova multis de cauſſis differt a veteri 84. 3.
Lex humana definitur, & dividitur 86. 1.
Lex eccleſiaſtica pluribus donatur nominibus 87 1. ejus diviſio 87. 2. ejus brevis notio 88. 3. quot partibus conſtet 88. 4. leges eccleſiaſticae, quae in jure canonico habentur num, & quae apud nos in uſu ſint 90. 18. legum eccleſiaſticarum an vim obtineant rubricae titulorum, ſu-

Digitized by Google

per inscriptiones, & summaria capitulorum 91. 23. leges canonicae, quae contrariae videntur, conciliandae, si fieri possit, secus posteriores observandae 92. 24. idem de legibus civilibus 267. 9. legis ecclesiasticae mere prohibentis effectus 301. 15.
Leges civiles, quae in hac nostra regione vigent, unde petendae sint 98. 7. quaedam afferuntur jure canonico abrogatae 99. 19. quam necessariae sint ad pacem reipublicae 103. 1.
Leges a quibus ferendae sint 103. 2. an a superiore communitatis potius sint condendae, quam judicum arbitrio permittendae 103. 3.
Leges ferre possunt Superiores ecclesiastici 105. 1. 3. 4. & proinde summi Pontifices 107. 10. eorum legati 110. 19. Episcopi 108. 12. & an haec potestas Episcoporum sit immediate a Christo, an a Papa controvertitur 108. 13. 14. quaestio haec pro praxi exigui momenti est 109. 15.
Leges ferre quoque possunt Principes saeculares v. Principes.
Lex civilis actus tantum exteriores, ecclesiastica interiores quoque complectitur 134 1.
Lege ecclesiastica praecipi possunt actus interni, tum per se 136. 8. tum per accidens 136. 9. conjuncti cum externis, tum etiam lege directiva praecipi possunt actus mere interni 137. 10. 11. non vero lege coactiva 135. 5.
Lex humana ad praeterita non extenditur 138. 1. 2. exceptio unica affertur 139. 3. exceptiones aliae rejiciuntur 139. 4. 5. 6.
Lex praescribens novam formam quas personas comprehendat 140. 7. ex his corollaria 140. 8.
Lex futura negotia respicit 140. 9.
Lex humana prohibere nequit omnia vitia 140. 10. nec praecipere omnes virtutes 141. 12.
Legem loci, a quo migrat aliquis, an ante discessum servare teneatur 219. 9. 10.
Lex, ut obliget, num promulganda v. promulgatio: num debeat acceptari v. obligare.
Lex humana ex quotuplici capite possit esse injusta 233. 6.
Legis contemptus v. contemptus.
Lex non impletur, si opus non fiat scienter, & voluntarie 247. 1. unde legem non implet, qui coactus jejunat 247. 3. liber tamen est ab altera solutione, qui debita solvit invitus 247. 4. nec impletur absque intentione faciendi quod praecipitur 250. 11. nec sine modo, & fine intrinseco 252. 22. 23. bene vero sine fine extrinseco 252. 24. nec ab eo impletur qui sacro interest unice ob vanam gloriam, vel jejunat ut parcat sumptibus 248. 7. & 248. 249. 9.
Legi fit satis, si circumstantia mala non sit totalis caussa, cur opus suscipiatur 248. 5.
Legi naturae, vel Ecclesiae non satisfit, cum finis, vel mala circumstantia est caussa totalis operis suscepti 248. 6. aliter de lege civili 249. 10.
Legi an fiat satis per plures actus eodem tempore positos 255. 29. an per unicum actum 255. 30. 31. 32. an in hac re regula generalis dari possit 256. 33. cui legi fiat satis si unico actu pluribus satisfieri nequeat 256. 34.
Legibus an possit renuntiari 257. 1. 2. 3. 4. & 258. 7.
Lex tota legenda priusquam judicium de ipsa feratur 265. 1. manifesta non indiget interpretatione ibid.
Lex generalis, favorabilis, odiosa, poenalis, quomodo intelligendae 267. 8. & 268. 10. 11. 12.
Legis verba quando sint accipienda naturaliter, quando non 265. 2. & 266. 5.
Leges contrariae quomodo conciliandae 267. 9.
Leges an, & quando extendendae, aut restringendae ob paritatem rationis 268. 13. & 269.
Lex irritans quae, & quotuplex 299. 3. 5. 6. 7. an recipiat epichiam 274. 9 an nullum reddat actum in foro interno 304. 21. 22. & 305. 23.
Lex dura a quo emendanda, an observanda 273. 7. v. epichia.
Lex posterior an, & quando deroget priori 267. 9.

Lex prior an revocata cenſeatur per poſteriorem 286. 10.
Lex carens ſanctione poenae an ſit perfecta 291. 4. an obliget in conſcientia 290. 2. 3.
Lex pure poenalis an obliget quoad culpam 291. 6. & 292. 7. 8. 9.
Lex disjunctiva an ſit lex 293. 10. an differat a poenali, ejus violatores an teneantur ad poenam ante ſententiam judicis ibid. 11.
Lex tributorum non eſt poenalis, ſed diſpoſitiva 309. 14. obligat ante judicis ſententiam ibid.
Lex gravior obſervanda eſt, ſi plures concurrant 253. 25.
Legiſlatori nulla movenda ſeditio eſt, licet legem injuſtam ferat 234. 7.
Legiſlator abſtinere debet a multitudine legum 12. 20.

M

Magiſtratuum deciſiones an appellationi relinquant locum 98. 11.
Magiſtratus Camerae quid poſſit 98. 13.
Magiſtratus ſanitatis quid valeat 99. 14.
Magiſtratus Conſulatus quid juris habeat 99. 15.
Magiſtratus immerito arguuntur, quia tolerant quaedam vitia 141. 11.
Magiſtratus ſecularis an declarare poſſit quoad loci immunitatem 215. 11.
Maritus renuntiare poteſt dimidio dotis emolumento 258. 6.
Miniſtri montis pietatis an gaudeant immunitate 205. 18.
Minor in Eccleſia delinquens an immunitate fruatur 207. 26. an renuntiare poſſit beneficio reſtitutionis in integrum 258. 6. an poſſit jure patrio donare 303. 19.
Monitio quae requiratur ut Clericus fori privilegio ſit privatus 72. 7. 8. & 73. 9. 10
Moralitas fundamentalis nulla independenter a lege 24. 15. cognoſcitur haec moralitas ex relatione ad ordinem naturalem 26. 18.

Alaſia

N

Natura hominis legem aliquam expoſtulat 14. 3.
Non poteſt qui immunitate gaudet violenter extrahi ab Eccleſia 208. 1. neque in Eccleſia vexari 209. 2. neque eidem neceſſaria impediri 209. 3. neque bonis exui 209. 4. neque poena infligi 210. 5.
Non tenetur judex compenſare damna ex violenta extractione provenientia 210. 7.

O

Obligatio legis non pendet a populi acceptatione 228. t. 2. & 230. 9.
Obligat lex ſive eccleſiaſtica ſive civilis in foro interiori 232. & 233. 1. 2. 3. ſemper, ſi ſit fundata in praeſumptione periculi 235. 2. non autem in praeſumptione facti 236. 4. exempla quorumdam in hac re opportuna non ſunt 236. 5.
Obligare nequit ſub gravi legiſlator in re levi 237. 1. ſub levi poteſt in re gravi 238. 2.
Obligare nequit lex humana cum gravi incommodo 240. 10. niſi cum lege naturali conjungatur 241. 12.
Obligantur Carthuſiani carnes comedere ſi nullos alios cibos habeant 242. 13. a carnium eſu abſtinere, ſi alii cibi ſuppetant 242. 14.
Ordo naturalis non aliunde cognoſcitur quam ex divinae eſſentiae conſideratione 32. 4. in ordinem humana mens ſemper propendit 34. 10. ex hac propenſione aliae oriuntur ibid. 9. triplex diſtinguitur hominis ordo ad Deum ſcilicet, ad proximum, & ſeipſum 52. 4. triplex hic ordo probat legem naturalem 38. 23. & ſeq. ex hoc ordine fluunt decalogi praecepta 52. 5. & ſeq. tum virtutes cardinales aliaeque omnes cum iis neceſſario conjunctae 53. 10. refutantur in hac re errores Valentini, Alberti, Obbeſii, Rouſſeau, Thomaſii, Puffendorphii 53. 11. & ſeq. primum

Digitized by Google

principium legis naturae hoc est: *Ordo naturalis est servandus* 51. 2.

Origo boni, & mali non est repetenda ex communi utilitate 48. 46.

P

Parvitas materiae non admittitur in iis, quae sunt directe contra Dei perfectiones 63. 28.

Pater renuntiare potest usufructui sibi debito in peculio filii 258. 6.

Peccatum non est quid fictitium 25. 16.

Peregrini definiuntur 217. 1. non ligantur legibus proprii territorii 217. 2. 3. nisi in duobus casibus 217. & 218. 4. 5. nec tenentur servare leges juris communis, si non serventur in territorio, in quo morantur 219. 8. legibus loci, in quo morantur, obstringuntur primo, quando domicilium mutant 220. 11. secundo, quando alium locum petunt, ibi moraturi majori anni parte 220. 12. tertio, ratione scandali 220. 13. quarto, si leges, quae in loco, ubi morantur, obtinent, licet non in proprio, sint juris communis 220. 14. quinto, si leges contractus respiciant 220. 15. sexto, si contra jus naturae, vel commune delinquant 220. 16. & probabilius omnibus legibus loci, in quo morantur, obstringuntur 221. 17. 18. 19. an discedentes ab aliquo loco illius leges ante discessum servare teneantur 219. 9. 10.

Poenae violantium immunitatem 211. 1.

Poenarum genera 294. 1. 3. poenae ferendae sententiae an incurrantur ante sententiam judicis 294. 4. latae sententiae an obligent ante sententiam 295. 5. 6. & 296. 9. 10. harum poenarum inter se discrimen 296. 7. poena a legibus statuta an remitti possit a judice 297. 12. an à Principe ibid. an saepius remitti expediat ibid.

Poenitentiaria ab excommunicatione absolvere non potest violatorem immunitatis 212. 2.

Populi, nec Magistratuum consensus requiritur ad Ecclesiae leges 230. 9.

Potestas duplex distinguenda, spiritualis, & temporalis 116. 1. utraque in suo ordine absoluta est, & independens 117. 3. utraque proprium habet gladium 118. 5. potestatis utriusque jura definire ex factis, & exemplis difficile admodum, & fere impossibile 129. 1. pro quaestionibus ergo dirimendis inter utramque laudatam potestatem concordata, si quae sunt, observanda 130. 2. si concordata desint, vel quaestioni definiendae non sufficiant, immemoriali possessioni standum 130. 3. si haec immemorialis possessio noceat bono publico Ecclesiae, vel regni, ab una potestate ad aliam fieri debet recursus 131. 4. si de immemoriali possessione non constet, mutuis consultationibus, & compositionibus res transigenda 131. 5. jura ergo alterutrius potestatis ex immemoriali possessione quaesita ex contraria consuetudine, quae in aliis regnis obtineat, enervari non debent 131. 6.

Potestas spiritualis, & temporalis summam servare debent inter se unionem 131. 1. fovetur haec unio, si leges ecclesiasticae a Principibus secularibus, civiles ab ecclesiasticis probentur 132. 2.

Potestas ecclesiastica bonum temporale, & secularis bonum spirituale promovere vehementer debent 133. 3.

Praecepta legis naturae tria distinguuntur 65. 1.

Praesumptio quid sit 234. 1. alia periculi, alia facti ibid. prior vere, & proprie praesumptio non est ibid. fundata in praesumptione periculi semper obligat 235. 2. non autem in praesumptione facti 236. 4. rejiciuntur exempla quorumdam in hac re 236. 5.

Praetores quandonam initium, & auctoritatem habuerint 95.

Principes saeculares leges ferre possunt 113. 1. atque eae leges obligant omnes in territorio existentes 142. 1.

Principes seculares de temporalibus, ecclesiastici de spiritualibus leges ferre possunt 116. 2.

Principibus secularibus in re temporali, in

Digitized by Google

ecclesiastica Principibus ecclesiasticis potius obediendum erit 118. 4.
Principes seculares nullum jus habent in sacra, & exteriorem Ecclesiae disciplinam; ecclesiastici autem nullum in temporalia 118. 6. & 119. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
Princeps non obligatur legibus sibi non convenientibus 143. 4.
Princeps absolutus propriis legibus vi directiva ligatur 143. 5. 6. iis tamen non tenetur vi coactiva 144. 10. neque lege humana obligatur, sed naturali 144. 8. pro ratione materiae peccat suas leges transgrediendo 144. 9.
Princeps absolutus tenetur legibus regni fundamentalibus 144. 11.
Princeps non absolutus legibus a se latis obſtringitur vi directiva, & coactiva 143. 3.
Principum interpretatio privata an obliget 267. 7.
Principes, si prohibeant interpretationem suarum legum, de qua interpretatione sint intelligendi 262. 4. & 263. 8.
Principum leges non potest abrogare Ecclesia 286. 11.
Principes an possint tollere leges Ecclesiae 286. 11. an Ecclesiae jura invadere ibid. an vota relaxare ibid. an jurisdictionem Episcoporum, aliorumque Superiorum in suos subditos evertere ibid. an irritare juramenta 261. 12.
Privilegii definitio 342. 1. ejus differentia a dispensatione 342. 6. a gratia 342. 7. a rescripto 342. 8. a lege 342. 9. aliud personale, aliud reale ibid. 10. aliud contra, aliud praeter jus 344. 14. aliud perpetuum, aliud temporale ibid. 15. aliud gratiosum, aliud remuneratorium ibid. 16. aliud purum, aliud conventionale ibid. 17. aliud clausum in corpore juris, aliud extra corpus juris ibid. 18. aliud ex motu proprio, aliud ad instantiam supplicantis ibid. 19. aliud ad inſtar, aliud pariformiter 345. 20.
Privilegium communitati concessum reale est 343. 11.
Privilegia minoribus, filiis familias, foeminis concessa realia sunt 343. 12.
Privilegia in dubio an sint personalia, an realia 343. 13.
Privilegium duobus modis acquiritur concessione, & praescriptione 345. 1.
Privilegium quis possit concedere 346. 2. & quibus 346. 4.
Privilegium an ad sui valorem scripturam requirat 346. 6. an acceptationem ex parte privilegiati 347. 7. 8. 9. 10.
Privilegii concessio num requirat caussam, & quam 346. 3. an cessante caussa privilegium cesset 351. 8. 9. & 352. 10. 11.
Privilegium an cesset per extinctionem personae, vel rei, cui inhaeret 350. 1. per non usum 352. 14. 15. 16. per contrarium usum 353. 18. per abusum 353. 19. per revocationem 354. 23. & seq. per mortem concedentis 355. 29. & seq. per derogationem 354. 24. & seq.
Privilegia, quando concurrunt, quodnam sit praeferendum 363. 6. 7.
Privilegium an admittat interpretationem, & unde haec petenda 360. 1. an de persona in personam sit extendendum ibid. 2. 3.
Privilegium praeter jus an latam admittat interpretationem 361. 4. contra jus, vel alteri noxium an strictam patiatur interpretationem 361. 5. & 362. 6.
Privilegii effectus quotuplex distinguatur 362. 1.
Privilegiatus an privilegium suum in alium transferre possit 362. 2. an privilegio uti teneatur 363. 3. an in hoc casu obligatio utendi privilegio oriatur ex vi ipsius privilegii, an aliunde ibid. 4. an uti possit suo privilegio adversus privilegiatum 363. 5. an extra locum, in quo concessum est 364. 8. an extra territorium concedentis ibid. 9. an ubique, si privilegium sit contra jus commune ibid. 10.
Privilegio fori ut gaudeat Clericus, quid praestare debeat v. forum.
Promulgatio ad essentiam legis non pertinet 10. 15. varia est pro legum diversitate 11. 17. in quo differat a divulgatione 223. 1.
Promulgatio ex jure naturae ea sufficit, qua lex possit ad subditorum notionem facile venire 223. 2.

ſuadentibus 257. 1. ſicuti & legibus primario latis ob bonum privatorum 258. 5. non vero legibus latis primario ob bonum publicum 257. 2., nec legibus ſolemnitates ad valorem actus requirentibus ibid. 3. nec legibus latis ob utilitatem alicujus communitatis, aut ordinis ibid. 4. v. juramentum, minor.
Reſcripta alia ſunt juſtitiae, alia gratiae 355. 29. quandonam expirent 356. 32. & ſeq.
Revocatio alia eſt expreſſa, alia tacita 354. 20.; alia generalis, alia ſpecialis ibid. 21. generalis alia eſt ordinaria, alia extraordinaria ibid. 22.
Reus an teneatur in ſe exequi poenam 297. 11.

S

Sanctio legis naturalis colligitur ex eo, quod ipſa ſit coactiva pro altera vita 74. 2. & ſeq. ſolvunturque objectiones 76. 5. & ſeq.
Sardiniae inſula quibus legibus regatur 97. 6.
Scriptura ad legem non requiritur 11. 18.
Scriptura ad privilegium non eſt neceſſaria, niſi in quibusdam caſibus 346. 6.
Senatus viſio an neceſſaria pro legibus eccleſiaſticis 224. 7. 8.
Senatus deciſiones v. Magiſtratuum deciſiones.
Sententia alia condemnatoria, alia declaratoria 294. 2. an declaratoria requiratur ad amiſſionem privilegii clericalis 173. 10. an ad dimiſſionem beneficii 296. 8. an ad poenam incurrendam 296. 9. 10 an ſub conditione lata ſententia valida ſit 302. 17.
Solemnitatibus a jure requiſitis an poſſit renuntiari 257. 3. & 258. 7.
Spinoſa boni, & mali cauſſam ex appetitu, & potentia repetens, confutatur 50. 48.
Statuta locorum quomodo vim legis habeant 98. 10.
Subrogatio legis quid ſit 283. 1.
Superiores dyſcoli num auctoritate polleant ferendi leges 114. 6.

T

Tempus ad conſuetudinem requiſitum quodnam ſit 325. 3. 4. & 326. 6.
Teſtamentum matris an nullum fiat praeteritione filii 302. 17.
Tiberius Imperator primus populo eripuit poteſtatem ferendarum legum & in Senatum tranſtulit 96.
Tentoria erigi nequeunt a reis in atriis Eccleſiarum 197. 9.
Thomaſius legem aeternam dicit Scholaſticorum figmentum 22. 7. refutatur ibid. ſibi contradicit 23. 8. immerito comparat legem aeternam homini ficto ibid. 9. per injuriam carpit ſcholaſticorum doctrinam ibid. 10. & ſeq.
Tributum quid, & quotuplex 306. 1. 3. & 307. 4. tributi ſpecies 305. 2. tributa ſunt approbanda 307. 6. tributi juſti conditiones tres: auctoritas imponentis 307. 7. juſta cauſſa ibid. 8. debita proportio in partitione 308. 9. tributi ſolutio omnino neceſſaria publico bono 307. 5. 6. tributum de cujus juſtitia dubitatur, adhuc eſt ſolvendum 310. 21. 311. 22. tributum an ceſſet ceſſante ejus cauſſa 307. 8. in fine. Tributum imponentes, conſulentes, exigentes ſine cauſſa, aut hac ceſſante peccant, & tenentur ad reſtitutionem ibid. tributa an obligent in conſcientia 308. 10. an ſolvenda ex juſtitia commutativa 308. 13. an ſolvenda ſi non petantur 309. 15. v. emptores, gabella.
Tullius cauſſam affert, cur homines magis in practicis, quam in ſpeculativis principiis diſcordent 37. 22.
Tyranni leges num, & quando obſervandae ſint 115. 7.
Tyrannus num propria auctoritate a quolibet poſſit occidi 115. 8.

Digitized by Google

V

Vagi definiuntur 217. 1. an legibus loci, in quo morantur debeant parere 220. 17.
Venenum componentes an gaudeant immunitate 201. 5.
Verborum proprietas alia naturalis, alia civilis 267. 6. utra attendenda in interpretatione legum ibid. & 268. 10.
Vicarii capitulares declarare non possunt, num reus crimen exceptum commiserit 214. 8.
Vicarii generales ab Episcopis exteris in nostris regionibus deputati declarare possunt, num crimen rei sit exceptum 214. 9.
Violatores legum an teneantur in se exequi poenam positivam 297. 11. an possint ibid.
Violatores immunitatis an, & quas poenas incurrant 211. 1. an ab iis liberari possint, & a quibus 212. 2.
Vulnus infligens, quod lethale sit, an immunitate fruatur 200. 3.

Finis Indicis rerum notabilium.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

by Google

Digitized by Google